




M. TULLI CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

LIBRI QUINQUE.

EMENDATIORES

EDIDIT

NOVAM CONLATIONEM OPTIMI CODICIS GUDIANI ET COMMENTARIOS CRITICOS

ADIECIT

MAURICIUS SEYFFERTUS
PROF. GYMN. REG. IOACHIMICI.



LIPSIAE,
OTTO HOLTZE.
1864.

M. TULLI CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

LIBRI QUINQUE.

EMENDATIORES

EDIDIT

NOVAM CONLATIONEM OPTIMI CODICIS GUDIANI ET COMMENTARIOS CRITICOS

ADIECIT

MAURICIUS SEYFFERTUS

PROF. GYMN. REG. IOACHIMICI.

LIPSIAE,

OTTO HOLTZE.

1864.

FERDINANDO LARSOVIO

PHIL. D^{R}. THEOLOGIAE LICENT. PROF. GYMN. BEROL. LEUCOPHAEI

HUNC LIBRUM

TESTEM ESSE VOLT

AMICITIAE INDE A PUERILIS AETATIS INSTITUTIONISQUE VIRIDITATE PER MEDIOS ACADEMIAE ANNOS USQUE AD HORUM TEMPORUM CANITIEM FIDELITER PERDUCTAE

M. S.

Praefatio.

Habere sua fata libellos non natos modo, sed etiam nascentes in hoc ipso quem nunc edo libro nescio quo pacto expertus sum. Annus fere est cum haec non primum commentandi, sed commentata ut erant publicandi consilium cepi: nihil tum ad emendandas Tusculanas subsidii nisi vel ex superiorum editorum copiis vel ex mei qualiscumque ingenii inventione petiveram; contracta res erat cum redemptore, viro honestissimo, pluresque iam pagellae formis expressae: cum mihi adlatum amici manu quod vere modo praeterito ab O. Heinio conscriptum erat programma Posnaniense necessitatem non sane iucundam imposuit operis, quod modo peragere coeperam, non modo intermittendi, sed etiam magna ex parte retractandi: inde enim et ab ipso Heinio multa vel emendatione occupata vel novis argumentis rationibusque disputata cognovi, et vero, quod maius erat, Orellianae editionis a Baitero et Halmio continuatae volumen quartum, quod pridem vehementer desideraveram, interim in lucem editum esse primum audivi. Spes hinc nova accensa ut mihi laetitiam attulit ex tantorum virorum, quod ostendebatur, adiumento perceptam, ita retexendi quae exorsus eram et, si posset, ad novam eamque amplioris consilii rationem revocandi officium iniunxit. Sic enim mecum cogitabam: quoniam ad Tusculanarum textum firmius constituendum stabiliendumque nihil magnopere proficeretur, nisi Regio illo, in quo quattuor antea conlatores (v. Tregd. Praef. p. II) inter se separatim versati multum reliquissent haesitationis, denuo conlato diligentiusque excusso, iure sperari huic necessitati ab illis tam in longum iacti operis conditoribus esse subventum; me posse fortasse non inutilem operam navare, si Gudianum, qui Regii gemellus et ad id tempus secundo loco numera-

batur, post Schneidewini, quod quidem ex Moseri editione appareret, non satis accuratam conlatiouem iterum compararem quidque iuter ipsum et Regium, ut ita dicam, necessitudinis intercederet certius cognoscerem: nam ceteros libros, quamvis essent qui bonitate aliis praestarent, partim uon iutegros, alios nou iam parabiles eosdemque ex parte tantummodo cognitos, plerosque interpolatos neque cum illis duobus ullo modo comparandos esse satis sciebam. Igitur uno fere tempore et bibliopolam, quem consueram, precibus adii, ut me Orelliani libri quam celerrime compotem faceret, et Guelferbytnm litteras dedi ad Bethmannum, virum clarissimum, ut mihi, si per liberalitatem Ducalem liceret, codicis illius mea manu ac domesticis curis tractandi potestas fieret. Quid deinde? Orellii quod requirebam volumen quamvis anno ante editum nusquam audio nec Berolini nec in ipsa Lipsia prostare, petendum esse ex ipsa, unde prodiit, officina Helvetica. Ita evenit ut multo serius, quam optaram, atque etiam post Gudianum interim ad me benignissime missum desiderium meum expletum sit. Inspecto avide libro quo modo me esse adfectum putatis, qui spem, quam de Regio conceperam, egregie impletam, palmam, quam mihi ex Gudiano praeceperam, ab isdem illis viris praereptam cognoverim? Numquam hercule laetitiae dolor adfinior fuit. Iam quid facerem? dimitteremne, cuius modo familiaritate uti coepissem, Guelferbytanum hospitem ἀσύμβολον? Id quidem verebar ne iuhumauum atque adeo crudele videretur; itaque liberalius eum invitavi atque ut penitus sui cognoscendi inspiciendique facultatem daret facile inpetravi. Quod si quaeris quid inde ad ipsam rem, quam agimus, fructus redundarit, equidem tantum abest ut quicquam de praeclaro C. Halmii merito detractum velim, ut operam meam, ne plane contemnendam putes, verbis quodammodo exornare cogar: etenim messa fruge, si quid bonae spicae relictum erat, conlegi, quod messi lolii tribulique adhaeserat, evelli, denique farraginem, quam vocant, lectionum tanquam farris acervum quam et integerrimum et cumulatissimum esse studui; postremo meo testimouio non confirmari modo fidem illius coulatoris, sed laudem etiam tamquam praeconio celebrari volui. Sed ut a nominibus conlatorum recedam atque ad rem veniam, quae coulatione effecta est, duas nunc res ita coustare, ut pro certis haberi possint, maximopere laetandum arbitror: primum quod Gudianum codicem Regio Parisiensi praeferendum illique

vel primas omnium tribuendas esse uuius viri opera in utroque conferendo simul posita cognitum exploratumque habemus; deinde, quod coniunctis nostris studiis, quid quoque loco in optimo illo libro scriptum sit, tam plene tamque certo perspicere licet, ut, si ita fas est dicere, iurare possim lusurum operam, si quis relegendo libro plus se profecturum speraverit. Ac priores quidem sibi vindicare Gudiauum, quoniam a Baitero vel Halmio non aliter demonstratum est, quam vel ipso ordiue et conlocatione codicis vel praeferendis singulis eius scripturis, meum erit cum id ipsum accuratius demonstrare tum de universa codicis ratioue habituque, quae ab illis viris incohata sunt, ea absolvere ac perficere.

Utrumque librum et Gudianum et Regium ex eodem foute*) eoque satis integro, sed sordibus variis maximeque ex archetypi scriptura coutinua natis inquinato ductum esse, admirabilis utriusque iu eo geuere cousensus confirmat; si qua sunt, in quibus differant, quae neque multa numero neque ita gravia esse iuveniuntur, ea eiusmodi sunt, ut vel ab ipsius scribentis vel oculorum lapsu vel iudicii errore vel, quod maxime iu Regium cadit eumque ut minoris aestimemus efficit, ab aliena vel iuterpolantis vel suo iugenio prave abutentis mauu repeteuda videantur. Res enim sic se habet. In Gudiauo duae manus videntur iu contextu verborum corrigendo occupatae fuisse eaeque nulla re inter se differeutes nisi atramenti aut pallore aut vigore; litterarum quidem forma ac ductus uuum eundemque et hominem et aetatem coarguit. Diversas manus fuisse nullo alio indicio probaveris quam quod iu isdem pagellis ea, quae correcta sunt, vel eodem quo contextus atramento vel diverso scripta inveniuntur; ex qua re nihil certi, quod quidem ad aetatem

*) Gudianum de Regio uou exscriptum esse ca maxime, quae iu Regio solo omissa sunt, declaraut, velut I 10 *defendet*, I 49 *ut*, I 58 *ille*, III 37 *et*, III 56 *in*, IV 44 *vel*, III 1 et IV 1 tria initii verba, I 40 *superiora* — *natura* a manu recenti margini adscripta, quac in coutextu habet Gud. III 55, si recte interpretatus sum C. Halmii nou satis planam descriptionem, vv. *maiora videntur*, quac addidit iu Gud. secunda mauus, in Reg. omissa sunt. IV 26 Regius falso habet *expetenda* pro eo, quod est in Gud., *fugienda*. De V 46 erravit Halmius: nam *laudat*, quod abessc dicit a Regio, id ne in Gudiano quidem extat. Omissa iu Reg.[1] III 13 *quidem*, V 22 *posse*, V 57 *et industrium* quaenam manus adiecerit ex Halmii uotatione uon perspicitur. — Regium vicissim nou ex Gudiauo ipso ductum probant, ut alia omittam, omissa in hoc V, 49 vv. *aut gloriandum* — *praedicabile*.

correctorum attineat, effici posse illud maxime documento est, quod neque in universi operis perpetuitate atramenti color idem semper reperitur, et quod iis contextus partibus, quarum splendidior color est, correctiones immixtae sunt aspectu pallidissimae. Quid? quod IV, 14 (cod. p. 82, b) omissis in contextu verbis *Laetitia — videatur* et margini inferiori diverso ac recentiore atramento adscriptis lemmata e regione addita sunt ab eadem manu eodem quo textus colore scripta? Huc accedit, quod iis saepe correctionibus, quae propter pallorem minus expressae videbantur, novus color splendidior inductus est, ut certe, utrius quacque emendatio manus sit, difficillime definias. Quae cum ita sint, cum nulla fere correctio eiusmodi inveniatur, quae iustam interpolationis suspitionem moveat aut ingenium prodat a primo scriptore diversum, alterutrum nobis videmur iure statuere, aut ab una omnia manu profecta esse eamque relegendo exemplari quae antea neglexerat postmodo suppleta atque emendata dedisse aut, si qua altera manus in corrigendo libro versata sit, eam tamen et aetate supparem esse et non minore fide eundem aut non deteriorem codicem adhibuisse. Utcumque res se habet, hoc quidem pro certo adfirmare licet, utriusque generis correctionum sive eodem, quo textus, sive diverso colore pictarum omnino parem auctoritatem esse, neutram autem manum quicquam fere aut ex suo ingenio, quod quidem inertissimum idemque fidele fuisse deprehenditur, emendasse aut quod non in suo codice invenerit temere adiecisse, quae quidem paucissima numero esse eaque ex margine, ubi pro indice vel lemmate erant, iam prius inlata demonstravi III, 3 p. 54 et V, 74 p. 107; cetera, quae varie pro glossematis habita sunt, suis quidque argumentis defendendum putavimus. Longe diversa ratio est codicis Regii Parisiensis. De quo quamvis incerta sint ac varia novissimi conlatoris testimonia — modo enim correctum esse commemorat aut ab eadem manu, ut I, 7. II, 1 (*fortasse* eadem). II, 28. III, 51. V, 28. 32. 66. 88, aut a perantiqua (III, 10) vel antiqua (II, 43. III, 27), modo secundam manum simpliciter idque saepissime notat, modo manum vel recentem (IV, 5. 44) vel recentiorem (III, 6. 19. 58) vel admodum recentem (II, 31. IV, 17) vel recentissimam (I, 20. II, 10) appellat — in hac igitur tanta notationis discrepantia, quae quot tandem numerandae sint manus prorsus in incerto relinquat, hoc tamen verum esse concedes, quod negari nullo pacto potest, tres saltem corri-

gentium manus recte inter se discerni, ex his autem nullius fidem tam germanam esse, quam primae illius, quae scribendo libro operam dederit, ceteras correctiones sive antiquiores sive recentiores, quamvis multa vitia commode sustulerint, tamen multis locis tales deprehendi, quae ex errore potius coniecturae quam ex scripti veritate manasse videantur, his autem ipsis locis lucem adferre eorum, quae in Gudiano scribentis religio ac stupor reliquerit, deformitatem. Atque ut a recentiore manu incipiam — sic enim libet appellare, quam variis nominibus ab eadem aetate desumptis descripsit C. Halmius — IV, 68 cum invenisset, ut est in Gud., *qui haec ferunt*, radendo correxit de suae aetatis more *qui efferunt* pro eo, quod verius et antiquius esse demonstrat Gud., *qui ecferunt;* I, 20 quia verbum deesse videbatur, ut deest in Gud., cum magna probabilitatis specie aut suo ingenio excogitatum aut inventum in alio deteriore libro addidit *disclusit;* II, 14 scriptum in Gud. *mei nimis vitae cupidum fuisse* correxit ad verborum rationem recte, sed contra sententiam scriptoris, *me minus vitae cupidum fuisse.* Haec a recenti manu profecta esse praeter ea, quae ab eadem recte emendata sunt, II, 31 *intuens,* IV, 5 *monumenta,* 17 *is* pro *se,* 44 *disci,* ipsius conlatoris testimonium confirmat; videamus nunc, cuius modi illa videantur esse, quae idem ille in secundam eamque scilicet a primo scriptore diversam neque vero recentem manum nullo certiore indicio addito contulit. Haec igitur ut multa vitiose scripta, quae quidem pleraque Gudiani manus intacta reliquit, recte correxit, ita in aliis vitium, quod deprehendisse sibi videbatur, sui inventi turpitudine cumulavit. Velut I, 75 in verbis *nec quicquam aliud emori* superscripsit post *aliud* voculam *quam;* I, 86 *animalis* expuncta priore *i* correxit in *an malis* pro eo, quod recte Gud., *an a malis;* II, 12 pro *iis* falso iudicio substituit *his,* 19 *sublimi* pro *sublimo,* 20 *hic feritatem* pro *icferitatem* (Gud.) id est *ecferitatem,* 23 *lucet* pro *clucet* (Gud.) id est *cluet;* III, 42 scriptum cum esset *quid in boni relinquerent* (Gud.) pro *quod in bonis rel.*, praepositionem punctis notavit; III, 58 *ratione quaedam* (Gud.) mutavit in *ratione quadam* pro eo, quod sententia postulat, *ratio quaedam;* contra III, 83 cum esset *et contractiunculae quadam* (Gud.), correxit *et contractiunculae quaedam* pro eo, quod unum verissimum esse demonstravi, *ex contractiuncula quadam;* IV, 9 vitiosum *vel orationis* (Gud.) convertit in *vela rationis;* IV, 54 verba *cum omnia essent*

in morbus (Gud.) *vitia* iuferendo *morbis* pro *moribus* etiam insaniora fecit; V, 68 mutila ac decurtata vv. *ne vivendi* erasit, 118 pro *violentia* dedit *vinolentia;* 121 *philosophas* (Gud.) mutavit in *philosophicas*, ibid. *cuicuimodi* (Gud.) in *cuius cuius modi*. Eodemque refereuda videntur primum deleta et *eloquere* II, 39 et *inventa* III, 23, deinde linea subducta verbis *id est genus tormenti apud Graecos* V, 24. Haec igitur et alia fortasse, quae animum meum praeterierint, talia esse facile cognoscuntur, quae correctoris fidem iure suspectam reddant. Contra in Gudiano si qua sunt, quae corrigentis ingenium peperisse videatur, ut I, 11 *dissonantium* correctum ex *dissenentium* (Reg.) pro *disserentium*, I, 80 *quarum animi sunt rationes* (ita secunda manus pro *rationis*) *expertes*, ea profecto absurdiora sunt, quam ut ab interpolandi libidine ac non corrigendi veritate repetere liceat; cetera fere in orthographicis versantur, in quibus corrigendis utram secutus sit rationem, scriptiue fidem an suae aetatis consuetudinem, iu summa illarum rerum vel in antiquioribus libris iucoustantia vix licet decernere: alia enim recte et ex antiquo more, alia prave et novicium in modum correcta sunt; cfr. I, 22 *conplexus* mutatum iu *complexus*, I, 40 *umida* in *humida*, I, 107 *poeniuntur* in *puniuntur*, II, 40 *ingemesco* in *ingemisco*, II, 42 *adtingam* in *attingam*, III, 36 *ecfeminato* in *effeminato*, III, 54 *retulisse* in *rettulisse*, III, 57 *supremum* iu *suppremum*, III. 59 *condicione* in *conditione*, III, 70 *Paulus* in *Paullus*, III, 82 *sustulit* in *sustullit*, IV, 54 *colligunt* in *conligunt*, IV, 76 *suspiciones* iu *suspitiones*, IV, 93 *diviserit* in *divisserit*, alia. Ego quidem neque haec neque cetera, quae quidem pauca numero sunt, in quibus prima manus falso correcta est, velut I, 29 *demonstrantur* (Reg.) ex *demonstrentur*, II, 19 *qui* (Reg.) ex *quis*, ut videtur, nam littera post *qui* erasa est, III, 18 *nihil* (Reg.) ex *nihili* extrema littera, quae *i* fuisse videtur, item radendo deleta, IV, 63 *fors* (Reg.) ex *sor* pro *sors*, V, 8 *traduxissent* (Reg.) ex *traduxisset*, V, 73 *quia* (Reg.) ex *qui*, V, 77 *contione* (Reg.) ex *conditione* pro *contentione*, ne haec quidem igitur contra scripti fidem, quod sequebatur, novata arbitror. Quamquam dissimulari non potest et iu utroque libro et in Gudiano proprie inveniri vel recte primum vel minus vitiose scripta, post nulla bona fide, sed mera coniectandi lubidine, ut videtur, in peius conversa, velut II, 27 in Reg. et Gud. *dicuntur* pro germano *eiciuntur* in *ducuntur*, II, 50 in iisdem *pudens* in *prudens*, II, 55 iu

Gud. solo *sed hoc quidem in dolore maximi* in *sed hoc quidem in dolore maxumo* pro eo, quod recte Reg., *maxume*, et V, 102 *nostrae urbe* (id est *nostra in urbe*) in *nostra urbe* (Reg.). Sed haec neque numero, ut dixi, copiosiora et si, forte suo iudicio, certe non snptiliore, quam qnod cetera administravit, correcta snnt. Ex erroribus quidem, quos commnnes habent, unum maxime memorabilem adfero: III, 76 *ratione* bis scriptum, sed altero loco in Gudiano manu secunda expunctum.

Ab his si recesseris, quae Gndiani fidem si non integerrimam, at certe integriorem esse coarguunt, sua cuiusque codicis praestantia ea est, ut nentro carere possimus atque alterius anxilio ad ea, quae in altero vitiosa snnt, emendanda indigeamus. Quam ad rem utrumque librum pari fere esse momento quo facilins intellegatur, conlatione eorum, qnae quisque in primo Tusculanarum emendatiora habet, sub oculos subiecta libet demonstrare:

Gud.		Reg.	
1, 4	*censemus*	1, 4	*Themistoclesque*
5, 10	*Cocyti*	4, 7	*iubebam*
ibid.	*defendet*	6, 11	*prorsus*
12, 27	*cascos*	—, 13	*Calatini*
13, 30	*id enim*	12, 26	*vereor ne*
14, 31	*propagatio*	—, 28	*Ino Cadmi*
16, 37	*vicia* pro *vicinia* (Reg. *vitia*)	15, 38	*quod* (Gud. *quot*)
		20, 45	*se* (om. Gud.)
18, 41	*alter ne*	—, 46	*dissimillimas*
20, 47	*callidissimo*	27, 66	*umidum*
21, 48	*diurno ac nocturno*	30, 72	*totos*
—, 49	*ut* (om. Reg.)	—, 74	*tunc*
24, 56	*esset in*	40, 97	*mortem eam*
—, 57	*gradatim*	41, 97	*placatissimam*
—, 58	*ille* (om. Reg.)	46, 110	*tropaei*
28, 69	*laetificae*	ibid.	*deseret*
31, 75	*quam* recte omittit	47, 113	*iuvenes*
35, 86	*an a malis*	—, 114	*Apollini*
38, 91	*non deterret*	ex correctione secundae manus:	
42, 99	*haud* (Reg. *aut*)	31, 75	*inquam tum* (Gud. *in quantum*)
43, 104	*quo abigam*		
47, 113	*Cleobis*	ibid.	*crede disiungamusque*

Gud.	Reg.
47, 113 *tum*	(Gud. *credidis iungamusque*)
49, 117 *Enni*	35, 86 *reliquissent* (Gud. *relinquissent*)
	49, 117 *perimit* (Gud. *peremit*)

Atque similem discrepantiae rationem in ceteris Tusculanarum libris esse facile qui comparare voluerit inveniet. Ex omnibus autem, quae diximus, hoc videtur apparere, id quod in critica factitanda usquequaque secuti sumus, eorum, quae in utroque codice a prima manu scripta sint, magnam esse auctoritatem et ad verum inveniendum vim; ex correctionibus vero, quae quidem in Regio et plures et suspectiores sint, nullam probari posse, nisi quam ratio ipsa subductis omnibus rationibus veram esse evicerit. Utriusque generis exemplum paulo memorabilius profero ex Regio: V, 68 solus habet *iudicando ne*, unde restituendum putavimus *iudicatione;* III, 60 prima manu scriptum *quohibet* correxit secunda in *cohibet* pro eo, quod germanum esse docet syntaxis ratio, *prohibet.* Nam de II, 58 (cfr. Comm. Crit. p. 51) in errore me versatum esse postea intellexi: Regii scripturam, quam sic descripsit sive Halmius sive Baiterus *omittam:*, non diversam esse ab altera eiusdem generis V, 78 *mollium;*, utramque autem interpunctionem notam esse sillabae *us* quis non videt?

Ad hos igitur duos codices, quorum laus maxima atque adeo unica in eo posita est, quod antiquo exemplari superstitione magis quam fide expresso a librarii intellegentia nihil aut non multum habent, Tusculanarum emendandi ratio tota accommodari debet. Nam ceteri, qui laudantur, codices velut *Gryphianus,* qui neque integer fuit et saeculi illius more carptim conlatus (v. Orell. p. 7), *Pithoeanus* et *Bruxellensis,* qui Regio vel Gudiano simillimi idemque neglegentius scripti (v. Tregd. p. XII) multisque modis interpolati sunt, *Vaticanus* (cfr. Wes. Em. II p. 49. 50), *Coloniensis* (Wes. II p. 26. III p. 7), *Marburgensis* (Wes. II, 30), *Bernensis* (Orell. p. 51; Tregd. p. XII not.), ii omnes et aetate et auctoritate inferiores habendi et, si quid proprii ac boni habent, id non ex antiquiore fonte, sed ex scribentium ingenio duxisse putandi sunt.

Venio nunc ad eam operis mei partem, quam ego, quia et taedii plurumum habet et simul multiplicem adfert paenitendi copiam,

libentius praetermitterem, vocum dico scribendarum rationem. Etenim cum ex eo genere esset Gudianus, in quo priscae aetatis scribendi ratio multis exemplis recentioris moris permixta est, cumque scirem eius ipsius viri, qui his rebus maximum lumen attulit, Phil. Wagneri, praecepto admonitus, ancipitem esse atque adeo temerarium conatum omnia ad unam eandemque constantiae normam revocandi, factum est nescio quo casu saepius, quam vellem, ut aut a ratione initio mihi constituta discederem aut meum iudicium sensumque certo, quod ita esse postea cognovi, et constanti testimonio codicis anteponerem. Sed hanc veniam, qua multis viris me maioribus opus fuit, facile spero me ab aequis iudicibus impetraturum; nunc, quod meum est, quantum potero exequar, ut et quid Gudianus, quocum fere consentit Regius, in vocibus scribendis proprii habeat et quas ego rationes non sine summorum virorum exemplo et auctoritate in hoc genere sequendas putarim exponam. Ac primum quidem ea lubet enumerare, quae vel vetustissimi cuiusque monumenti vel grammaticorum auctoritate pridem comprobata suo testimonio confirmat Gudianus; sunt autem haec:

adulescens; *aequipero* (V, 49; sed v. Wagn. Orthogr. Vergil. p. 415); ***afui; baca*** (I, 31); ***balista*** (II, 57); ***belua***; ***caelum*** et quae inde ducuntur nomina; ***caenum*** (IV, 54); ***caerimonia*** (sic IV, 1; *cerimonia* I, 27); ***cena*** et ***cenare*** (I, 101. V, 98. 100); ***ceteri*** (perraro *caeteri*, ut I, 93); ***clupeus*** (I, 34; v. Wagn. l. l. p. 486); ***comminus***; ***condicio*** (semel a prima manu III, 59, alibi fere *conditio*); ***contio*** et ***contionari; cotidie***; ***cum*** (non *quum*; in archetypo etiam *quom* fuisse licet divinare ex IV, 44; v. Comm. Crit. p. 83); ***defetigatio*** (III, 67); ***eçuleus***; ***epistula*** (bis V, 90. 100, semel *epistola* IV, 4); ***exanclare*** (I, 118. II, 20); ***facinerosus*** (V, 63); ***Halicarnasus*** (III, 75); ***harena*** (II, 46); ***ilico*** (II, 50); ***immo***; ***indutiae*** (IV, 76); ***intellego*** (constanter fere, nisi quod in infinitivo saepius *intelligi*); ***idem*** (nom. plur.) et ***isdem*** (dat. et abl. plur.) v. Neuium Etym. L. L. II p. 65; ***maereo, maeror*** (saepe *mereo*); ***milia; multare*** (non *mulctare*); ***ne*** (non *nae*); ***neglego*** (semel atque iterum *neclectus*); ***nummus***; ***nuntius***, ***nuntio*** et composita; ***oboedio*** (sic III, 24. V, 36; *obedio* II, 47); ***obscenus*** (V, 94. 112); ***paulum*** (semel cognomen *Paulus* correctum in *Paullus* III, 70; convenit illa scriptura Ciceronis rationi Orat. §. 153); ***paenitet*** (saepius *penitet*, semel *poenitet* V, 104); ***pedetemptim*** (sic III, 54; aliter II, 48: v. Lachm. ad Lucr.

p. 296); *pinna* et *pinnatus* (I, 87. II, 24); *poenire* (III, 65. IV, 21; *poeniuntur* v superscripta I, 107); *putesco* (I, 102, sed v. Lachm. ad Lucr. p. 189); *quadriduum*, *quadrupertitus*, *quattuor*; *quotiens* et *totiens**); *Reginus* (IV, 71); *reppuli* (III, 71) et *rettuli* (correctum III, 54; *retuli* I, 1); *rutundus* (bis I, 42. V, 69; semel *rotundus* I, 22; v. Lachm. ad Lucr. p. 96); *saeculum* vel *saeclum*; *saepire* (V, 64; *interseptus* I, 47); *Sardanapallus* (v. Mai. ad Cic. de Rep. III, 36); *secuntur* (IV, 12. 77; non raro *sequuntur*); *singillatim*; *soboles* (II, 23); *solacium* (sic I, 84. II, 59; saepius *solatium*); *sollemnis*; *suscenseo* (I, 99: *succenseo* V, 25); *suspitio* (IV, 76 *suspiciones* correctum est in *suspitiones*, ceteris locis *suspicio*); *taeter* (non constanter); *tempto*; *tris* (accus.); *Ulixes*; *umerus* (II, 37); *umidus* et *umor* (non constanter); *urgeo* (I, 103, saepius; *urguentibus* II, 67; v. Wagn. l. l. p. 478); *vaecors* (non constanter); *venerius* (IV, 68: v. Wagn. l. l. p. 415 de v. *aetherius*); *vilicus* (IV, 78).

Discriptio (v. Comm. Crit. p. 104) recte scriptum in Gud. IV, 1. 10. V, 68; falso, ut opinor, de mathematicorum figuris I, 38.

Dilectus substantivum cum Gud. retinui II, 26; adiectivum in poetae, qui *dilectum* etiam amatum vocant, carmine reieci I, 45; in Ciceronis orationem contra Gud. recipere non ausus sum V, 61 (*pueros delectos*); verbum autem *diligendi* pro *deligendi* sprevi V, 71.

Non obsequendum putavi Gudiano in his: *sepulchrum* (cfr. Cic. Orat. §. 160, quem ante Tusculanas scriptum esse constat); *scola* (sic multo saepissime, etsi aliquotiens, ut I, 113 *schola* a prima manu vel h superscripta, ut II, 26) pariterque in ceteris vocabulis, in quibus littera h contra volgarem morem vel omissa vel addita est, ut *Caldaei, Pyrro, Cleantes, Pytagoras, Olymphiae, trophaeum, Helysium*, aliis; *dampno, contempno*, quae fere volgatis verborum formis variantur; *intollerabilis, tullimus, accusso, divissimus* similibusque si non constanter, at satis frequenter positis (v. Madv. de Fin. p. LVIII); *repperio*, cui similia sunt *futtilis*, *effuttire, suppellex; at* pro *ad*, *it* et *illut*, *set*, *haut* perquam varie scriptis; *nequicquam* (III, 59); *atquin* (II, 43, etsi confirmatur Vatic. Phil.

*) Diversi generis sunt *Atlans* (V, 8) et *Acherunsius* (I, 48): v. Wagner. l. l. p. 457. 58.

X, 17: v. Lachm. ad Lucr. p. 168). Alia, quae in mero scribendi errore vel in prava consuetudine versari videntur, ut *dilectare* et *dilectatio, valitudo, malivolus, vinulentia*, consulto praetereo.

Varietatem scribendi retinui et plerumque fideliter expressi in *nominibus propriis Graecis* et nominativo casu (*o* et *on*) et accusativo (*em* et *en*); in genetivo Latinorum nominum *ii* et *i* (V, 12 non recepi *praesidi*); in *accusativo plur. tertiae declinat. es* et *is*; in *ablativo eiusdem decl. e* et *i* (*excellenti* scripsi Wesenbergium secutus III, 3); in *pronomine ei* et *ii*, *eis* et *iis*; in *superlativis imus* et *umus* (singulare exemplum est III, 30 *maxume, tum maxime,* quod cur tueri maluerimus non difficile est ad intellegendum); in *aestimo* et *aestumo, libet* et *lubet, libido* et *lubido* (*dissupo*, quod semel atque iterum scriptum est, repudiavi, multoque magis *pontufex*); in *gerundio endum* et *undum*; in *prehendo* et *prendo, saeculum* et *saeclum, vinculum* et *vinclum* similibusque; in *magnopere* et *magno opere, quantopere* et *quanto opere;* in *nactus* et *nanctus* (I, 103. III, 26). Contra constantiam secutus sum in *o* pro *u* scribenda in *volt, voltis, volgus, volgo, volnus, voltus*; in *di* et *dis*; vellem idem fecissem in incohativo *ingemesco* (cfr. II, 21. 40. 55. 56). Neque in veterum poetarum versibus, in quibus saepe a prisca scribendi ratione discessum est, quicquam contra optimos codices mutandum putavimus, velut *aevum* scripsimus I, 28, *aevom* II, 49; *vivos* nominat. I, 34, *saevum* accusat. II, 50. Scripturae *voster, advorsus, vortex* similiumque nulla vel admodum pauca (*advorsus* V, 23) in his libris indicia extant. Neque *est* cum verbis in vocalem aut *m* desinentibus unquam coalescit.

Priscae antiquitatis vestigia in ipsa Ciceronis oratione servanda duxi haec: *posiverunt* V, 83 (v. Neu. l. l. p. 386) et *haec* genere feminino plural. I, 22. III, 84. IV, 36. V, 84 (v. Fleckeis. Mus. Rhen. N. VII p. 273 sqq. Neu. l. l. p. 150). *Quoius*, quo ducit V, 88 *quorum*, neglexi.

In adsimilatione, quam vocant, quod in magna ipsius codicis inconstantia mei saepe dissimilis factus sum, qui umquam in huiusmodi rebus versatus est facile excusabit. Omnino in hoc genere cum ipsius libri consuetudinem tum ea praecepta eosque fines, quibus rem vel sua vel veterum grammaticorum sententia circumscripsit Phil. Wagnerus l. l. p. 406 sqq., sequendos putavi; tribus modo rebus, quarum rationem ex Gudiano visus sum perspicere, ab illo dis-

cessi. Ac primum praepositionem saepissime non immutatam vidi, cum vis eius propria ac nativa quodammodo eminebat; deinde adnominationi hoc tributum puto, ut a volgari more recederetur; denique *in* privativum plurumis locis servatum inveni. Retinui igitur *impello* (excepto loco V, 121, ubi Gud. *inpulsi*) praeter II, 36, ubi est *plagam inponere*, et III, 33 *inpellit et incitat*, cui similia sunt III, 25 *inmittit atque incitat* (Gud.) et IV, 77 *contundam et conprimam* (Gud.); *inpulsu* quidem IV. 77 ex genere vocabulorum rariorum est. In *imponendi* verbo cum Gudiano saepius erravi; debueram, ut scripsi I, 85 *in rogum inposuerat* (sic Gud.) et V, 13 *in eculeum inpositus* (Gud. *impos.*) et V, 78 *in rogum inponitur* (Gud. *impon.*), sic scribere V, 51 *in lancem — inponat* (Gud. *imp.*); recte contra se habent *imposuit nomina* (Gud.) I, 62, *nomen imponam* (Gud. *inponam*) I, 35, *legibus impositis* (Gud.) V, 33. Scripsi porro, quorum causae iam non latent I, 61 *inprimam* (Gud.); I, 58 *inmigro* (Gud.), I. 116 *inmitto* (Gud.; V. 65 corruptum *in musicum* eodem ducit), IV, 34 *inporto* (Gud.; idem contra eundem tenendum putavi V, 29); *inpendeo* habet Gud. III, 14. 24. IV. 14, saepius idem *impendeo*, nos usquequaque priorem formam restituimus. De vv. *inligo, inlido, inruo* v. infra. Similemque vel potius contrariam rationem licet adgnoscere in verbo *efferendi*: nam *efferre ex acie* II, 38 et *effere filium* i. e. sepelire III, 70 loci significationem apertiorem habent, contra *ecferri* vel *se ecferre* i. e. vel in altum tolli vel vehementius concitari fere semper legitur: v. I, 41. 43. IV, 12. 14. 20. 37. 39. 48. 68. V, 17; semel *ecfero* i. q. *perfero* in poetae versu IV, 63. In *ad* praepositione aurium iudicium plus quam notionis vis videtur valuisse.

Namque, ut ab hac incipiam, immutatur *ad* primum ante litteram *c* in verbis *accedo, accendo, accidit, accipio, accommodo, accubo* (IV, 3) *accurate, accuso*, excepto rariore *adcretio* I, 68, in quo eodem praepositionis vis luculentius apparet; deinde ante *t* in *attendo, attinet, attingo* (II, 42 *adtingit* correctum in *attingit*), *attrecto, attribuo, attuli, (adtulisset* semel V, 20); tum ante *r* in *arripio*: contra *adrideo* I. 96; deinde ante *p* in *apparatus, apparare, appareo, appello, appono, appropinquo* (*adpropinquo* IV, 35); contra semper fere *adpetitus* et *adpeto* (*appeto* bis I, 56. IV. 66); *adprobo* et *adprobatio, adplico* (*applicem* III, 44); deinde ante *l* in *allicio, alligo* (II, 39. 53, quod debui servare), contra *adlevo* III, 71. Non

mutatur *ad* ante *f* litteram in *adfatim, adfero* (*affero* I, 79. II, 27), *adficio* et *adfectus* (*affecti* III, 11; *affici* corr. ex *adifici* III, 15), *adfingo, adfigo, adfirmo, adfligo* (*affluentius* V, 16 scriptum corrigendum putavi); deinde ante *g* in *adgnosco* (raro *agnosco*, saepius *d* vel *g* superscripta), *adgravesco;* tum ante *m* et *n* in *admiror* (*ammiror* semel atque iterum scriptum, ut III, 8. 30), *adnecto;* deinde ante *q* in *adquiro, adquiesco;* denique ante *s* in *adscisco, adscribo, adsentior, adsensio, adsentari* (*assentior* V, 32), *adsequor* (V, 39 *asequi* correctum in *assequi*), *adservare, adservire, adsidere, adsidue, adsisto, adsum, adsumo;* contra semper *aspicio* et *aspectus, ascendo, aspernor;* variatur in *adsto* et *asto* (I, 85. III, 44), *adstringo* et *astringo* (III, 13. IV, 7), *adspiro* et *aspiro* (V, 13 et 27). — Transimus ad praepositionem *in*, quae constantissime servatur ante liquidas *l* et *r*, velut *inlacrimo, inlecebrae, inlectus* (IV, 12), *inliquefactus* (IV, 20), *inligare, inlidere, inludere, inlustris* et *inlustro, inluvies, inluxit; inretio, inrideo, inruo;* inflectitur ante *m* in verbis *immineo, imminuo, immolo, immuto,* contra *inmigro* I, 58 et *inmitto* I, 116 propter causam, quam supra attulimus. Minus constat scribendi ratio ante *p* et *b;* ac nulla quidem varietas est in vv. *impedio, imperium* et *impero, impertio, impetro, impetus, impingo, implico; inploro* autem bis scriptum II, 40. III, 50, itemque *inbuo* II, 19 (ex poeta) et V, 78, nos quidem semel tenuimus duntaxat in carmine. — Privativum *in* non inflexum dedi Gudiani vel perpetuum vel frequentiorem usum secutus in *inbecillus* et *inbecillitas* (*imbecilius* V, 85, *imbecillitas* IV, 29), *inmanis* et *inmanitas* (*immanitas* IV, 66. V, 38), *inmensus, inmoderatus, inmortalis* et *inmortalitas, inparatus, inplacabilis, inpotens* et *inpotentia* (*impotens* V, 17. 60), *inprobus* (*improbus* V, 35; contra semper *improbare*), *inprovidus, inprovisus, inprudens* (*imprudens* IV, 42), *inpudens* et *inpudentia* (*impudens* III, 26), *inpunitus;* contra mutatum est in *impius* (V, 6) et *imperitus* (IV, 6. 68. V, 28). — *Con* praepositio ante *l* et *r* non mutatur in vv. *conlatio, conlatus, conloquor* et *conlocutio, conloco* et *conlocatio, conlustro, conroboro* (II, 41); sed magna varietate modo *colligere* modo *conligere* scribitur, velut IV, 78 uno enuntiato deinceps *colligunt* — *conligere*; in perfecto bis scriptum *conlegi* III. 70. IV, 80, in ceteris verbi formis fere *colligo;* equidem cum animum induxissem *conligo* scribere, si propria vi praeditum esset, sin translata, *colligo,* legi, quam mihi

ipse scripseram, fraudem saepins me invitum fecisse postea intellexi; sed *collega* quot locis invenitur — sunt autem duo V, 55. 56 — iis sic scriptum retinui. *Corrigo* et *corrumpo* numquam variantur. Inflexum est *con* ante *m* et *p* in vv. *commemoro*, *commendo*, *commentari* et *commentatio*, *committo*, *communis*, *commoveo* et *commotio*, *comparo* (semel *conparat* II, 21), *compedes*, *compello*, *comperio*, *compleo*, *complures*, *comprehendo* (semel *conprehendo* IV, 50), *comprimo*, *complecti* (I, 22 *conplexa* radendo correctum est in *complexa*, II, 11 *conplexa* a pr. m.); *conprimam* IV, 77 qno modo defendatur, supra diximus. *Coniveo* restitutum ex *conhibeo* I, 117; *conitor* ex eo, qnod Reg. praebet II, 47 *conexa* (Gud. *connexa*); *conecto* et *conubium* in Tuscnlanis non leguntur. *Coicio**) (*coitio* scriptnm) extat V, 13. — *Ex* praepositio ante *f* vel in *ec* transit, ut in *ecfari* (II, 39), *ecferri* et *se ecferre*, *ecfeminare* (II, 21. IV, 60. 64), *ecferare* (IV, 32) et *ecferitas* (restitutum ex *iceferitas* II, 20), *ecfrenate* (IV, 50) **); vel adsimilatur idqne constanter in vv. *efficio*, *effingo*, *efflare*, *effloresco*, *effluere*, *effugio*, *effundo*, *effuse* (sed *ecfusio animi* est IV, 66), *effutire*; ante *s* posita hanc ipsam hanrit litteram; rariora sunt contrarii exempla in Gndiano haec: *exsequi* I, 115, *exsequendum* III, 15, *exsecratur* I, 107, *exsilium* III, 82, *exsaturatus* V, 101, *exsuperantia* V, 105, saepins *exsto*, raro *exsisto* (IV. 24 bis). — *Ob* et *sub* praepositiones ante litteram *t* mediam fere mutant in tenuem; sic *optinere* scriptum I, 26 (sed ibidem paulo ante *obtenebis*), 40. IV, 36. V, 22. 85. 118; *optempero* III, 24. IV, 30. 53; *optorpui* III, 67; *optrecto* IV, 56 (qnamqnam id qnidem saepius *obtrecto*); *optundo* I. 80. III, 34; *supter* I, 20 (*subter* V, 4); unum vocab. *suptilis* (sic I, 55) mediam multo saepius retinet. Idem saepius ante *s* litteram factum esse, ut media mitigaretur, vestigio qnodam ex I, 86 (*possiderentur*) ducto probabile fit: v. Com. Crit. p. 29. Ante litteras *c*, *f*, *p* adsimilatio earundem tam constans est, ut semel scriprum *obfundo* (III, 82, sed *offusus* V, 6) inre mirari liceat. De v. *suscenseo* supra diximus.

Praepositionis cnm nomine conglutinatae (v. Wagner. l. l. p.

*) Praeteriens commemoro recte semper in Gud. scripta esse *abicio*, *inicio*, *obicio*, *reicio*, cetera.

**) *efferri* II, 38. IV, 20; *ecfeminato* III, 36 correctum in *effeminato*; *effeminatus* plane scriptum I, 95. II, 52, *effrenatus* IV, 12. 15.

410. 413) haec inveni exempla: *implerisque* III, 53; *suppalliolo* III, 56; singulare est *nommodo* IV, 84.

De ceteris adsimilationis generibus haec adicio, *m* ante *qu* semper servatam (*quicumque, plerumque, umquam, quamquam,* cetera), ante *d* in *n* mutatam esse (*eundem, eandem, quendam*); *d* ante *qu* inflexam (*quicquam, quicquid* [semel *quidquid* I, 32]), ante *c* retentam esse in *idcirco*.

Compendia scribendi in Gudiano haec inveniuntur:

apđ = apud
c̄ = con
cōs = consulibus
ds̄ = deus
ę = ae
ē vel ÷ = est
eē = esse
e∞ = esset
em sillabae (aut̄ = autem)
er sillabae (int̄ = inter)
en sillabae (lum̄ = lumen)
is sillabae (voƀ = vobis)
it sillabae (dix̄ = dixit)
m litterae (m̄tē = mentem)
n litterae (ī = in)
n̄ = non
n̄tr, n̄ris = noster, nostris
oms̄ = omnes, om̄a = omnia
p̄ = prae
ꝑ = per
ꝓ = pro

ṗ = post
q; vel q· = que
qđ = quod
q̶d = quid
q̇dē = quidem
qm̄ = quoniam
p. r. = populus romanus
res p. = res publica
s litterae extremae (rati' = ratis)
sc = scilicet (III, 40)
sp̄s = spiritus
ut vel ł = vel (III, 11; ułlet = vellet)
unt sillabae (ſ̄ vel ſ̄т = sunt, cadт = cadunt)
ur sillabae (vel relinquit̄ = relinquitur, vel *nat̄a* = natura)
us sillabae (vel levib; = levibus vel dixim; = diximus (V, 33) vel ei' = eius, vel anim⋊ = animus).

De singulis litteris dignum memoratu est, *i* saepius etiam in mediis vocabulis I, *y* autem ʏ, *u* denique ʜ scriptum esse; т pro *t* semper, *v* pro *u* tantum a correctore positum.

Reliquum est ut et eorum virorum, qui ante me in emendandis Tusculanis versati sunt, memoriae et eorum, qui haec legent, iudicio tantum a me tributum esse profitear, ut neque illorum laudibus imminuendis meam operam vendibiliorem facerem et vero horum aequitati non magis quam prudentiae certo confidendum putarem.

Berolini, mense Octobri anni MDCCCLXIII. **M. S.**

Corrigenda.

P. 45 l. 11 lege *decoret* pro *docoret*
- 60 l. 22 omissa est Eurypyli nota *E.*
- ibid. l. 28 l. *Aesculapi* pro *Asculapi*
- 64 l. 22 l. aspernandum pro asperandum
- 76 l. 23 l. illud pro iliud
- 84 l. 34 l. vetustate pro vestustate
- 105 l. 12 l. nobilitatis pro nobilatis
- 118 l. 17 l. 39 pro 49
- 128 l. 14 l. Itaque pro Itaqua
- 174 l. 22 l. scriptiones pro sriptiones

M. TULLI CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM
LIBRI QUINQUE.

INDEX NOTARUM.

G = Gudianus
R = Regius
Ba. = Baiterus
Bak. = Bakius
Be. = Rich. Bentleius
Buh. = Buherius
Dav. = Davisius
Ern. = Ernestius
Kl. = Reinh. Klotzius (edit. Teubn.)
Küh. = Kühnerus
La. = Lambinus
Ma. = Manucius
Madv. = Madvigius
Mo. = Moserus
Ni. = Nissenius
Or. = Io. Casp. Orellius (ed. Tur. 1829)
Ra. = Rathius
Ti. = Tischerus
Tr. = Tregderus
Vict. = Victorius
Wes. = Wesenbergius
Wo. = Fr. A. Wolfius.

M. TULLI CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM
AD M. BRUTUM
LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS
DE CONTEMNENDA MORTE.

I. Cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut 1
omnino aut magna ex parte essem aliquando liberatus, rettuli
me, Brute, te hortante maxime ad ea studia, quae retenta
animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi;
et cum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent,
ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur,
contineretur, hoc mihi Latinis litteris inlustrandum putavi, non
quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset,
sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per
se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora,
quae quidem digna statuissent in quibus elaborarent. Nam mo- 2
res et instituta vitae resque domesticas ac familiaris nos profecto
et melius tuemur et lautius, rem vero publicam nostri maiores
certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. Quid lo-
quar de re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt,
tum plus etiam disciplina. Iam illa, quae natura, non litteris
adsecuti sunt, neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt
conferenda. Quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia
magnitudo animi, probitas fides, quae tam excellens in omni ge-
nere virtus in ullis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda?
Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat, in quo 3
erat facile vincere non repugnantes. Nam cum apud Graecos
antiquissimum e doctis genus sit poëtarum, si quidem Homerus
fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante

Romulo; serius poëticam nos accepimus: annis fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio Caeci filio M. Tuditano consulibus anno ante natum Ennium, qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius. **II.** Sero igitur a nostris poëtae vel cogniti vel recepti. Quamquam est enim in Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxisset: duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus igitur honoris erat poëtis, eo minora studia fuerunt, nec tamen, si qui magnis ingeniis in eo genere extiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt.
4 An censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polyclitos et Parrhasios fuisse? Honos alit artes omnesque incenduntur ad studia gloria, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus; igitur et Epaminondas, princeps meo iudicio Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur, Themistoclesque aliquot ante annis, cum in epulis recusaret lyram, est habitus indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt discebantque id omnes, nec qui nesciebat satis excultus doctrina putabatur.
5 In summo apud illos honore geometria fuit, itaque nihil mathematicis inlustrius. At nos metiendi ratiocinandique utilitate huius artis terminavimus modum. **III.** At contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum, post autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Laelium doctos fuisse traditum est, studiosum autem eum, qui his aetate anteibat, Catonem; post vero Lepidum, Carbonem, Gracchos: inde ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur. Philosophia iacuit usque ad hanc

1. annis fere] *enim*, quod vulgo additur, a Tr. et Ba. includitur, abest a GR. — 2. Livius] *primus* addendum censuit Be. — 3. qui fuit maior-Naevius] tuentur cum optimis libris Or. Wes. Kl.; alii verba vel includunt vel delent. — 5. est enim] omissum in libris *enim* primus adieci. — 11. nec tamen, si qui] Or. Kl. Ba. prob. Wesenbergio; *nec tamen sic qui* ex GR Tr. prob. Bentleio. — 15. Polyclitos] GR; *Polygnotos* de Ma. coni. La. prob. Bentleio. — 20. annis] Ba. sec. Hand. Turs. I, p. 370sq.; *annos* vulgo cum GR. — 29. Carbonem] Beroald., libri *Catonem*.

aetatem nec ullum babuit lumen litterarum Latinarum, qnac in-
lustranda et excitanda nobis est, ut, si occupati profuimus aliquid
civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi. In qno eo 6
magis nobis est elaborandum, qnod multi iam esse libri Latini
dicuntur scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed
non satis eruditis. Fieri autem potest nt recte quis sentiat et
id, quod sentit, polite eloqui non possit; sed mandare quemquam
litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec inlustrare
possit nec delectatione aliqua allicere lectorem, bominis est in-
temperanter abutentis et otio et litteris. Itaque suos libros ipsi
legunt cnm suis nec quisquam attingit praeter eos, qui eandem
licentiam scribendi sibi permitti volunt. Quare si aliquid ora-
toriae laudis nostra attulimus industria, multo studiosins philo-
sophiae fontis aperiemus, e quibus etiam illa manabant.

IV. Sed ut Aristoteles, vir summo ingenio, scientia, copia, 7
cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere docere etiam
coepit adulescentes et prudentiam cum eloquentia iungere, sic
nobis placet nec pristinum dicendi studinm deponere et in bac
maiore et uberiore arte versari. Hanc enim perfectam pbilosophiam
semper indicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset
ornateque dicere, in quam exercitationem ita nos studiose operam
inpendimus, ut iam etiam scbolas Graecorum more babere audere-
mus. Ut nuper tuum post discessum in Tusculano, cum essent
complures mecum familiares, temptavi qnid in eo genere possem.
Ut enim antea declamitabam causas, quod nemo me diutius fecit;
sic haec mihi nunc senilis est declamatio. Ponere iubebam de
quo quis audire vellet, ad id aut sedens aut ambulans disputabam.
Itaque dierum quinque scholas, nt Graeci appellant, in totidem 8
libros contuli. Fiebat autem ita, ut, cum is, qui audire vellet,
dixisset quid sibi videretur, tum ego contra dicerem. Haec est
enim, ut scis, vetus et Socratica ratio contra alterius opinionem
disserendi: nam ita facillime quid veri simillimum esset inveniri
posse Socrates arbitrabatur. Sed quo commodius disputationes

13. laudis] cum G R Tr. Kl. Ba.; *laudi* Or. — 15. scientia, copia] de La. coni. plerique; *scientiae copia* G R. — 16. dicere docere etiam] sic Ba.; *dicere etiam* omisso *docere* G R; *dicere etiam coepit adolescentes docere* ex vett. editt. Or. — 21. operam inpendimus] de Dav. coni. ab ipso non recepta; libri, ut videntur, omnes *operam dedimus*; vulgo *operam* vel omittitur vel includitur.

nostrae explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res, non quasi narretur. Ergo ita nascetur exordium.

9 **V.** A. Malnm mihi videtur esse mors.

M. Iisne, qui mortui sunt, an iis, quibus moriendum est?

A. Utrisque.

M. Est miserum igitur, quoniam malum.

A. Certe.

M. Ergo et ii, quibus evenit iam nt morerentur, et ii, qnibus eventurum est, miseri.

A. Mihi ita videtur.

M. Nemo ergo non miser.

A. Prorsus nemo.

M. Et quidem, si tibi constare vis, omnes, quicumque nati sunt eruntve, non solum miseri, sed etiam semper miseri. Nam si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset, neminem tu qnidem eorum, qui viverent, exciperes — moriendum est enim omnibus —, esset tamen miseriae finis in morte. Quoniam autem etiam mortui miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. Necesse est enim miseros esse eos, qui centum milibus annorum ante occiderunt, vel potius omnis, quicumque nati sunt.

10 A. Ita prorsus existimo.

M. Dic, quaeso, nnm te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitns, travectio Acherontis, *mento summam aquam attingens enectus siti Tantalus?* tum illud, qnod

Sisyphus versat
Saxum sudans nitendo neque proficit hilum?

fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos et Rhadamanthus? apud quos nec te L. Crassus defendet nec M. Antonins nec, quoniam apud Graecos iudices res agetur, poteris adhibere Demosthenen: tibi ipsi pro te erit maxima corona causa dicenda. Haec fortasse metuis et idcirco mortem censes esse sempiternum malum.

VI. A. Adeone me delirare censes, ut ista esse credam?

M. An tu haec non credis?

A. Minime vero.

24. euectus siti Tantalus] ex Prisc. IX, 6, 34 et GR, nisi quod hi *tantulus; siti enecatus Tantalus* cum Wolfio Or.; versum alii aliter refinxerunt. — ibid. tum illud] GR; *num illud* Or.

M. Male hercule narras.

A. Cur? quaeso.

M. Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem.

A. Quis enim non in eiusmodi causa? aut quid negotii est 11
haec poëtarum et pictorum portenta convincere?

M. Atqui pleni libri sunt contra ista ipsa disserentium philosophorum.

A. Inepte sane. Quis enim est tam excors, quem ista moveant?

M. Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli.

A. Ita prorsus existimo.

M. Ubi sunt ergo ii, quos miseros dicis, aut quem locum incolunt? si enim sunt, nusquam esse non possunt.

A. Ego vero nusquam esse illos puto.

M. Igitur ne esse quidem?

A. Prorsus isto modo, et tamen miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sint.

M. Iam mallem Cerberum metueres quam ista tam incon- 12
siderate diceres. Quid tandem? quem esse negas, eundem esse dicis? Ubi est acumen tuum? Cum enim miserum esse dicis, eum, qui non sit, dicis esse.

A. Non sum ita hebes, ut istud dicam.

M. Quid dicis igitur?

A. Miserum esse verbi causa M. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit, miserum Cn. Pompeium, qui tanta gloria sit orbatus, omnis denique miseros, qui hac luce careant.

M. Revolveris eodem. Sint enim oportet, si miseri sunt; tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent. Si igitur non sunt, nihil possunt esse; ita ne miseri quidem sunt.

A. Non dico fortasse etiam quod sentio: nam istuc ipsum non esse, cum fueris, miserrimum puto.

M. Quid? miserius quam omnino numquam fuisse? Ita qui 13
nondum nati sunt miseri iam sunt, quia non sunt, et nos, si

17. nulli sint] GR; *nulli sunt* Or. — 19. Quid tandem? quem esse negas — dicis?] nostra est interpunctio; vulgo verba *Quid tandem?* (Or. prob. Wes. et Ba. *qui tandem?*) auditori, *quem esse — dicis* magistro tribuuntur. — 21. eum] *tum* ante *eum* vulgo ex optimis libris additum delevit cum Bakio Ti.

post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus ante quam nati. Ego autem non commemini, antequam sum natus, me miserum; tu si meliore memoria es, velim scire ecquid de te recordere.

VII. A. Ita iocaris, quasi ego dicam eos miseros, qui nati non sint, et non eos miseros, qui mortui sunt.

M. Esse ergo eos dicis.

A. Immo, quia non sint, cum fuerint, eo miseros esse.

M. Pugnantia te loqui non vides? Quid enim tam pugnat quam non modo miserum, sed omnino quicquam esse qui non sit? An tu egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos?

A. Quoniam me verbo premis, posthac non ita dicam *miseros esse,* sed tantum *miseros,* ob id ipsum, quia non sint.

M. Non dicis igitur *miser est M. Crassus,* sed tantum *miser M. Crassus.*

A. Ita plane.

14 M. Quasi non necesse sit, quicquid isto modo pronunties, id aut esse aut non esse. An tu dialecticis ne imbutus quidem es? In primis enim hoc traditur: omne pronuntiatum — sic enim mihi in praesentia occurrit ut appellarem ἀξίωμα; utar post alio, si invenero melius —, id ergo est pronuntiatum, quod est verum aut falsum. Cum igitur dicis *miser M. Crassus,* aut hoc dicis: *miser est Crassus,* ut possit iudicari verum id falsumne sit, aut nihil dicis omnino.

A. Age, iam concedo non esse miseros, qui mortui sint, quoniam extorsisti ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse. Quid? qui vivimus, cum moriendum sit, nonne miseri sumus? Quae enim potest in vita esse iucunditas, cum dies et noctes cogitandum sit iam iamque esse moriendum?

15 **VIII.** M. Ecquid ergo intellegis quantum mali de humana condicione deieceris?

---

6. et non eos miseros] GR; alterum *miseros* omittunt cum Buherio Or. Kl. — qui mortui sunt] cum GR Or. Tr.; *mortui sint* de Wes. sent. Ba. — 8. quia non sint] GR; *non sunt* Or. et hoc loco et infra 14. — 24. Crassus] *M.* praenomen addunt plerique; omitt. GR. — 26. mortui sint] GR; *mortui sunt* Or. — 32. Ecquid] Or. ceteri; *ecqui* Tr. cum codd. plerisque.

A. Quonam modo?

M. Quia, si mori etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus in vita; nunc video calcem, ad quam cum sit decursum, nihil sit praeterea extimescendum. Sed tu mihi videris Epicharmi, acuti nec insulsi hominis ut Siculi, sententiam sequi.

A. Quam? non enim novi.

M. Dicam, si potero, Latine: scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere quam in Graeco Latine.

A. Et recte quidem. Sed quae tandem est Epicharmi ista sententia?

M. *Émori noló, sed me esse mórtuum nihil aéstimo.*

A. Iam adgnosco Graecum. Sed quoniam coëgisti ut concederem, qui mortui essent, eos miseros non esse, perfice, si potes, ut ne moriendum quidem esse miserum putem.

M. Iam istuc quidem nihil negotii est, sed etiam maiora molior. 16

A. Quo modo hoc nihil negotii est aut quae sunt tandem ista maiora?

M. Quia, quoniam post mortem mali nihil est, ne mors quidem est malum, cui proxumum tempus est post mortem, in quo mali nihil esse concedis; ita ne moriendum quidem esse malum est: id est enim perveniendum esse ad id, quod non esse malum confitemur.

A. Uberius ista, quaeso: haec enim spinosiora prius ut confitear me cogunt quam ut adsentiar. Sed quae sunt ea, quae dicis te maiora moliri?

M. Ut doceam, si possim, non modo malum non esse, sed bonum etiam esse mortem.

A. Non postulo id quidem, aveo tamen audire. Ut enim non efficias quod vis, tamen mors ut malum non sit efficies. Sed nihil te interpellabo: continentem orationem audire malo.

M. Quid? si te rogavero aliquid, non respondebis? 17

---

3. in vita] suspectum Davisio includit Ba. — 12. nihil aestimo] libri Mss.; *nihili* de sent. Wesenbergii Ba. — 16. etiam maiora] *etiam* de Wes. sent. delet Ba.; in optimis libris vv. *sed etiam maiora molior* omissa sunt. — 20. mali nihil est] ex Bern. Wes. Ba.; *nihil est mali* Or.; *nihil est* omitt. GR. — 32. non respondebis] Or.; *nonne resp.* cum GR Tr. Kl. Ba.

A. Superbum id quidem est, sed, nisi quid necesse erit, malo non roges.

IX. M. Geram tibi morem et ea, quae vis, ut potero, explicabo, nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa quae dixero, sed ut homunculus unus e multis, probabilia coniectura sequens. Ultra enim quo progrediar quam ut veri similia videam non habeo; certa dicent ii, qui et percipi ea posse dicunt et se sapientis esse profitentur.

A. Tu, ut videtur; nos ad audiendum parati sumus.

18 M. Mors igitur ipsa, quae videtur notissima res esse, quid sit primum est videndum. Sunt enim qui discessum animi a corpore putent esse mortem; sunt qui nullum censeant fieri discessum, sed una animum et corpus occidere animumque in corpore extingui. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper. Quid sit porro ipse animus aut ubi aut unde magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo *excordes*, *vaecordes* *concordes*que dicuntur et Nasica ille prudens bis consul *Corculum* et

Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus.

19 Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem. Aliis pars quaedam cerebri visa est animi principatum tenere. Aliis nec cor ipsum placet nec cerebri quandam partem esse animum, sed alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum. Animum autem alii animam, ut fere nostri. Declarant nomina: nam et *agere animam* et *efflare* dicimus et *animosos* et *bene animatos* et *ex animi sententia;* ipse autem animus ab anima dictus est. Zenoni Stoico animus ignis videtur. **X.** Sed haec quidem, quae dixi, cor, cerebrum, animam, ignem volgo; reliqua fere singuli: ut nonnulli ante veteres, proxime autem Aristoxenus, musicus idemque philosophus, ipsius corporis intentionem quandam: velut in cantu et fidibus quae harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri tamquam

2. non roges] GR; *ne roges* Or. — 24. Declarant nomina] sic nos primum; *declarant nomen* GR; *nostri declarant nomine* Or.; *declarat nomen* Tr. Ba. — 25. et animosos — sententia] GR defensa a Kl.; vulgo verba uncis includuntur. — 28. cor] addit *sanguinem* Or. — 29. nonnulli ante veteres] de nostra coni.; *multi ante veteres* cum GR Or. Kl.; *multo ante veteres* de Bentlei coni. Tr. Ba.

in cantu sonos. Hic ab artificio suo non recessit et tamen dixit 20
aliquid, quod ipsum quale esset erat multo ante et dictum et explanatum a Platone. Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse ullum, numerum dixit esse, cuius vis, ut iam ante Pythagorae visum erat, in natura maxuma esset. Eius doctor Plato triplicem finxit animum, cuius principatum, id est rationem, in capite sicut in arce posuit et duas partes ei parere voluit, iram et cupiditatem, quas locis suis, iram in pectore, cupiditatem supter praecordia locavit. Dicaearchus autem in eo sermone, 21
quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium primo libro multos loquentes facit; duobus Pherecraten quendam Phthiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omnino animum et hoc esse nomen totum inane frustraque animalia et animantis appellari: neque in homine inesse animum vel animam nec in bestia, vimque omnem eam, qua vel agamus quid vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam nec separabilem a corpore esse, quippe quae nulla sit nec sit quicquam nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat. Aristoteles longe omnibus — Platonem semper excipio — prae- 22
stans et ingenio et diligentia, cum quattuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orerentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim et providere, et discere et docere, et invenire aliquid et tam multa alia meminisse, amare odisse, cupere timere, angi laetari, haec et similia eorum in horum quattuor generum inesse nullo putat: quintum genus adhibet vacans nomine et sic ipsum animum *ἐνδελέχειαν* appellat novo nomine quasi quandam continuatam motionem et perennem.

---

3. corpus negavit esse ullum] de Manutii coni. Wes.; *corpus negavit esse verum (numerum dixit esse)* ex G R Or.; *corpus negavit esse, merum (num. dixit esse)* Be.; *corpus negavit esse verum, numerum dixit esse* Kl. Ba.; *verum* delendum censet O. Heinius. — 7. ei parere] de Dav. coni. Kl. Ba.; *separare* G R; *parere* omisso *ei* Or. Tr.; *ei duas partes parere* ex Davisiana altera volebat Mo. — 8. locis suis] ex Eliensi 3 et nonnullis editt. vett. Dav. Ba.; vulgo *locis disclusit*, sed *disclusit* omissum in G manus recentissima addidit in R. — 24. tam multa alia meminisse] sic interpunctionem de nostra sent. mutavit Ti.; vulgo *et invenire aliquid et tam multa alia, meminisse amare* etqs.; O. Heinius coni. *invenire aliquid et meminisse, et tam multa alia.*

XI. Nisi quae me forte fugiunt, haec sunt fere de animo sententiae. Democritum enim, magnum illum quidem virum, sed levibus et rutundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito omittamus: nihil est enim apud istos, quod non
23 atomorum turba conficiat. Harum sententiarum quae vera sit deus aliqui viderit; quae veri simillima, magna quaestio est. Utrum igitur inter has sententias diiudicare malumus an ad propositum redire?

A. Cuperem equidem utrumque, si posset, sed est difficile confundere. Quare si, ut ista non disserantur, liberari mortis metu possumus, id agamus; sin id non potest nisi hac quaestione animorum explicata, nunc, si videtur, hoc, illud alias.

M. Quod malle te intellego, id puto esse commodius. Efficiet enim ratio, ut, quaecumque vera sit earum sententiarum, quas exposui, mors aut malum non sit aut
24 sit bonum potius. Nam si cor aut sanguis aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore; si anima est, fortasse dissipabitur; si ignis, extinguetur; si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur. Quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest: pariter enim cum vita sensus amittitur; non sentientis autem nihil est ullam in partem quod intersit. Reliquorum sententiae spem adferunt, si te hoc forte delectat, posse animos, cum e corporibus excesserint, in caelum quasi in domicilium suum pervenire.

A. Me vero delectat, idque primum ita esse velim, deinde, etiam si non sit, mihi persuaderi tamen velim.

M. Quid tibi ergo opera nostra opus est? num eloquentia Platonem superare possumus? Evolve diligenter eius eum librum, qui est *de animo,* amplius quod desideres nihil erit.

A. Feci mehercule et quidem saepius, sed nescio quo modo, dum lego, adsentior, cum posui librum et mecum ipse de inmortalitate animorum coepi cogitare, adsensio omnis illa elabitur.

25 M. Quid hoc? dasne aut manere animos post mortem aut morte ipsa interire?

A. Do vero.

---

14. quaecumque vera sit] GR; *vera est* de coni. Tr.

M. Quid, si maneant?

A. Beatos esse concedo.

M. Sin intereant?

A. Non esse miseros, quoniam ne sint quidem: iam istuc coacti a te paulo ante concessimus.

M. Quo modo igitur aut cur mortem malum tibi videri dicis, quae aut beatos nos efficiet animis manentibus aut non miseros sensu carentis?

XII. A. Expone igitur, nisi molestum est, primum, si 26
potes, animos remanere post mortem; tum, si minus id optinebis — est enim arduum —, docebis carere omni malo mortem. Ego enim istuc ipsum vereor ne malum sit, non dico carere sensu, sed carendum esse.

M. Auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis optineri, uti optimis possumus, quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum: et primum quidem omni antiquitate, quae quo propius aberat a primo ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.

Itaque unum illud erat insitum in primis illis, quos *cascos* 27
appellat Ennius, esse in morte sensum neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret; idque cum multis aliis rebus tum e pontificio iure et e caerimoniis sepulcrorum intellegi licet, quas maxumis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haereret in eorum mentibus mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in caelum soleret esse, in ceteris humi retineretur, ut permanerent tamen. Ex hoc et nostro- 28
rum opinione *Romulus in caelo cum dis agit aevum*, ut famae adsentiens dixit Ennius, et apud Graecos indeque perlapsus ad nos et usque ad Oceanum Hercules tantus et tam praesens habetur deus; hinc Liber Semela natus eademque famae celebritate Tyndaridae fratres, qui non modo adiutores in proeliis victoriae

4. iam istuc] recepi ex optimis libris; vulgo *nam istud* vel *istuc*. — 17. a primo ortu] de nostra coni.; vulgo *ab ortu*. — 19. in primis] sic emendavi quod vulgo editur (*insitum*) *priscis*. — 28. humi retineretur ut permanerent tamen] sic nos; *et permaneret tamen* e GR Or. Tr. Kl. Ba.; alii aliter.

populi Romani, sed etiam nuntii fuisse perhibentur. Quid? Ino Cadmi filia nonne Λευκοθέα nominata a Graecis Matuta habetur a nostris? Quid? totum prope caelum, ne pluris persequar, nonne
29 humano genere completum est? **XIII.** Si vero scrutari vetera et ex iis ea, quae scriptores Graeciae prodiderunt, eruere coner, ipsi illi maiorum gentium di qui habentur hinc a nobis profecti in caelum reperientur. Quaere quorum demonstrentur sepulcra in Graecia; reminiscere, quoniam es initiatus, quae tradantur mysteriis: tum denique quam hoc late pateat intelleges. Sed qui nondum ea, quae multis post annis tractari coepta sunt, physica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum natura admonente cognoverant, rationes et causas rerum non tenebant: visis quibusdam saepe movebantur iisque maxime nocturnis, ut viderentur ei, qui vita excesserant, vivere.

30 Ut porro firmissimum hoc adferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit inmanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio: — multi de dis prava sentiunt (id enim vitioso more effici solet), omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur, nec vero id conlocutio hominum aut consessus effecit, non institutis opinio est confirmata, non legibus; omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est — quis est igitur qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur? Tolle hanc opinionem, luctum sustuleris. Nemo enim maeret suo incommodo: dolent fortasse et anguntur; sed illa lugubris lamentatio fletusque maerens ex eo est, quod eum, quem dileximus, vitae commodis privatum arbitramur idque sentire. Atque haec ita sentimus natura duce, nulla ratione nullaque doctrina.

31 **XIV.** Maximum vero argumentum est naturam ipsam de

---

6. a nobis] Or.; *nobis* GR; delevit Ba. — 7. demonstrentur] Wo. ex August. de Cons. Ev. I, 23; *demonstrantur* cum GR Or. — 8. tradantur] e GR Tr. Kl. Ba.; *traduntur* Or. — 10. tractari coepta sunt] de Madv. et Keilii Lignit. coni. Tr. Ba.; *tractari coepissent* e GR Or.; *tractare coepissent* Kl. — 16. tam sit inmanis] ex codd. aliquot Or. ceteri; *tam est inm.* de Madv. coni. Tr.; *fit* GR. — 20. consessus] emendarunt Buh. et Ni.; vulgo *consensus*; uncis inclusit verba *aut consensus* Ba. — 28. Atque haec] GR; *hoc* Or. prob. Wes.

inmortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curae sunt
et maxumae quidem, quae post mortem futura sint. Serit arbores,
quae alteri saeclo prosint, ut ait ille in Synephebis, quid spectans
nisi etiam postera saecula ad se pertinere? Ergo arbores seret
diligens agricola, quarum aspiciet bacam ipse numquam; vir
magnus leges, instituta, rem publicam non seret? Quid procreatio
liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptationes filiorum, quid
testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, elogia
significant nisi nos futura etiam cogitare? Quid? illud num dubi- **32**
tas, quin specimen naturae capi deceat ex optima quaque natura?
Quae est melior igitur in hominum genere natura quam eorum,
qui se natos ad homines iuvandos, tutandos, conservandos
arbitrantur? Abiit ad deos Hercules: numquam abisset, nisi,
cum inter homines esset, eam sibi viam munivisset. **XV.** Vetera
iam ista et religione omnium consecrata; quid in hac re publica
tot tantosque viros ob rem publicam interfectos cogitasse arbi-
tramur? isdemne ut finibus nomen suum quibus vita terminare-
tur? Nemo umquam sine magna spe inmortalitatis se pro patria
offerret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epa- **33**
minondae, licuit, ne et vetera et externa quaeram, mihi; sed
nescio quo modo inhaeret in mentibus quasi saeclorum quoddam
augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque ani-
mis et existit maxime et apparet facillime. Quo quidem dempto
quis tam esset amens qui semper in laboribus et periculis viveret?
Loquor de principibus; quid poëtae? nonne post mortem nobili- **34**
tari volunt? Unde ergo illud

Aspicite, o cives, senis Enni imaginis formam:
Hic vestrum panxit maxima facta patrum.?

Mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres adfecerat gloria;
idemque

Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu
Faxit. Cur? volito vivos per ora virum.

---

3. ut ait ille] ex cod. Angustano prob. Wes.; vulgo cum GR *ut ait* omisso *ille*; *ut ait Statius* Ba. — 7. adoptationes] GR (v. Kritz. ad Sall. Iug. XI, 6); *adoptiones* Ba. — 8. monumenta, elogia] cum optimis libris Kl.; *quid elogia* Or.; uncis includunt *monumenta* Tr. Ba. — 9. Quid? illud num dubitas] mutavi interpunctionem; vulgo *Quid illud? num dubitas* (v. Schol. Lat. I §. 27). — 28. panxit] ex nonnullis codd. Or. Kl. Ba. prob. Bentleio; *pinxit* cum GR Tr. — 31. decoret nec — Faxit] cum GR omittit Tr.

Sed quid poëtas? opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clupeo Minervae, cum inscribere nomen non liceret? Quid nostri philosophi? nonne in iis libris ipsis, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina
35 inscribunt? Quod si omnium consensus naturae vox est omnesque, qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid quod ad eos pertineat, qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est, et si, quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sint, cernere naturae vim maxume, veri simile est, cum optumus quisque maxume posteritati serviat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus.

36 **XVI.** Sed ut deos esse natura opinamur qualesque sint ratione cognoscimus, sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium; qua in sede maneant qualesque sint ratione discendum est. Cuius ignoratio finxit inferos easque formidines, quas tu contemnere non sine causa videbare. In terram enim cadentibus corporibus iisque humo tectis, e quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum. Quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt,
37 quos auxerunt poëtae. Frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculae et pueri, movetur audiens tam grande carmen:

Ádsum atque advenio Ácherunte víx via alta atque árdua
Pér speluncas sáxis structas ásperis, pendéntibus,
Máxumis, ubi rígida constat crássa caligo ínferum;

tantumque valuit error, qui mihi quidem iam sublatus videtur, ut, corpora cremata cum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quae sine corporibus nec fieri possent nec intellegi. Animos enim per se ipsos viventis non poterant mente complecti: formam aliquam figuramque quaerebant. Inde Homeri tota *νεκυία*; inde ea, quae meus amicus Appius *νεκυομαντεῖα* faciebat; inde in vicinia nostra Averni lacus,

---

3. inscribere nomen] de Ern. coni. probata Wesenbergio Ba.; vulgo *nomen* omittitur. — 7. cesserint] cum GR Tr. Kl. Ba.; *cesserunt* Or. — 8. arbitramur] Or. Ba. prob. Wes.; vulgo cum GR *arbitrabimur*. — 9. optima sint] GR; *sunt* Or. — 27. possent] GR; *possunt* de Ern. coni. Ba. — 30. νεκυομαντεῖα] Dav.; *νεκρομαντεῖα* Or.; NEPCY*omantia* R, *nepsyomantia* G.

Únde animae excitántur obscura úmbra aperto ex óstio
Áltae Acheruntis cássae sanguine mórtuorum imágines.

Has tamen imagines loqui volunt, quod fieri nec sine lingua nec
sine palato nec sine faucium, laterum, pulmonum vi et figura
potest. Nihil enim animo videre poterant, ad oculos omnia re-
ferebant. Magni autem est ingenii sevocare mentem a sensibus **38**
et cogitationem ab consuetudine abducere. Itaque credo equidem
etiam alios tot saeculis, sed, quod litteris constet, Pherecydes
Syrius primum dixit animos esse hominum sempiternos, antiquus
sane: fuit enim meo regnante gentili. Hanc opinionem discipulus
eius Pythagoras maxime confirmavit, qui cum Superbo regnante
in Italiam venisset, tenuit magnam illam Graeciam cum honore
disciplinae tum etiam auctoritate, multaque saecula postea sic viguit
Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur. **XVII.** Sed
redeo ad antiquos. Rationem illi sententiae suae non fere redde-
bant, nisi quid erat numeris aut descriptionibus explicandum.
Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse **39**
et didicisse Pythagorea omnia, primumque de animorum aeter-
nitate non solum sensisse idem quod Pythagoram, sed rationem
etiam attulisse. Quam, nisi quid dicis, praetermittamus et hanc
totam spem inmortalitatis relinquamus.

A. An tu, cum me in summam expectationem adduxeris, deseris? Errare mehercule malo cum Platone, quem tu quanti facias scio et quem ex tuo ore admiror, quam cum istis vera sentire.

M. Macte virtute! ego enim ipse cum eodem isto non in- **40**
vitus erraverim. Num igitur dubitamus? an sicut pleraque —

---

1. aperto ex ostio] de Madv. coni.; *apertae hostio* GR; vulgo antea *aperto ostio.* — 2. Altae] Kl.; *alte* GR; vulgo *alti.* — cassae — imagines] Orellii coni. ab ipso spreta; vulgo *salso* aut *falso sanguine;* Be. coni. *fuso sanguine; imagines mortuorum* GR. — 6. sevocare] ex Augustino Dav. prob. Wes. et Ba.; vulgo cum libris *revocare.* — 8. constet] ita nos; libri *exstet; in litteris extet* Wes. — 9. primum] GR.; *primus* Ba. — 12. honore disciplinae] cum La. Or.; honore disciplina GR., alii codd. *honore et disciplina;* plures *honore* deleri volunt. — 22. An tu] GR; *ain tu?* Or. — 26. eodem isto] de coni. Wes.; vulgo ex GR *eodem ipso;* alii volebant *eodem illo.* — 27. Num igitur dubitamus? an sicut pleraque — quamquam] ita GR; alii addunt post *pleraque* — *sic et hoc; an* cum Ern. abiecerunt Or. Tr. Ba.

quamquam hoc quidem minime: persuadent enim mathematici, terram in medio mundo sitam ad universi caeli complexum quasi puncti instar optinere, quod κέντρον illi vocant; eam porro naturam esse quattuor omnia gignentium corporum, ut, quasi partita habeant inter se ac divisa momenta, terrena et umida suopte nutu et suo pondere ad paris angulos in terram et in mare ferantur, reliquae duae partes, una ignea, altera animalis, ut illae superiores in medium locum mundi gravitate ferantur et pondere, sic hae rursum rectis lineis in caelestem locum subvolent, sive ipsa natura superiora adpetente sive quod a gravioribus leviora natura repellantur. Quae cum constent, perspicuum debet esse animos, cum e corpore excesserint, sive illi sint animales id
41 est spirabiles, sive ignei, sublime ferri. Si vero aut numerus quidam est animus, quod suptiliter magis quam dilucide dicitur, aut quinta illa voce nominata magis quam animo intellecta natura, multo etiam integriora ac puriora sunt, ut a terra longissime se ecferant. Horum igitur aliquid dabimus, ne tam vegeta mens aut in corde cerebrove aut in Empedocleo sanguine demersa iaceat. **XVIII.** Dicaearchum vero cum Aristoxeno aequali et condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus: quorum alter ne condoluisse quidem umquam videtur, qui animum se habere non sentiat, alter ita delectatur suis cantibus, ut eos etiam ad haec transferre conetur. Harmoniam autem ex intervallis sonorum nosse possumus, quorum varia compositio etiam harmonias efficit pluris; membrorum vero situs et figura corporis vacans animo quam possit harmoniam efficere non video. Sed hic quidem, quamvis eruditus sit, sicut est, haec magistro concedat Aristoteli, canere ipse doceat: bene enim illo Graecorum proverbio praecipitur:

Quam quisque norit ártem, in hac se exérceat.

42 Illam vero funditus eiciamus individuorum corporum levium et rutundorum concursionem fortuitam, quam tamen Democritus con-

---

5. terrena] *ut* ante *terrena* addit Or. — 9. rursum] GR; *sursum* Or. — 14. quidam est] de Madv. coni. Tr. Kl. Ba.; vulgo *quidam sit.* — 15. voce nominata—animo intellecta] sic emendavi scripturam optimorum codd. *non nominata — non intellecta; quam intellecta* deleta negatione Wo.; Ra. volebat *nominata magis quam intellecta.* — 17. dabimus] de nostra coni.; vulgo *animus est;* GR *animus* omisso *est;* Wes. *animus sit nec — iaceat* (*nec* cum GR).

calefactam et spirabilem, id est animalem, esse volt. Is autem animus, qui si est horum quattuor generum, ex quibus omnia constare dicuntur, ex inflammata anima constat, ut potissimum videri video Panaetio, superiora capessat necesse est. Nihil enim habent haec duo genera proni et supera semper petunt. Ita sive dissipantur, procul a terris id evenit; sive permanent et conservant habitum suum, hoc etiam magis necesse est ferantur ad caelum et ab iis perrumpatur et dividatur crassus hic et concretus aër, qui est terrae proximus. Calidior est enim vel potius ardentior animus, quam est hic aër, quem modo dixi crassum atque concretum: quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra terreno principiorum genere confecta ardore animi concalescunt.

XIX. Accedit ut eo facilius animus evadat ex hoc aëre, **43**
quem saepe iam appello, eumque perrumpat, quod nihil est animo velocius: nulla est certe celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere. Qui si permanet incorruptus suique similis, necesse est ita feratur, ut penetret et dividat omne caelum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur, quod et umidum et caliginosum est propter exalationes terrae. Quam regionem cum superavit animus naturamque sui similem contigit et adgnovit, iunctis ex anima tenui et ex ardore solis temperato ignibus insistit et finem altius se ecferendi facit. Tum enim sui similem et levitatem et calorem adeptus tamquam paribus examinatus ponderibus nullam in partem movetur, eaque ei demum naturalis est sedes, cum ad sui simile penetravit, in quo nulla re egens aletur et sustentabitur isdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur.

Cumque corporis facibus inflammari soleamus ad omnis fere **44**
cupiditates eoque magis incendi, quod iis aemulemur, qui ea habeant, quae nos habere cupiamus; profecto beati erimus, cum corporibus relictis et cupiditatum et aemulationum erimus expertes, quodque nunc facimus, cum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus et visere, id multo tum faciemus liberius totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus, propterea quod et natura inest in mentibus nostris insatiabilis quaedam cu-

---

15. certe celeritas] *certe* nos addidimus; nonnullae vett. editt. *nulla est enim*. — 22. Tum enim — adeptus] de Be. coni. Dav.; GR. *cum — adeptus* omisso *est*; alii *cum — adeptus est*.

piditas veri videndi et orae ipsae locorum illorum, quo pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum caelestium, eo
45 maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt. Haec enim pulchritudo etiam in terris patritam illam et avitam, ut ait Theophrastus, philosophiam cognitionis cupiditate incensam excitavit. Praecipue vero fruentur ea qui tum etiam, cum has terras incolentes circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant. **XX.** Etenim si nunc aliquid adsequi se putant, qui ostium Ponti viderunt et eas angustias, per quas penetravit ea, quae est nominata

Argó, quia Argivi in ea delecti viri
Vecti petebant péllem inauratam árietis,

aut ii, qui Oceani freta illa viderunt,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda;

quod tandem spectaculum fore putamus, cum totam terram contueri licebit eiusque cum situm, formam, circumscriptionem, tum et habitabiles regiones et rursum omni cultu propter vim frigoris
46 aut caloris vacantis? Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus: neque est enim ullus sensus in corpore, sed, ut non physici solum docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt, viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad auris, ad naris a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti apertis atque integris et oculis et auribus nec videmus nec audimus, ut facile intellegi possit animum et videre et audire, non eas partis, quae quasi fenestrae sint animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat et adsit. Quid? quod eadem mente res dissimillimas comprendimus, ut colorem saporem, calorem odorem sonum, quae numquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur et is omnium iudex solus esset. Atque ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, cum quo natura fert
47 liber animus pervenerit. Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersaepta quodammodo; cum autem nihil erit praeter animum,

1. veri videndi] GR; *visendi* Or. deceptus testimonio Buherii. — 4. patritam] e Nonio Ma.; *patriam* cum GR Or. prob. Be. — 25. fenestrae sint] GR; *sunt* Or.

nulla res obiecta impediet quo minus percipiat quale quidque sit.
XXI. Quamvis copiose haec diceremus, si res postularet, quam
multa, quam varia, quanta spectacula animus in locis caelestibus
esset habiturus. Quae quidem cogitans soleo saepe mirari non- **48**
nullorum insolentiam philosophorum, qui naturae cognitionem ad-
mirantur eiusque inventori et principi gratias exultantes agunt
eumque venerantur ut deum: liberatos enim se per eum dicunt
gravissimis dominis, terrore sempiterno et diurno ac nocturno
metu. Quo terrore? quo metu? quae est anus tam delira quae
timeat ista, quae vos videlicet, si physica non didicissetis, time-
retis, '*Acherunsia templa alta Orci, pallida leti, obnubila tene-
bris loca?*' Non pudet philosophum in eo gloriari, quod haec non
timeat et quod falsa esse cognoverit? E quo intellegi potest
quam acuti natura sint, quoniam haec sine doctrina credituri fue-
runt. Praeclarum autem nescio quid adepti sunt, quod didicerunt **49**
se, cum tempus mortis venisset, totos esse perituros. Quod ut
ita sit — nihil enim pugno —, quid habet ista res aut laetabile
aut gloriosum? Nec tamen mihi sane quicquam occurrit cur non
Pythagorae sit et Platonis vera sententia. Ut enim rationem
Plato nullam adferret — vide quid homini tribuam —, ipsa
auctoritate me frangeret; tot autem rationes attulit, ut velle
ceteris, sibi certe persuasisse videatur.

XXII. Sed plurimi contra nituntur animosque quasi capite **50**
damnatos morte multant, neque aliud est quicquam cur incredi-
bilis iis animorum videatur aeternitas, nisi quod nequeunt qualis
animus sit vacans corpore intellegere et cogitatione comprehen-
dere. Quasi vero intellegant qualis sit in ipso corpore, quae con-
formatio, quae magnitudo, qui locus, aut, si iam possent in homine
vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum
videatur animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem.
Haec reputent isti, qui negant animum sine corpore se intellegere **51**
posse: videbunt, quem in ipso corpore intellegant. Mihi quidem
naturam animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio, multo
obscurior, qualis animus in corpore sit tamquam alienae domui,

1. quidque sit] GR; *quidque est* de Bak. sent. Ti. — 11. leti, obnubila] GR *letio nubila;* Or. *leti, nubila.* — 14. quoniam — fuerunt] GR; *qui — fuerint* Or. — 28. aut] de La. coni. Wes. Ba.; *ut* GR; *vel* Kl. — 33. multo] GR; *multoque* Or. — 34. domui] cum GR Kl. Ba.; *domi* Or. Tr.

quam qualis, cum exierit et in liberum caelum quasi domum
suam venerit. Si enim quod numquam vidimus, id quale sit in-
tellegere non possumus, certe nec deum ipsum nec divinum animum
corpore liberatum cogitatione complecti possumus. Dicaearchus
quidem et Aristoxenus, quia difficilis erat animi quid aut qualis
52 esset intellegentia, nullum omnino animum esse dixerunt. Est
illud quidem vel maxumum animo ipso animum videre et nimirum
hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet ut se quisque
noscat. Non enim, credo, id praecipit, ut membra nostra aut
staturam figuramve noscamus: neque nos corpora sumus nec ego
tibi haec dicens corpori tuo dico; cum igitur *Nosce te* dicit,
hoc dicit: *Nosce animum tuum*. Nam corpus quidem quasi vas
est aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quicquid agi-
tur, id agitur a te. Hunc igitur nosse nisi divinum esset, non
esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum tributum deo; adeo
arduum est hoc se ipsum posse cognoscere.

53 Sed si qualis sit animus ipse animus nesciet, dic, quaeso,
ne esse quidem se sciet? ne moveri quidem se? Ex quo illa ratio
nata est Platonis, quae a Socrate est in Phaedro explicata, a me
autem posita est in sexto libro de Re publica: **XXIII.** 'Quod
semper movetur, aeternum est; quod autem motum adfert alicui
quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vi-
vendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod se ipsum
movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem
desinit; quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc prin-
54 cipium est movendi. Principii autem nulla est origo: nam e prin-
cipio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest:
nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si
numquam oritur, ne occidit quidem umquam: nam principium ex-
tinctum nec ipsum ab alio renascetur nec ex se aliud creabit,
si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit ut motus

---

2. Si enim — intellegere non possumus, certe nec deum ipsum nec div. animum — possumus] de nostra coni., vulgo *Nisi — non possumus, certe et deum ipsum et div. an.* — *possumus* cum GR. — 15. tributum deo: adeo arduum est] ita supplevi maneam, ut videtur, optimorum librorum scripturam *tributum a deo sit;* vulgo *tributum deo* omissis reliquis verbis; Or. *sic ut tributum deo sit.* — 22. aliunde] de Wes. sent. Ba.; vulgo cum GR *alicunde.* — 30. ex se] *ex* additum ex Macrobio GR omittunt.

principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur; id autem nec nasci potest nec mori, ut non concidat omne caelum omnisque natura consistat necesse sit nec vim ullam nanciscatur, qua a primo impulsa moveatur. Cum pateat igitur aeternum id esse, quod se ipsum moveat, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est propria natura animi atque vis, quae si est una ex omnibus quae se ipsa moveat, neque nata certe est et aeterna 55 est.' Licet concurrant omnes plebeii philosophi — sic enim ii, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur —, non modo nihil umquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum quam suptiliter conclusum sit intellegent. Sentit igitur animus se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri, nec accidere posse ut ipse umquam a se deseratur; ex quo efficitur aeternitas, nisi quid habes ad haec.

A. Ego vero facile sum passus ne in mentem quidem mihi aliquid contra venire: ita isti faveo sententiae.

XXIV. M. Quid? illa tandem num leviora censes, quae 56 declarant inesse in animis hominum divina quaedam? quae si cernerem quemadmodum nasci possent, etiam quemadmodum interirent viderem. Nam sanguinem bilem pituitam, ossa nervos venas, omnem denique membrorum et totius corporis figuram videor posse dicere unde concreta et quomodo facta sint; animum ipsum, si nihil esset in eo nisi id, ut per eum viveremus, tam natura putarem hominis vitam sustentari, quam vitis, quam arboris: haec enim etiam dicimus vivere. Item si nihil haberet animus hominis, nisi ut adpeteret aut fugeret, id quoque esset ei commune cum bestiis. Sed habet primum memoriam et 57 eam infinitam rerum innumerabilium, quam quidem Plato recordationem esse volt vitae superioris. Nam in illo libro, qui inscribi-

2. ut non concidat — necesse sit] sic emendavi vulgatam script. *vel concidat — necesse est.* — 3. a primo] *a* additum ex Macrobio GR omittunt. — 9. se ipsa] delevi quod vulgo ex GR additur *semper*, ortum, ut videtur, ex dittographia *ipsa sam;* inclusit de Wes. sent. Ba. — 18. sum passus] Or. prob. Wes.; *sim passus* cum GR Dav. Tr. Kl. — 30. sed habet] particulam adieci ex cod. Augustano.

tur Menon, pusionem quendam Socrates interrogat quaedam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet ut puer, et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quo si geometrica didicisset. Ex quo effici volt Socrates ut discere nihil aliud sit nisi recordari. Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita: docet enim quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem declarare se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere, nec vero fieri ullo modo posse ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas *ἐννοίας* vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset. Cumque nihil esset, ut omnibus
58 locis a Platone disseritur — nihil enim putat esse, quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, quale est: *ἰδέαν* appellat ille, nos speciem —, non potuit animus haec corpore inclusus adgnoscere, cognita attulit: ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea plane videt animus, cum repente in tam insolitum tamque perturbatum domicilium inmigravit, sed, cum se collegit atque recreavit, tum adgnoscit
59 ea reminiscendo. Ita nihil est aliud discere nisi recordari. — Ego autem maiore etiam quodam modo memoriam admiror. Quid est enim illud, quo meminimus, aut quam habet vim aut unde natam? Non quaero quanta memoria Simonides fuisse dicatur, quanta Theodectes, quanta is, qui a Pyrrho legatus ad senatum est missus, Cineas, quanta nuper Charmadas, quanta, qui modo fuit, Scepsius Metrodorus, quanta noster Hortensius; de communi hominum memoria loquor et eorum maxume, qui in aliquo maiore studio et arte versantur, quorum quanta mens sit difficile est
60 existimare: ita multa meminerunt. **XXV.** Quorsus igitur haec spectat oratio? Quae sit illa vis et unde sit, intellegendum puto. Non est certe nec cordis nec sanguinis, nec cerebri nec atomo-

---

9. recognoscere] ex GR. Ba. prob. Wes.; *cognoscere* Tr. — 15. quale est: *ἰδέαν*] sic nos; *quam εἰδέαν* GR; *quam ἰδέαν* coni. Ern. Keil. (Lignit.); *quale sit, quam ἰδέαν* Ba. — 23. quo meminimus] ex deterioribus libris; quod mem. GR. — 24. natam] ex deter. libris La.; *natura* GR. — 31. nnde sit, intellegendnm puto] e GR Or. Kl. Ba. prob. Wes.; *unde, sic intell. puto* cum Wo. Tr.; *unde sit, sic intell. puto* Mo.

rum; animae sit ignisue nescio, nec me pudet, ut istos, fateri
nescire quod nesciam: illud, si ulla alia de re obscura, adfirmare
possum, sive anima sive ignis sit animus, eam iurare me esse
divinam. Quid enim? obsecro te, terrane tibi hoc nebuloso et
caliginoso caelo aut sata aut concreta videtur tanta vis memoriae?
Si quid sit hoc non vides, at quale sit vides; si ne id quidem,
at quantum sit profecto vides. Quid igitur? utrum capacitatem **61**
aliquam in animo putamus esse, quo tamquam in aliquod vas ea,
quae meminimus, infundantur? Absurdum id quidem: qui enim
fundus aut quae talis animi figura intellegi potest aut quae tanta
omnino capacitas? An inprimi quasi ceram animum putamus et
esse memoriam signatarum rerum in mente vestigia? Quae pos-
sunt verborum, quae rerum ipsarum esse vestigia, quae porro
tam inmensa magnitudo, quae illa tam multa possit effingere?

Quid? illa vis quae tandem est, quae investigat occulta,
quae inventio atque excogitatio dicitur? ex hacne tibi terrena **62**
mortalique natura et caduca concreta ea videtur? aut quid, qui
primus, quod summae sapientiae Pythagorae visum est, omnibus
rebus imposuit nomina, aut qui dissipatos homines congregavit et
ad societatem vitae convocavit, aut qui sonos vocis, qui infiniti
videbantur, paucis litterarum notis terminavit, aut qui errantium
stellarum cursus, praegressiones, institiones notavit? Omnes magni,
etiam superiores, qui fruges qui vestitum qui tecta, qui cultum
vitae qui praesidia contra feras invenerunt, a quibus mansuefacti
et exculti a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. Nam
et auribus oblectatio magna parta est, inventa et temperata va-
rietate et natura sonorum, et astra suspeximus cum ea, quae
sunt infixa certis locis, tum illa non re, sed vocabulo errantia,
quorum conversiones omnisque motus qui animo vidit, is docuit
similem animum suum eius esse, qui ea fabricatus esset in
caelo. Nam cum Archimedes lunae, solis, quinque errantium **63**
motus in sphaeram inligavit, effecit idem, quod ille, qui in Ti-

---

1. animae sit ignisne] *animae* de Be. coni.; *ignisne* de La.; GR *anima — ignisve* — 2. illud — divinam] sic emendavi vulgatam scripturam *illud, si — affirmare possem, — cum iurarem esse divinum.* — 17. quid, qui] *quid* primum addidi. — 29. animo vidit] de La. coni. prob. Bentleio; *primus vidit* de Bnh. coni. prob. Wes.; vulgo cum GR *qui animus vidit* aut omisso animi vocabulo *qui vidit.*

maeo mundum aedificavit Platonis deus, ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio. Quod si in hoc mundo fieri sine deo non potest, ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari.

64 **XXVI.** Mihi vero ne haec quidem notiora et inlustriora carere vi divina videntur, ut ego aut poëtam grave plenumque carmen sine caelesti aliquo mentis instinctu putem fundere, aut eloquentiam sine maiore quadam vi fluere abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis. Philosophia vero, omnium mater artium, quid est aliud nisi, ut Plato, donum, nt ego, inventum deorum? Haec nos primum ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, qnod situm est in generis humani societate, tnm ad modestiam magnitudinemque animi erudivit, eademque ab animo tamquam ab oculis caliginem dispulit, nt omnia supera infera, prima
65 ultima media videremus. Prorsus haec divina mihi videtur vis, quae tot res efficiat et tantas. Quid est enim memoria rerum et verborum, quid porro inventio? Profecto id, quo ne in deo quidem quicquam maius intellegi potest. Non enim ambrosia deos aut nectare aut Iuventate pocula ministrante laetari arbitror, nec Homerum audio, qui Ganymedem ab dis raptum ait propter formam, ut Iovi bibere ministraret, non iusta causa cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat haec Homerus et humana ad deos transferebat; divina mallem ad nos. Quae autem divina? Vigere sapere, invenire meminisse. Ergo animus quidem, ut ego dico, divinus est, nt Euripides dicere audet, deus, et quidem, si deus aut anima aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura caelestis et terra vacat et umore, sic utriusque harum rerum humanus animus est expers. Sin autem est qninta quaedam natura ab Aristotele inducta primum, haec et deorum est et animorum. Hanc nos sententiam secuti huius ipsius verbis in Consolatione sic expressimus:

66 **XXVII.** 'Animorum nulla in terris origo inveniri potest.

---

4. potuisset] GR; *potuit* de Bak. scut. Ti. — 21. non iusta causa] interpunctionem mutavi ita, ut ablativi essent: cfr. §. 107: *magna culpa Pelopis.* — 24. animus quidem] restitui ex optimorum librorum script. *animus qui;* vulgo omittitur *qui.* — 30. huius ipsius — sic express.] ita emendavi quod est in optimis et plerisque libris *his ipsis verbis — hoc expressimus.*

Nihil enim est in animis mixtum atque concretum aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur, nihil ne aut umidum quidem aut flabile aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat et futura provideat et complecti possit praesentia, quae tota divina sunt, nec invenietur umquam unde ad hominem venire possint nisi a deo. Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi seiuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quicquid est illud, quod sentit quod sapit, quod vivit quod viget, caeleste et divinum ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero deus ipse, qui intellegitur a nobis, alio modo intellegi potest nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens ipsaque praedita motu sempiterno.' Hoc e genere atque eadem e natura est humana mens. **67**

Ubi igitur aut qualis est ista mens? — Ubi tua aut qualis? potesne dicere? an, si omnia ad intellegendum non habeo, quae habere vellem, ne eis quidem, quae habeo, mihi per te uti licebit? — Non valet tantum animus, ut se ipsum ipse videat; at ut oculus. sic animus se non videns alia cernit. Non videt autem, quod minimum est, formam suam — quamquam fortasse id quoque, sed relinquamus; — vim certe, sagacitatem memoriam, motum celeritatem videt: haec magna, haec divina, haec sempiterna sunt; qua facie quidem sit aut ubi habitet ne quaerendum quidem est. **XXVIII.** Ut cum videmus speciem primum **68** candoremque caeli, dein conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus, tum vicissitudines dierum ac noctium commutationesque temporum quadrupertitas ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem, lunamque adcretione et deminutione luminis quasi fastorum notatione significantem dies; in eodem orbe in duodecim partes distributo quinque stellas ferri eosdem cursus constantissime servantis disparibus inter se motibus, nocturnamque caeli formam undique sideribus ornatam; tum globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi

---

6. tota divina] de Ern. coni.; vulgo *sola divina*. — 18. se ipsum ipse] ex G R Ti.; vulgo *se ipse* aut *sese ipse*. — 20. quamquam fortasse] de Wo. coni. Kl. Ba. prob. Wes.; vulgo *fortasse, quamquam*. — 30. fastorum notatione sign.] de nostra coni.; vulgo *notantem et significantem*.

loco, duabus oris distantibus habitabilem et cultum, quarum altera, quam nos incolimus,

Sub áxe posita ad stéllas septem, unde hórrifer
Aquilónis stridor gélidas molitúr nives,

69 altera australis, ignota nobis, quam vocant Graeci ἀντίχθονα, ceteras partis incultas, quod aut frigore rigeant aut urantur calore; hic autem, ubi habitamus, non intermittit suo tempore

Caelúm nitescere, árbores frondéscere,
Vites laetificae pampinis pubescere,
Rami bacarum ubertate incurvescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata convestirier;

tum multitudinem pecudum partim ad vescendum partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum partim ad corpora vestienda, hominemque ipsum quasi contemplatorem caeli ac siderum eorumque cultorem, atque hominis utilitati agros omnis et maria pa-
70 rentia —: haec igitur et alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare quin iis praesit aliquis vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur, vel, si semper fuerunt, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris? Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut deum non vides, tamen, ut deum adgnoscis ex operibus eius, sic ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis adgnoscito.

XXIX. In quo igitur loco est? Credo equidem in capite, et cur credam adferre possum. Sed alias, ubi sit animus; certe quidem in te est. Quae est ei natura? Propria puto et sua. Sed fac igneam, fac spirabilem, nihil ad id, de quo agimus. Illud modo videto, ut deum noris, etsi eius ignores et locum et faciem, sic animum tibi tuum notum esse oportere, etiam si ignores et
71 locum et formam. In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum nihil concretum, nihil copulatum nihil coagmentatum, nihil

15. caeli ac siderum eorumque] de coni. Mutheri; G R *caeli ac deorum eorum*; vulgo *deorum eorumque*; Be. coni. *caeli ac terrarum (cultorem)*
26. alias, ubi sit animus] cum G R Dav. alii prob. Be.; *alias; nunc ubiubi sit animus* Or.

duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni nec dividi, nec discerpi nec distrahi potest, ne interire quidem igitur. Est enim interitus quasi discessus et secretio ac diremptus earum partium, quae ante interitum coniunctione aliqua tenebantur.

His et talibus rationibus adductus Socrates nec patronum
quaesivit ad iudicium capitis nec iudicibus supplex fuit adhibuit-
que liberam contumaciam a magnitudine animi ductam, non a
superbia, et supremo vitae die de hoc ipso multa disseruit, et
paucis ante diebus, cum facile posset educi e custodia, noluit
et tum paene in manu iam mortiferum illud tenens poculum
locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in caelum
videretur escendere. **XXX.** Ita enim censebat itaque disse- 72
ruit: duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore
excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminavissent et
se totos libidinibus dedissent, quibus caecati vel domesticis
vitiis atque flagitiis se inquinavissent vel re publica violanda
fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse,
seclusum a concilio deorum; qui autem se integros castosque ser-
vavissent quibusque fuisset minima cum corporibus contagio sese-
que ab iis semper sevocavissent essentque in corporibus humanis
vitam imitati deorum, iis ad illos, a quibus essent profecti, re-
ditum facilem patere. Itaque commemorat, ut cygni, qui non 73
sine causa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere
videantur, qua providentes quid in morte boni sit cum cantu et
voluptate moriantur, sic omnibus bonis et doctis esse faciendum.
Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis ac-
cideret diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit,
qui cum acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut aspectum
omnino amitterent; sic mentis acies se ipsa intuens nonnumquam
hebescit, ob eamque causam contemplandi diligentiam amittimus.
Itaque dubitans circumspectans haesitans, multa adversa reverens

---

2. ne interire quidem igitur] de Madv. coni. Tr. Kl. Ba.; *ne interire* omisso *quidem* GR; antea vulgabatur *nec interire igitur.* — 4. coniunctione] de Madv. coni. Ba.; vulgo cum GR *iunctione.* — 10. tum — tenens] ex GR Kl. Ba.; *cum — teneret* Or.; *tum* uncis includit Tr. — 15. vel domesticis vitiis] sic vulgo; GR *velut dom. vitiis; stupris* volebat Be.; fortasse *vel velut domesticis spurcitiis.* — 28. qui cum acriter] *cum* eiciendum censent cum Ma. et Wes. Kl. Ba.

74 tamquam ratis in mari inmenso nostra vehitur ratio. Sed haec et vetera et a Graecis; Cato autem sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis deus iniussu hinc nos suo demigrare; cum vero causam iustam deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, saepe multis, ne ille, medius fidius, vir sapiens laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen illa vincla carceris ruperit — leges enim vetant —, sed tamquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo evocatus atque emissus exierit. Tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis
75 est. **XXXI.** Nam quid aliud agimus, cum a voluptate, id est a corpore, cum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, cum a re publica, cum a negotio omni sevocamus animum, quid, inquam, tum agimus nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum ecquidnam aliud est mori discere? Quare hoc commentemur, mihi crede, disiungamusque nos a corporibus, id est consuescamus mori. Hoc, et dum erimus in terris, erit illi caelesti vitae simile. et cum illuc ex his vinclis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam cum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo cum venerimus, tum denique vivemus: nam haec quidem vita mors est, quam lamentari possem, si liberet.

76 A. Satis tu quidem in Consolatione es lamentatus, quam cum lego, nihil malo quam has res relinquere, his vero modo auditis multo magis. M. Veniet tempus et quidem celeriter et sive retractabis sive properabis: volat enim aetas. Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur, ut verear ne homini nihil sit non malum aliud, certe sit nihil bonum aliud potius, si quidem vel di ipsi vel cum dis futuri sumus.

---

1. tamquam ratis] e codd. aliquot; vulgo *in rate* cum GR. — 16. ecquidnam — discere] ita nos scripturam secuti optimorum librorum *nec quicquam aliud emori discere;* Or. *secernere animum, nec quidquam aliud, est mori discere;* H. Sauppius *ecquidnam aliud est quam emori discere?* — 27. et sive] *et* de Küh. sent. delent Kl. Ba. prob. Wes. 29. certe sit nihil] sic emendavit Wes. librorum script. *certe, sed nihil.* Quae secuntur *Quid refert? — videri malum possit* cum La. et Be. uni eidemque Magistro tribui.

Quid refert? adsunt enim, qni haec non probent. Ego autem uumquam ita te iu hoc sermoue dimittam, ulla ullius ratione ut mors tibi videri malum possit.

A. Qui potest, cum ista cognoverim? 77

M. Qui possit rogas? Catervae veniunt contra dicentium uon solum Epicureorum, quos equidem non despicio, sed nescio quo modo doctissimus quisque contemuit; acerrume autem deliciae meae Dicaearchus contra hanc inmortalitatem disseruit. Is enim tris libros scripsit, qui *Lesbiaci* vocantur, quod Mytilenis sermo habetur, in quibns volt efficere animos esse mortalis. Stoici autem usuram nobis largiuntur tamquam cornicibus: diu mansuros aiunt auimos, semper negant. **XXXII.** Num nou vis igitur audire cur, etiam si ita sit, mors tamen non sit iu malis?

A. Ut videtur, sed me nemo de inmortalitate depellet.

M. Laudo id quidem, etsi uihil nimis oportet confidere. 78 Movemur enim saepe aliquo acute concluso, labamus mutamusque seuteutiam clarioribus etiam in rebus: in his est enim aliqua obscuritas. Id igitur si acciderit, simus armati.

A. Sane quidem, sed ue accidat providebo.

M. Num quid igitur est causae quin amicos uostros Stoicos dimittamus? eos dico, qui aiunt manere animos, cum e corpore excesseriut, sed nou semper.

A. Istos vero, qui, quod tota in hac causa difficillimum est, suscipiant, posse animum manere corpore vacantem, illud autem, quod non modo facile ad credendum est, sed eo concesso, quod volunt, consequens, id vero nou dent, nt, cum diu permanserit, ue intereat.

M. Bene repreheudis, et se isto modo res habet. Creda- 79 mus igitur Pauaetio a Platone suo dissentienti? Quem enim omnibus locis divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, qnem Homerum philosophorum appellat, huius hanc uuam seutentiam de inmortalitate animorum non probat. Volt enim, quod nemo uegat, quicquid natum sit iuterire, nasci autem animos,

---

2. ulla ullius ratione ut] conieci e vestigiis optimorum ll. *ulla uti ratione ut.* — 7. contemnit] cum codice Manutii omittunt Or. Ba. prob. Wes. — 12. Num non vis] GR; *numne vis* e cod. Schotti Dav. Or. — 26. id vero non dent] restitui ex GR. *idcirco non dant; id non concedant* de Madv. coni. Tr. Kl.; *id circumcidant* de posteriore eiusdem Madv. coni. Ba.

quod declaret eorum similitudo, qui procreentur, quae etiam in ingeniis, non solum in corporibus appareat. Alteram autem adfert rationem, nihil esse quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit; quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum;
80 dolere autem animos, ergo etiam interire. **XXXIII.** Haec refelli possunt. Sunt enim ignorantis, cum de aeternitate animorum dicatur, de mente dici, quae omni turbido motu semper vacet, non de partibus iis, in quibus aegritudines, irae libidinesque versentur, quas is, contra quem haec dicuntur, semotas a mente et disclusas putat. Iam similitudo magis apparet in bestiis, quarum animi sunt rationis expertes; hominum autem similitudo in corporum figura magis extat, et ipsi animi magni refert quali in corpore locati sint. Multa enim e corpore existunt, quae acuant mentem, multa, quae optundant. Aristoteles quidem ait omnis ingeniosos melancholicos esse, ut ego me tardiorem esse non moleste feram. Enumerat multos, idque quasi constet, rationem cur ita fiat adfert. Quod si tanta vis est ad habitum mentis in iis, quae gignuntur in corpore — ea sunt autem, quaecumque sunt, quae similitudinem faciunt —, nihil necessitatis adfert, cur
81 nascantur animi, similitudo. Omitto dissimilitudines; vellem adesset Panaetius — vixit cum Africano —: quaererem ex eo, cuius suorum similis fuisset Africani fratris nepos, facie vel patris, vita omnium perditorum ita similis, ut esset facile deterrimus; cuius etiam similis P. Crassi, et sapientis et eloquentis et primi hominis, nepos multorumque aliorum clarorum virorum, quos nihil attinet nominare, nepotes et filii. Sed quid agimus? oblitine sumus hoc nunc nobis esse propositum, cum satis de aeternitate dixissemus, ne si interirent quidem animi quicquam mali esse in morte?

A. Ego vero memineram, sed te de aeternitate dicentem aberrare a proposito facile patiebar.

82 **XXXIV.** M. Video te alte spectare et velle in caelum migrare. Spero fore ut contingat id nobis. Sed fac, ut isti

19. faciunt] cum La. et Wo. Or. Kl. Ba. prob. Wes.; ceteri *faciant* cum GR. — 20. dissimilitudines] de Bc. coni. plerique; GR *similitudines.* — 33. Spero — vitae] vulgo Auditori adsignata restituit Magistro Tr.; interpunctionem eorum, quae secuntur, correxit Ti. (aberrat Wichert. de praeceptis Lat. scribendi p. 54).

volunt, animos non remanere post mortem; video nos, si ita sit, privari spe beatioris vitae, mali vero quid adfert ista sententia? Fac enim sic animum interire, ut corpus; num igitur aliquis dolor aut omnino post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem dicit, etsi Democritum insimulat Epicurus, Democritii negant. Ne in animo quidem igitur sensus remanet: ipse enim nusquam est. Ubi igitur malum est, quoniam nihil tertium est? an quod ipse animi discessus a corpore non fit sine dolore? Ut credam ita esse, quam est id exiguum! Sed falsum esse arbitror et fit plerumque sine sensu, nonnumquam etiam cum voluptate, totumque hoc leve est, qualecumque est: fit enim ad punctum temporis. Illud augit vel potius excruciat, discessus ab omnibus iis, quae 83
sunt bona in vita. Vide ne a malis dici verius possit. Quid ego nunc lugeam vitam hominum? Vere et iure possum; sed quid necesse est, cum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, etiam vitam efficere deplorando miseriorem? Fecimus hoc in eo libro, in quo nosmet ipsos quantum potuimus consolati sumus. *A malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si quaerimus.* Et quidem hoc a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quod multi iis auditis mortem sibi ipsi consciscerent. Callimachi quidem epigramma in Am- 84
braciotam Cleombrotum est, quem ait, cum ei nihil accidisset adversi, e muro se in mare abiecisse lecto Platonis libro. Eius autem, quem dixi, Hegesiae liber est *Ἀποκαρτερῶν*, quo a vita quidam per inediam discedens revocatur ab amicis, quibus respondens vitae humanae enumerat incommoda. Possem idem facere, etsi minus quam ille, qui omnino vivere expedire nemini putat. Mitto alios: etiamne nobis expedit? qui et domesticis et

---

5. Democritii] de Be. sent. Or. Kl. Ba.; *Democritei* Dav. *Democritici* GR. — 7. an quod] scripsi pro vulgato ex GR *an quoniam;* uncis incluserunt *quoniam* cum La. Tr. Kl. Ba. prob. Wes. — 9. Sed falsum] de Wes. coni. Kl. Ba.; vulgo *Et falsum* ex GR; Or. volebat *At falsum.* — 13. a malis] GR; *malis* testimonio Krarupii deceptus Tr. — 25. quo] sic nos; *in quo* de Be. coni. Dav. Kl. Ba. prob. Wes.; *quod* cum GR Or. Tr. — 27. Possem] GR; *possum* coni. Fleckeisen. Phil. IV. p. 326. — idem] de Ern. sent.; *id* GR. — 29. Mitto alios] *mitto alias* coni. Wichert. l. l. p. 293.

forensibus solaciis ornamentisque privati certe si ante occidissemus, mors nos a malis, non a bonis abstraxisset.

85 **XXXV.** Sit igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum a fortuna volnus acceperit: Metellus ille honoratis quattuor filiis, at quinquaginta Priamus, e quibus septemdecim iusta uxore natis. In utroque eandem habuit fortuna potestatem, sed usa in altero est: Metellum enim multi filii filiae, nepotes neptes in rogum inposuerunt; Priamum tanta progenie orbatum, cum in aram confugisset, hostilis manus interemit. Hic si vivis filiis incolumi regno occidisset,

> . . . . . . *astante ope bárbarica*
> *Tectis caelatis, laqueatis,*

utrum tandem a bonis an a malis discessisset? Tum profecto videretur a bonis. At certe ei melius evenisset nec tam flebiliter illa canerentur:

> *Haec ómnia vidi inflámmari,*
> *Priamo vi vitam evitari,*
> *Iovis aram sanguine turpari.*

Quasi vero ista vi quicquam tum potuerit ei melius accidere. Quod si ante accidisset, tamen eventum omnino amisisset, hoc
86 autem tempore sensum amisit malorum. Pompeio, nostro familiari, cum graviter aegrotaret Neapoli, melius est factum. Coronati Neapolitani fuerunt, nimirum etiam Puteolani, volgo ex oppidis publice gratulabantur, ineptum sane negotium et Graeculum, sed tamen fortunatum. Utrum igitur, si tum esset extinctus, a bonis rebus an malis discessisset? Certe a miseris: non enim cum socero bellum gessisset: non inparatus arma sumpsisset, non domum reliquisset non ex Italia fugisset, non exercitu amisso nudus in servorum ferrum et manus incidisset; non liberi defleti,

---

4. honoratis] de Be. coni. plerique; *honoratus* GR. — 5. natis] GR; *nati* Or. — 19. Quasi vero ista vi] de coni. Petri Crassi La. ceteri; *quasi vero ista vel* GR. — 20. accidisset — tamen] GR; *occidisset, tum* Or. *occidisset, talem (eventum)* de coni. H. Stephani et Be. Kl. Ba. prob. Wes.; *tamen* post *sensum* posuit de Keilii (Lignit.) coni. Ti. — 22. aegrotaret] GR; *aegrotasset* errore testimonii Or. — 30. non libri defleti] GR; *deleti* cum paucis codd. Wo. Or.; *desolati* coni. Ni.; *essent deleti* coni. Reiskii prob. Wes.; delenda censet verba *non liberi defleti* Ba., omnia usque ad v. *possiderentur* O. Heinius. —

non fortunae omnes a victoribus obsiderentur. Qui, si mortem
tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset, is propagatione vitae
quot, quantas, quam incredibilis hausit calamitates! **XXXVI.** Haec
morte effugiuntur, etiam si non evenerunt, tamen, quia possunt
evenire; sed homines ea sibi accidere posse non cogitant, Metelli
sperat sibi quisque fortunam, proinde quasi aut plures fortunati
sint quam infelices aut certi quicquam sit in rebus humanis aut
sperare sit prudentius quam timere.

Sed hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte pri- 87
vari: ergo etiam carere mortuos vitae commodis idque esse mi-
serum? Certe ita dicant necesse est. An potest is, qui non est,
re ulla carere? Triste enim est nomen ipsum carendi, quia subi-
citur haec vis: habuit, non habet; desiderat, requirit, indiget.
Haec, opinor, incommoda sunt carentis: caret oculis, odiosa cae-
citas; liberis, orbitas. Valet hoc in vivis; mortuorum autem non
modo vitae commodis, sed ne vita quidem ipsa quisquam caret.
De mortuis loquor, qui nulli sunt; nos, qui sumus, num aut sic
cornibus caremus aut pinnis? id quis dixerit? Certe nemo. Quid
ita? Quia, cum id non habeas quod tibi nec usu nec natura sit
aptum, non careas, etiam si sentias te non habere. Hoc pre- 88
mendum etiam atque etiam est argumentum confirmato illo, de
quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus
interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspitio sensus re-
linquatur; hoc igitur probe stabilito et fixo illud excutiendum
est, ut sciatur quid sit carere, ne relinquatur aliquid erroris in
verbo. Carere igitur hoc significat, egere eo, quod habere velis.
Inest enim velle in carendo, nisi cum sic tamquam in febri dici-
tur alia quadam notione verbi. Dicitur enim alio modo etiam
carere, cum aliquid non habeas et non habere te sentias, etiam
si id facile patiare. Ea re carere in morte non dicitur: nec enim
esset dolendum; dicitur illud, bono carere, quod est malum. Sed

1. obsiderentur] de nostra coni.; vulgo *possiderentur*. — 4. evenerunt] GR; *evenerint* Or. — 6. proinde] GR; *perinde* Or. Ba. — 17. num aut sic cornibus] restitui ex GR *num aut si*; *num, etsi* ex Bernensi Or.; alii delent *si*. — 18. id quis dixerit?] de O. Heinii coni.; R *sit qui id dixerit* (G *sit quid dixerit*), id quod tuetur Or.; *ecquis id dixerit* de Madv. coni. Tr. Kl. Ba.; *quis est qui id dixerit* de H. Sauppii coni. Ti. — 30. Ea re] nos adiecimus, GR omittunt; *malo* de Madv. coni. addit Tr., *ita* de H. Sauppii coni. Ti.; *carere in malo non dicitur* ex Bernensi Or.

ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget; sed in vivo intellegi tamen potest regno te carere, dici autem hoc in te satis suptiliter non potest: posset in Tarquinio, cum regno esset expulsus; at in mortuo ne intellegi quidem. Carere enim sentientis est, nec sensus in mortuo, ne carere quidem igitur in mortuo est.

89 **XXXVII.** Quamquam quid opus est in hoc philosophari, cum rem non magnopere philosophia egere videamus? Quotiens non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt! Quae quidem si timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos se hostium telis obiecissent; non uno bello pro patria cadentis Scipiones Hispania vidisset, Paulum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum Litana Albinum Lucani Gracchum. Num quis horum miser hodie? ne tum quidem post spiritum extremum: nec enim potest esse miser quis-
90 quam sensu perempto. At id ipsum odiosum est, sine sensu esse. Odiosum, si id esset carere. Cum vero perspicuum sit nihil posse in eo esse, qui ipse non sit, quid potest esse in eo odiosum, qui nec careat nec sentiat? Quamquam hoc quidem nimis saepe, sed eo, quod in hoc inest omnis animi contractio ex metu mortis. Qui enim satis viderit, id quod est luce clarius, animo et corpore consumpto totoque animante deleto et facto interitu universo illud animal, quod fuerit, factum esse nihil, is plane perspiciet inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, et regem Agamemnonem nihil interesse, nec pluris nunc facere M. Camillum hoc civile bellum, quam ego vivo illo fecerim Romam captam. Cur igitur et Camillus doleret, si haec post trecentos et quinquaginta fere annos eventura putaret, et ego doleam, si ad decem milia annorum gentem aliquam urbe nostra potituram putem? Quia tanta caritas patriae est, ut eam non sensu nostro, sed
91 salute ipsius metiamur. **XXXVIII.** Itaque non deterret sapientem mors, quae propter incertos casus cotidie imminet, propter brevitatem vitae numquam potest longe abesse, quo minus in

---

14. Litana] de coni. Fr. Lindemanni ex Liv. XXIII, 24; *Latina* GR; *Latini* Or. — 30. urbe nostra] scripsi contra optimos libros (*urbem nostram*) cum La. Wes. Kl. Ba.

omne tempus rei publicae suisque consulat, cum posteritatem
ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere.
Quare licet etiam mortalem esse animum iudicantem aeterna
moliri, non gloriae cupiditate, quam sensurus non sit, sed vir-
tutis, quam necessario gloria, etiam si tu id non agas, conse-
quatur. Natura vero si hoc habet, ut, quo modo initium nobis
rerum omnium ortus noster adferat, sic exitum mors, ut nihil
pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit.
In quo quid potest esse mali, cum mors nec ad vivos pertineat
nec ad mortuos? Alteri nulli sunt, alteros non attinget. Quam **92**
qui leviorem faciunt, somni simillimam voluut esse. Quasi vero
quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut cum sexaginta con-
fecerit, reliquos dormiat: ne sues quidem id velint, non modo
ipse. Endymion vero. si fabulas audire volumus, ut nescio
quando in Latmo obdormivit, qui est mons Cariae, nondum, opi-
nor, est experrectus: num igitur eum curare censes, cum Luna
laboret, a qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur?
tur? Quid curet etiam, qui ne sentit quidem? Habes somnum
imaginem mortis eamque cotidie induis: et dubitas quin sensus in
morte nullus sit, cum in eius simulacro videas esse nullum sensum?

XXXIX. Pellantur ergo istae ineptiae aniles, ante tempus **93**
mori miserum esse. Quod tandem tempus? Naturaene? At
ea quidem dedit usuram vitae tamquam pecuniae nulla praesti-
tuta die. Quid est igitur quod querare, si repetit, cum volt?
ea enim condicione acceperas. Idem, si puer parvus occidit,
aequo animo ferendum putant; si vero in cunis, ne querendum
quidem. Atqui ab hoc acerbius exegit natura quod dederat.
Nondum gustaverat, inquit, vitae suavitatem; hic autem iam
sperabat magna, quibus frui coeperat. At id quidem in ceteris
rebus melius putatur, aliquam partem quam nullam attingere: cur
in vita secus? Quamquam non male ait Callimachus multo sae-

---

1. cum posteritatem] de nostra coni.; *ut poster.* ex GR Tr. Kl. Ba.; *et posterit.* Or. — 6. si hoc habet] sic emendavi GR scripturam *se sic*; *si sic se* coni. Fr. Graserus; *si se sic* de Bak. coni. Ba. — 10. attinget] GR; *attingit* Or. — 13. ne sues quidem] GR; *ne sui quidem* de Keilii (Lignit.) coni. Ti. Kl. Ba. — 15. qui est — Cariae] delet Bak.; secludit Ba. —18. curet etiam] de nostra coni.; vulgo *curet autem*. — 29. inquit] GR; *inquiunt* Kl.

pius lacrimasse Priamum quam Troilum. Eorum autem, qui
94 exacta aetate moriuntur, fortuna laudatur. Cur? nam, reor, nullis, si vita longior daretur, posset esse iucundior: nihil enim est profecto homini prudentia dulcius, quam, ut cetera auferat, adfert certe senectus. Quae vero aetas longa est aut quid omnino homini longum? Nonne

módo pueros, modo ádulescentes, in cursu a tergo ínsequens,
nécopinantis ádsecuta est

senectus? Sed quia ultra nihil habemus, hoc longum dicimus. Omnia ista, perinde ut cuique data sunt pro rata parte, ita aut longa aut brevia dicuntur. Apud Hypanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. Ex his igitur hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est; quae vero occidente sole, decrepita, eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate: in eadem propemodum brevitate qua illae bestiolae reperiemur.

95 **XL.** Contemnamus igitur omnis ineptias — quod enim levius huic levitati nomen imponam? — totamque vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia et in omni virtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus mollissimis effeminamur, ut, si ante mors adventet, quam Chaldaeorum promissa consecuti sumus, spoliati magnis quibusdam bonis, inlusi destitutique vide-
96 amur. Quod si expectando et desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur, pro di inmortales! quam illud iter iucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! Quam me delectat Theramenes, quam elato animo est! Etsi enim flemus, cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. Qui cum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum venenum ut sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo eiecit, ut id resonaret, quo sonitu reddito adridens, *Propino,* inquit, *hoc pulchro Critiae,* qui in eum fuerat taeterri-

---

3. nullis GR; *non ullis* ex cod. Coloniensi Or. Tr.; *nonnullis* Mo. — 10. ita aut longa] Tr. Kl. Ba; GR *auita*; *ita longa* Or. — 19. levius] GR; *lenius* Or. — 23. consecuti sumus] GR; *simus* Or. — 25. animis] GR; *animi* ex Ursini vel cod. vel coni. probata Bentleio Wes.

mus. Graeci enim in conviviis solent nominare cui poculum tradituri sint. Lusit vir egregius extremo spiritu, cum iam praecordiis conceptam mortem contineret, vereque ei, cui venenum praebiberat, mortem eam est auguratus, quae brevi consecuta est. 97 Quis hanc maximi animi aequitatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum iudicaret? Vadit in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates eodem scelere iudicum, quo tyrannorum Theramenes. Quae est igitur eius oratio, qua facit eum Plato usum apud iudices iam morte multatum?

XLI. ‚Magna me' inquit ‚spes tenet, iudices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim sit alterum de duobus, ut aut sensus omnino omnes mors auferat aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem sive sensus extinguitur morsque ei somno similis est, qui nonnumquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietem adfert, di boni, quid lucri est emori! aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? Sin vera 98 sunt quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui e vita excesserunt incolunt, multo iam beatius est. Tene, cum ab iis, qui se iudicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere iudices appellentur, Minoem Rhadamanthum, Aeacum Triptolemum, convenireque eos, qui iuste et cum fide vixerint — haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero conloqui cum Orpheo Musaeo, Homero Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem adficerer, cum Palamedem, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquo circumventos convenirem! Temptarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, et Ulixi Sisyphique prudentiam, nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem, iudices, ii

---

3. cui venenum praebiberat] ex cod. Gryph.; GR *qui — praebiberat.* — 6. Vadit in] addunt *enim* cum GR Kl. Ba., ceteri delent; *vadit en* coni. Lachmanni probata O. Heinio. — 17. si similis] *si* addidit Be. — 20. Tene, cum —] GR; *te, cum* — Or. suspensa, ut vult, ex v. *beatius est;* interpunctionem nos mutavimus. — 29. iniquo circumventos] restituit Be. ex GR *iniquorum Ventos.*

99 qui me absolvistis, mortem timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quicquam evenire potest nec vivo nec mortuo, nec umquam eius res a dis inmortalibus neglegentur. nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec vero ego iis, a quibus accusatus aut a quibus condemnatus sum, habeo quod suscenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt.‘ Et haec quidem hoc modo: nihil autem melius extremo: ‚Sed tempus est‘ inquit ‚iam hinc abire me, ut moriar, vos, ut vitam agatis. Utrum autem sit melius di inmortales sciunt; hominem quidem scire arbitror neminem.‘

XLII. Ne ego haud paulo hunc animum malim quam eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicaverunt. Etsi, quod praeter deos negat scire quemquam, id scit ipse utrum sit melius: nam dixit ante; sed suum illud, nihil ut adfirmet, tenet ad extremum. 100 Nos autem teneamus, ut nihil censeamus esse malum, quod sit a natura datum omnibus, intellegamusque, si mors malum sit, esse sempiternum malum. Nam vitae miserae mors finis esse videtur; mors si est misera, miseriae finis esse nullus potest. Sed quid ego Socratem aut Theramenem, praestantis viros virtutis et sapientiae gloria, commemoro, cum Lacedaemonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortem tantopere contempserit, ut, cum ad eam duceretur damnatus ab ephoris et esset voltu hilari atque laeto dixissetque ei quidam inimicus: *Contemnisne leges Lycurgi?*, responderit: *Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit, quam sine mutuatione et sine versura possem dissolvere.* O virum Sparta dignum! ut mihi quidem qui tam magno animo fuerit innocens damnatus 101 esse videatur. Talis innumerabilis nostra civitas tulit. Sed quid duces et principes nominem, cum legiones scribat Cato saepe alacris in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur? Pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides:

Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentis,
Dum sanctis patriae legibus obsequimur.

Quid ille dux Leonidas dicit? *Prandete animo forti, Lacedae-*

---

17. **miseriae**] ex antiqua coni. Or. prob. Wes.; omittunt GR. — 34. **Quid ille dux — vigebant**] uncis includunt de Be. sent. Dav. Tr. alii, delet Ba. prob. Wes.

monii: *hodie apud inferos fortasse cenabimus;* fuit haec gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant. E quibus unus, cum Perses hostis in conloquio dixisset glorians: *Solem prae iaculorum multitudine et sagittarum non videbitis*, *In umbra igitur*, inquit, *pugnabimus.* Viros commemoro: qualis tandem Lacaena? quae **102**
cum filium in proelium misisset et interfectum audisset, *Idcirco* inquit, *genueram, ut esset qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.* **XLIII.** Esto: fortes et duri Spartiatae, magnam habet vim rei publicae disciplina; quid? Cyrenaeum Theodorum, philosophum non ignobilem, nonne miramur? cui cum Lysimachus rex crucem minaretur, *Istis, quaeso*, inquit, *ista horribilia minitare purpuratis tuis; Theodori quidem nihil interest humine an sublime putescat.* Cuius hoc dicto admoneor, ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem, rem non difficilem, iis praesertim cognitis, quae de nihil sentiendo paulo ante dicta sunt. De qua Socrates quidem quid senserit apparet in eo libro, in quo moritur, de quo iam tam multa diximus. Cum enim de inmortalitate animorum disputavisset et iam mo- **103**
riendi tempus urgeret, rogatus a Critone quemadmodum sepeliri vellet, *Multam vero*, inquit, *operam, amici, frustra consumpsi. Critoni enim nostro non persuasi me hinc avolaturum neque mei quicquam relicturum. Verum tamen, Crito, si me adsequi potueris aut sicubi nanctus eris, ut tibi videbitur, sepelito. Sed, mihi crede, nemo me vestrum, cum hinc excessero, consequetur.* Praeclare id quidem, qui et amico permiserit et se ostenderit de hoc toto genere nihil laborare. Durior Diogenes, si quidem **104**
idem sentiens, sed ut Cynicus asperius, proici se iussit inhumatum. Tum amici: *Volucribusne et feris? Minime vero*, inquit, *sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. Qui poteris?* illi, *non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?* Praeclare Anaxagoras, qui cum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis velletne Clazomenas in patriam, si quid

---

7. mortem] Or. Kl. Ba. prob. Wes.; *morte* cum GR Tr; *morti* La. — 22. mei] de Be. coni. Or. ceteri; GR *me*. — 23. videbitur] ex cod. Bernensi Or. Kl. Ba. prob. Wes.; *videtur* cum GR Tr. — 26. si quidem idem] de nostra coni.; GR *et is quidem;* vulgo de Wo. coni. *et is quidem idem;* Be. coni. *et is idem.* — 29. Qui poteris] de Wes. coni Ba.; vulgo *Qui id poteris?; quid poteris* GR. — 32. in patriam] de Bak. sent. includit Ba.

accidisset, auferri, *Nihil necesse est,* inquit, *undique enim ad inferos tantundem viae est.* Totaque de ratione humationis unum tenendum est, ad corpus illam pertinere, sive occiderit animus sive vigeat. In corpore autem perspicuum est vel extincto animo
105 vel elapso nullum residere sensum. **XLIV.** Sed plena errorum sunt omnia. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles: lacerari eum et sentire, credo, putat. Ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi videtur; at illa sicut acerbissimam rem maeret:

Vidi, videre quód me passa aegérrume,
Hectórem curru quádriiugo raptárier.

Quem Hectorem? aut quam diu ille erit Hector? Melius Accius et aliquando sapiens Achilles:

Ímmo enimvero córpus Priamo réddidi, Hectora ábstuli.

Non igitur Hectora traxisti, sed corpus, quod fuerat Hectoris.
106 Ecce alius exoritur e terra, qui matrem dormire non sinat:

Matér, te appello, tú quae curam sómno suspensám levas,
Neque té mei miseret, súrge age et sepeli natum

— haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur, difficile est non eos, qui inhumati sint, miseros iudicare —

priusquám ferae
Volucrésque . . . .

— metuit ne laceratis membris minus bene utatur, ne combustis non extimescit —

Neu réliquias semésas sieris dénudatis óssibus
Per térram sanie délibutas fóede divexárier.

107 — Non intellego quid metuat, cum tam bonos octonarios fundat ad tibiam. — Tenendum est igitur nihil curandum esse post mortem, cum multi inimicos etiam mortuos poeniuntur. Execratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes, primum ut

---

9. me passa] *sum passa* coni. O. Ribbeck. — 13. Hectora] sic scripsi, cum altero loco tueantur optimi libri; vulgo bis *Hectorem.* — 16. Mater, te appello] septenarios cum Be. constituerunt plerique editores; nos La. et O. Ribbeckium secuti octonarios dedimus servatis GR scripturis *tu quae* et *per terram; age* post *surge* nos adiecimus; *semesas sieris* scripsimus ex GR *semiassireis.* — 28. octonarios] La.; vulgo *septenarios.*

naufragio pereat Atreus: durum hoc sane: talis enim interitus non est sine gravi sensu; illa inania:

Ípse summis sáxis fixus ásperis, evísceratus,
Látere pendens, sáxa spargens tábo, sanie et sánguine atro.

Non ipsa saxa magis sensu omni vacabunt quam ille ‚latere pendens', cui se hic cruciatum censet optare. Quae essent dura, si sentiret, sed nulla sine sensu. Illud vero perquam inane:

Néque sepulcrum, quó recipiat hábeat portum córporis,
Úbi remissa humána vita córpus requiescát malis.

Vides quanto haec in errore versentur: portum esse corporis et requiescere in sepulcro putat mortuum, magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium nec docuerit, quatenus esset quidque curandum. **XLV.** Sed quid singulorum opiniones animadvertam, nationum **108** varios errores perspicere cum liceat? Condiunt Aegyptii mortuos et eos servant domi: Persae etiam cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes, optumates domesticos; nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat a quibus lanietur, eamque optumam illi esse censent sepulturam. Permulta alia conligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus, sed ita taetra sunt quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio. Totus igitur hic locus est contemnendus in nobis, non neglegendus in nostris, ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire vivi sentiamus. Quantum autem **109** consuetudini famaeque dandum sit, id curent vivi, sed ita, ut intellegant nihil id ad mortuos pertinere.

Sed profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere. Multa mihi ipsi ad mortem tempestiva fuerunt, quae utinam potuissem

---

5. vacabunt] GR; *vacabant* cum Victorio Kl. prob. Be. — 6. Quae essent dura, si sentiret, sed nulla sine sensu] de nostra coni.; *quam* pro *quae* GR; *quae essent dura, si sentiret, nulla sunt sine sensu* de Wes. coni. Ba.; *quae essent dura, si sentiret; nulla sine sensu sunt* Or. — 24. ita tamen — sentiamus] uncis includit cum Reiskio et Wes. Ba. — 31. quae] cum GR Kl. Ti.; *quam* Or. Tr. Ba. prob. Wes.

obire! Nihil enim iam adquirebatur, cumulata erant officia vitae, cum fortuna bella restabant. Quare si ipsa ratio minus perficiet ut mortem neglegere possimus, at vita acta perficiat ut satis superque vixisse videamur. Quamquam enim sensus abierit, tamen suis et propriis bonis laudis et gloriae, quamvis non sentiant, mortui non carent. Etsi enim nihil habet in se gloria cur expetatur, tamen virtutem tamquam umbra sequitur. **XLVI.** Igitur
110 verum multitudinis iudicium de bonis si quando est, magis laudandum est quam illi ob eam rem beati; non possum autem dicere, quoquo modo hoc accipietur, Lycurgum, Solonem legum et publicae disciplinae carere gloria, Themistoclem, Epaminondam bellicae virtutis. Ante enim Salamina ipsam Neptunus obruet quam Salaminii tropaei memoriam, priusque Boeotia Leuctra tollentur quam pugnae Leuctricae gloria. Multo autem tardius fama deseret Curium Fabricium Calatinum, duo Scipiones duo Africanos, Maximum Marcellum Paulum, Catonem Laelium, innumerabilis alios, quorum similitudinem aliquam qui arripuerit, non eam fama populari, sed vera bonorum laude metiens fidenti animo, si ita res feret, gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum aut nullum malum esse cognovimus. Secundis vero suis rebus volet etiam mori: non enim tam cumulus bonorum iucundus esse potest quam
111 molesta decessio. Hanc sententiam significare videtur Laconis illa vox, qui, cum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duo suos filios victores Olympiae vidisset, accessit ad senem et gratulatus, *Morere, Diagora,* inquit: *non enim in caelum ascensurus es.* Magna haec et nimium fortasse Graeci putant vel tum potius putabant, isque, qui hoc Diagorae dixit, permagnum existimans tris Olympionicas una e domo prodire, cunctari illum diutius in vita fortunae obiectum inutile putabat ipsi. Ego autem tibi quidem, quod satis esset, paucis verbis, ut mihi videbar, responderam. Concesseras enim nullo in malo mortuos esse; sed ob eam causam contendi ut plura dicerem, quod in desiderio et luctu haec est consolatio maxima. Nostrum enim et nostra causa susceptum dolorem modice ferre debemus, ne nosmet ipsos

4. **abierit**] cum GR Tr. Ba.; *aberit* de La. coni. Or. Kl. prob. Wes. — 5. **suis**] de La. coni. Or. Kl. Ba.; *summis* cum GR Tr. — 7. **Igitur**] nos adiecimus. — 12. **Salamina**] aut *Salaminem* de Wes. sent. Kl. Ba.; vulgo *Salaminam*.

amare videamur; illa suspitio intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbati sumus, esse cum aliquo sensu in iis malis, quibus volgo opinantur. Hanc excutere opinionem mihimet volui radicitus, eoque fui fortasse longior.

XLVII. A. Tu longior? Non mihi quidem. Prior enim **112** pars orationis tuae faciebat ut mori cuperem, posterior ut modo non nollem, modo non laborarem; omni autem oratione illud certe perfectum est, ut mortem non ducerem in malis.

M. Num igitur etiam rhetorum epilogum desideramus? an hanc iam artem plane relinquimus?

A. Tu vero istam ne reliqueris, quam semper ornasti, et quidem iure: illa enim te, verum si loqui volumus, ornaverat. Sed quinam est iste epilogus? aveo enim audire quicquid est.

M. Deorum inmortalium iudicia solent in scholis proferre **113** de morte, nec vero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore aliisque pluribus. Primum Argivae sacerdotis Cleobis et Biton filii praedicantur. Nota fabula est. Cum enim illam ad sollemne et statum sacrificium curru vehi ius esset satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque iumenta, tum iuvenes ii, quos modo nominavi, veste posita corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut id illis praemii daret pro pietate, quod maxumum homini dari posset a deo; post epulatos cum matre adulescentis somno se dedisse, mane inventos esse mortuos. Simili precatione Trophonius et Agamedes usi dicuntur: qui cum **114** Apollini Delphis templum exaedificavissent, venerantes deum petiverunt mercedem non parvam quidem operis et laboris sui, nihil certi, sed quod esset optimum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit post eius diei diem tertium; qui ut inluxit, mortui sunt reperti. Iudicavisse deum dicunt et eum quidem deum, cui reliqui di concessissent ut praeter ceteros divinaret.

XLVIII. Adfertur etiam de Sileno fabella quaedam, qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem non nasci homini longe optimum esse,

16. Argivae] scripsi cum La. et Wes.; vulgo cum GR *Argiae*. — 19. tum] ex G restituit cum Wes. Ba.; vulgo *tunc*. — 22. id illis praemii] Ra. coni. prob. Wes.; *illis praemii* GR; *id iis praemii* Tr. Kl.; *illis praemium* ex cod. Bruxellensi Ba.

115 proximum autem quam primum mori. Qua est sententia in Cresphonte usus Euripides:

Nam nós decebat cóetus celebrantis domum
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanae vitae varia reputantis mala;
At qui labores morte finisset gravis,
Hunc omni amicos laude et laetitia exequi.

Simile quiddam est in Consolatione Crantoris: ait enim Terinaeum quendam Elysium, cum graviter filii mortem maereret, venisse in psychomantium quaerentem quae fuisset tantae calamitatis causa; huic in tabellis tris huiusmodi versiculos datos:

Ignaris homines in vita mentibus errant;
Euthynous potitur fatorum numine leto.
Sic fuit utilius finiri ipsique tibique.

116 His et talibus auctoribus usi confirmant causam rebus a dis immortalibus iudicatam. Alcidamas quidem, rhetor antiquus in primis nobilis, scripsit etiam laudationem mortis, quae constat ex enumeratione humanorum malorum. Cui rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit. Clarae vero mortes pro patria oppetitae non solum gloriosae rhetoribus, sed etiam beatae videri solent. Repetunt ab Erechtheo, cuius etiam filiae cupide mortem expetiverunt pro vita civium, et Codro, qui se in medios immisit hostis veste famulari, ne posset adgnosci, si esset ornatu regio, quod oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victricis Athenas fore. Menoeceus non praetermittitur, qui item oraculo edito largitus est patriae suum sanguinem, Iphigenia Aulide duci se immolandam iubens, *ut hostium eliciatur suo.* Veniunt inde ad propiora: **XLIX.** Harmodius in ore est et Aristogiton; Lacedaemonius Leonidas, Thebanus Epaminondas viget. Nostros non norunt,

7. omni] de Dav. coni.; GR *omnes.* — 15. rebus] uncis includunt auctore La. Wes. Ba. — 22. cupide] *cupidae* e GR Tr. — 23. et Codro] de nostra coni.; vulgo *Codrum* omisso *et.* — 26. qui item] de Dav. coni. Tr. Kl. Ba.; *quidem* GR; *qui* Or. — 28. iubens] nostra coni.; vulgo *iubet.* — hostium] addit Or. uncis inclusum *sanguis* — 29. in ore est] de Ra. coni. Ba. prob. Wes.; vulgo cum GR omittitur *est.* — 30. viget] GR; *vigent* Or. Ba.

quos enumerare magnum est: ita sunt multi, quibus videmus optabilis mortes fuisse cum gloria.

Quae cum ita sint, magna tamen eloquentia est utendum 117
atque ita velut superiore e loco contionandum, ut homines mortem vel optare incipiant vel certe timere desistant. Nam si supremus ille dies non nostri extinctionem, sed commutationem adfert loci, quid optabilius? sin autem perimit ac delet omnino, quid melius quam in mediis vitae laboribus obdormiscere et ita coniventem somno consopiri sempiterno? Quod si fiat, melior Enni quam Solonis oratio. Hic enim noster:

Nemo me lacrimis decoret, inquit, *nec funera fletu*
Faxit!

At vero ille sapiens:

Mors mea ne careat lacrimis, linquamus amicis
Maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Nos vero, si quid tale acciderit, ut a deo denuntiatum videatur 118
ut exeamus e vita, laeti et agentes gratias pareamus emittique nos e custodia et levari vinclis arbitremur, ut aut in aeternam et plane nostram domum remigremus aut omni sensu molestiaque careamus; sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen simus animo, ut horribilem illum diem aliis nobis faustum putemus nihilque in malis ducamus, quod sit vel a dis inmortalibus vel a natura parente omnium constitutum. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano nec id gigneret aut aleret, quod cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis et perfugium putemus. Quo utinam 119
velis passis pervehi liceat! Sin reflantibus ventis reiciemur, tamen eodem paulo tardius referamur necesse est. Quod autem omnibus necesse est, idne miserum esse uni potest? Habes epilogum, ne quid praetermissum aut relictum putes.

A. Ego vero, et quidem facit etiam iste me epilogus firmiorem.

---

4. atque ita] *ita* delendum censet cum Wes. Ba. — 6. nostri] de meo addidi. — 19. plane nostram] de Wes. coni. Ba.; vulgo *in nostram.* — 29. eodem] *eadem* Tr. falso de cod. Regio testimonio inductus.

M. Optime, inquam. Sed nunc quidem valetudini tribuamus aliquid, cras autem et quot dies erimus in Tusculano, agamus haec et ea potissimum, quae levationem habeant aegritudinum, formidinum, cupiditatum, qui omnis philosophiae est fructus uberrimus.

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM
AD BRUTUM
LIBER SECUNDUS

DE TOLERANDO DOLORE.

1 I. Neoptolemus quidem apud Ennium philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis: nam omnino haud placere. Ego autem, Brute, necesse mihi quidem esse arbitror philosophari: nam quid possum, praesertim nihil agens, agere melius? sed non paucis, ut ille. Difficile est enim in philosophia pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque aut omnia. Nam nec pauca nisi e multis eligi possunt, nec qui pauca perceperit non idem reliqua eodem
2 studio persequetur. Sed tamen in vita occupata atque, ut Neoptolemi tum erat, militari pauca ipsa multum saepe prosunt et ferunt fructus, si non tantos, quanti ex universa philosophia percipi possunt, tamen eos, quibus aliqua ex parte interdum aut cupiditate aut aegritudine aut metu liberemur. Velut ex ea disputatione, quae mihi nuper habita est in Tusculano, magna videbatur mortis effecta contemptio, quae non minimum valet ad animum metu liberandum. Nam qui id, quod vitari non potest,

---

2. quot dies] Or. Kl. Ba. prob. Wes.; *quos dies* cum GR Tr. — 4. omnis philosophiae] de Gebhardi et C. Halmii coni.; *omni e philosophia* cum Victorio Or. Tr. Kl. Ba.; GR *omni philosophia*. — 5. in philosophia] *in* abest GR. — 7. perceperit] GR; *percepit* Tr. deceptus Gudiani collatoris de Reg. silentio.

metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest; sed qui, non modo quia necesse est mori, verum etiam quia nihil habet mors quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam vitam comparavit. Quamquam non sumus ignari 3 multos studiose contra esse dicturos, quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus. Etenim si orationes, quas nos multitudinis iudicio probari volebamus — popularis est enim illa facultas et effectus eloquentiae est audientium adprobatio —, sed si reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent, quemque sperandi sibi, eundem bene dicendi finem proponerent et, cum obruerentur copia sententiarum atque verborum, ieiunitatem et famem se malle quam ubertatem et copiam dicerent (unde erat exortum genus Atticorum iis ipsis, qui id sequi se profitebantur, ignotum, qui iam conticuerunt paene ab ipso foro irrisi): quid futurum putamus, cum adiutore populo, 4 quo utebamur antea, nunc minime nos uti posse videamus? Est enim philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens eique ipsi et suspecta et invisa, ut vel, si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit, vel, si in eam, quam nos maxime sequimur, conetur invadere, magna habere possit auxilia a reliquorum philosophorum disciplinis.

II. Nos autem universae philosophiae vituperatoribus respondimus in Hortensio, pro Academia autem quae dicenda essent satis accurate in Academicis quattuor libris explicata arbitramur; sed tamen tantum abest ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. In ipsa enim Graecia philosophia tanto in honore numquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset.

Quamobrem hortor omnis, qui facere id possunt, ut huius 5 quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et traferant in hanc urbem, sicut reliquas omnis, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua maiores nostri transtulerunt. Atque oratorum quidem laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut iam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat brevique tem-

---

4. comparavit] de Ma. coni. Ba. prob. Wes.; vulgo cum GR *comparat*. — 21. auxilia a] La.; *a* omittunt codd., etiam GR. — 30. traferant de Wes. coni. Ba.; vulgo *perferant;* GR *praeferant.*

pore ad nibilum ventura videatur; philosophia nascatur Latinis quidem litteris ex his temporibus eamque nos adiuvemus nosque ipsos redargui refellique patiamur. Quod ii ferunt animo iniquo. qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt eaque necessitate constricti, ut etiam quae non probare soleant, ea cogantur constantiae causa defendere; nos, qui sequimur probabilia nec ultra quam ad id, quod veri simile occurrit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli
6 sine iracundia parati sumus. Quod si haec studia traducta erunt ad nostros, ne bibliothecis quidem Graecis egebimus, in quibus multitudo infinita librorum propter eorum est multitudinem, qui scripserunt. Eadem enim dicuntur a multis, ex quo libris omnia referserunt. Quod accidet etiam nostris, si ad haec studia plures confluxerint. Sed eos, si possumus, excitemus, qui liberaliter eruditi adhibita etiam disserendi elegantia ratione et via philo-
7 sophantur. **III.** Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse Latini sane multi libri, quos non contemno equidem, quippe quos numquam legerim; sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte neque distribute, neque eleganter neque ornate scribere. lectionem sine ulla delectatione neglego. Quid enim dicant et quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nemo ne mediocriter quidem doctus ignorat. Quamobrem, quoniam quemadmodum dicant ipsi non laborant, cur legendi sint nisi ipsi inter se, qui
8 idem sentiunt, non intellego. Nam ut Platonem reliquosque Socraticos et deinceps eos, qui ab his profecti sunt, legunt omnes, etiam qui illa aut non adprobant aut non studiosissime consectantur, Epicurum autem et Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit, sic hos Latinos ii soli legunt, qui illa recte dici putant. Nobis autem videtur, quicquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere; nec, si id ipsi minus consequi possumus, idcirco minus id ita faciendum

1. **nascatur**] GR; *nascitur* de Be. coni. Dav.; *nascetur* Ti. — 3. **Quod ii**] GR; *quod si ii* Ti. Kl. falso de Reg. testimonio decepti. — 7. **quam ad id**] de Wes. coni. Ba; vulgo *nec ultra id* aut *nec ultra [quam] id*; GR *nec ultra quam id.* — 8. **occurrit**] GR; *occurrerrit* Or. — 22. **ne mediocriter quidem**] de Madv. coni. Tr. Kl. Ba.; ceteri omittunt cum GR *ne.* — 32. **id**] includit de Bak. sent. Ba.

esse sentimus. Itaque mihi semper Peripateticorum Academiaeque **9** consuetudo de omnibus rebus in contrarias partis disserendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset quid in quaque re veri simile esset inveniri, sed etiam quod esset ea maxuma dicendi exercitatio. Qua princeps usus est Aristoteles, deinde eum qui secuti sunt. Nostra autem memoria Philo, quem nos frequenter audivimus, instituit alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio philosophorum; ad quam nos consuetudinem a familiaribus nostris adducti in Tusculano quod datum est temporis nobis in ea consumpsimus. Itaque cum ante meridiem dictioni operam dedissemus, sicut pridie feceramus, post meridiem in Academiam descendimus. In qua disputationem habitam non quasi narrantes exponimus, sed eisdem fere verbis, ut actum disputatumque est. **IV.** Est igitur ambulantibus ad hunc modum **10** sermo ille nobis institutus et a tali quodam ductus exordio:

A. Dici non potest quam sim hesterna disputatione tua delectatus vel potius adiutus. Etsi enim mihi sum conscius numquam me nimis vitae cupidum fuisse, tamen interdum obiciebatur animo metus quidam et dolor cogitanti fore aliquando finem huius lucis et amissionem omnium vitae commodorum. Hoc genere molestiae sic, mihi crede, sum liberatus, ut nihil minus curandum putem.

M. Minime mirum id quidem: nam efficit hoc philosophia, **11** medetur animis: inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed haec eius vis non idem potest apud omnis; tum valet multum, cum est idoneam complexa naturam. Fortis enim non modo fortuna adiuvat, ut est in vetere proverbio, sed multo magis ratio, quae quibusdam quasi praeceptis confirmat vim fortitudinis. Te natura excelsum quendam videlicet et altum et humana despicientem genuit, itaque facile in animo forti contra mortem habita insedit oratio. Sed haec eadem num censes apud eos ipsos valere nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt? Quotus enim quisque philosophorum invenitur qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem

10. **in ea** scripsi de Bc. coni.; vulgo *in eo*. — 15. **ductus** cum Cratandro Or. Kl. Ba. prob. Wes.; *inductus* cum G R Tr.

scientiae, sed legem vitae putet? qui optemperet ipse sibi et de-
12 cretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et iactatione, ut iis fuerit non didicisse melius, alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Ut enim si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur aut si absurde canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam, sic philosophus in vitae ratione peccans hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse volt, labitur artemque vitae professus delinquit in vita.

V. A. Nonne verendum est igitur, si est ita, ut dicis, ne philosophiam falsa gloria exornes? Quod est enim maius argumentum nihil eam prodesse quam quosdam perfectos philosophos turpiter vivere?

13 M. Nullum vero id quidem argumentum est. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, falsumque illud Accii:

Probae étsi in segetem súnt deteriorém datae
Fruges, tamen ipsae suapte natura enitent;

sic animi non omnes culti fructum ferunt. Atque ut in eodem simili verser, ut ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus: ita est utraque res sine altera debilis. Cultura autem animi philosophia est: haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant. Agamus igitur, ut coepimus. Dic, si vis, de quo disputari velis.

14 A. Dolorem existimo maxumum malorum omnium.

M. Etiamne maius quam dedecus?

A. Non audeo id dicere equidem et me pudet tam cito de sententia esse deiectum.

M. Magis esset pudendum, si in sententia permaneres. Quid enim minus est dignum quam tibi peius quicquam videri dedecore,

8. profitetur] GR; *profiteatur* de Ern. coni. Kl. prob. Wes. — 30. equidem] de Halmii coni. (cfr. III, 31); vulgo cum GR *quidem; id quidem dicere volebat* Wes.

flagitio, turpitudine? qnae ut effugias, quis est non modo recnsandus, sed non ultro adpetendns, subeuudus, excipiendus dolor?

A. Ita prorsus existimo. Quare ne sit sane summum malum dolor, malum certe est.

M. Videsne igitur quantum breviter admonitus de doloris terrore deieceris?

A. Video plane, sed plns desidero. 15

M. Experiar equidem, sed magua res est, animoque mihi opus est non repugnaute.

A. Habebis id quidem. Ut enim heri feci, sic nunc rationem quo ea me cumque ducet sequar.

VI. M. Primum igitur de iubecillitate multornm et de variis disciplinis philosophornm loquar, quorum priuceps et auctoritate et antiqnitate, Socraticus Aristippus, non dubitavit summum malum dolorem dicere. Deinde ad hanc enervatam mnliebremque sententiam satis docilem se Epicurus praebuit. Huuc post Rhodius Hieronymus secutus dolore vacare summum bouum dixit: tautum in dolore duxit mali. Ceteri praeter Zeuonem, Aristonem, Pyrrhonem idem fere, qnod modo tu, malum illud quidem, sed alia peiora. Ergo id, quod natura ipsa et 16 quaedam generosa virtus statim respuit, ne scilicet dolorem snmmum malum diceres oppositoqne dedecore sententia depellerere, in eo magistra vitae philosophia tot saecula permanet. Quod huic officium, qnae laus, quod decus erit tauti, quod adipisci cum dolore corporis velit, qui dolorem summum malum sibi esse persuaserit? Quam porro quis ignominiam, quam turpitudinem non pertulerit, ut effugiat dolorem, si id summum malum esse decreverit? Quis autem non miser nou modo tunc, cum premetur summis doloribus, si in his est summum malum, sed etiam cum sciet id sibi posse evenire? et quis est cui non possit? Ita fit ut omnino nemo esse possit beatus. Metrodorus quidem perfecte 17 enm beatum putat, cui corpus bene constitutnm sit et exploratum ita semper fore. Quis antem est iste, cui id exploratum possit esse? **VII.** Epicurus vero ea dicit, nt mihi quidem risus captare

1. non modo] GR; *non modo non* cum Ern. Kl. — 17. secutus] de mea coni. adieci; La. volebat *Post hunc*. — 21. ne scilicet] de Be. coni. Kl. Ba. prob. Wes.; GR *ne se* et *dicere* — *depellere*. — 30. et quis est] GR *et si quis est*.

videatur. Adfirmat enim quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur — expectas fortasse dum dicat *patietur, perferet, non succumbet;* magna mehercule laus et eo ipso, per quem iuravi, Hercule digna, sed Epicuro, homini aspero et duro, non est hoc satis: in Phalaridis tauro si erit, dicet: ,Quam suave est, quam hoc non curo!' Suave etiam? an parum est, si non amarum? At id quidem illi ipsi, qui dolorem malum esse negant, non solent dicere, cuiquam suave esse cruciari: asperum difficile odiosum, contra naturam dicunt, nec tamen malum. Hic, qui solum hoc malum dicit et malorum omnium extremum, sapientem censet
18 id suave dicturum. Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis adficias, quibus Epicurus voluptatem, homo, ut scis, voluptarius. Ille dixerit sane idem in Phalaridis tauro, quod, si esset in lectulo; ego tantam vim non tribuo sapientiae contra dolorem. Si fortis est in perferendo, officio satis est; ut laetetur etiam, non postulo. Tristis enim res est sine dubio, aspera amara, ini-
19 mica naturae, ad patiendum tolerandumque difficilis. Aspice Philoctetam, cui concedendum est gementi: ipsum enim Herculem viderat in Oeta magnitudine dolorum eiulantem. Nihil igitur hunc virum sagittae, quas ab Hercule acceperat, tum consolantur, cum

E viperino mórsu venae víscerum
Veneno inbutae taetros cruciatus cient.

Itaque exclamat auxilium expetens, mori cupiens:

Heu! quis salsis fluctibus mandet
Me ex súblimo vertice saxi?
Iam iam ábsumor, conficit animam
Vis vólneris, ulceris áestus.

Difficile dictu videtur eum non in malo esse et magno quidem,
20 qui ita clamare cogatur. **VIII.** Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum inmortalitatem ipsa morte quae-

4. Hercule] includit de Bak. sent. Ba. — 12. voluptatem] quod addunt GR, delent de Be. sent. Tr. Ti. Ba.; uncis includit Kl. — 15. Si fortis est] de Halmii coni. Ba.; GR *si forte*; *sit fortis* Or. Kl. — 20. consolantur] de Be. coni. vulgo; *consolabantur* cum GR Mo. — 26. sublimo] GR^1; *sublimi* cum R^2 Tr.

rebat. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit? Cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset inhaesissetque ea visceribus, ait ille:

O múlta dictu grávia, perpessu áspera,
Quae corpore exanclata atque animo pertuli!
Nec mihi Iunonis terror inplacabilis
Nec tantum invexit tristis Eurystheus mali,
Quantum una voecors Oenei partu edito.
Haec me inretivit veste furiali inscium,
Quae latere inhaerens morsu lacerat viscera
Urgensque graviter pulmonum haurit spiritus;
Iam decolorem sanguinem omnem exorbuit.
Sic corpus clade horribili absumptum extabuit;
Ipse inligatus peste interemor textili.
Hos non hostilis dextra, non Terra edita
Moles Gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori infixit meo,
Non Graia vis, non barbara ulla inmanitas,
Non saeva terris gens relegata ultimis,
Quas peragrans undique omnem ecferitatem expuli;
Sed feminae vir feminea interemor manu.
IX. *O nate, vere hoc nomen usurpa patri,*
Ne me occidentem matris superet caritas.
Huc arripe ad me manibus abstractam piis:
Iam cernam mene an illam potiorem putes.
Perge, aude, nate, inlacrima patris pestibus, **21**
Miserere! Gentes nostras flebunt miserias.
Heu! virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemescentem malo!
Ecfeminata virtus adflicta occidit.

---

1. Cui cum Deianira — ait ille] GR; *Qui cum a Deianira — ait illa* de Schlengeri coni. Ti. — 6. terror] *fervor* volebat Be. — 10. latere] cum GR Tr.; *lateri* Or. Kl. Ba. prob. Wes. — 17. infixit] cum GR Or.; vulgo *inflixit*. — 20. ecferitatem] de Kl. coni. Ba. prob. Wes.; vulgo cum R *hic veritatem* (G *ieferitatem*). — 21. feminae vir] de Wes. coni.; vulgo cum libris *feminea vir*. — 22. usurpa patri, Ne me occidentem] cum GR Or.; *patri, Ne me occidente* Kl. Ba.; *patri, Neve occidentem* Wes.; *patris Neve occidentem* de Buh. sent. Wo. Tr. — 30. Ecfeminata] Kl. Ba. prob. Wes; *sic feminata* GR, *effeminata* ceteri.

Accede, nate, adsiste, miserandum aspice
Evisceratum corpus laceratum patris!
Videte, cuncti, tuque, caelestum sator,
Iace, obsecro, in me vim coruscam fulminis:
Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vertices,
Nunc serpit ardor. O ante victrices manus,
22 *O pectora, o terga, o lacertorum tori,*
Vestrone pressu quondam Nemeaeus leo
Frendens efflavit graviter extremum halitum?
Haec dextra Lernam, taetra mactata excetra,
Pacavit, haec bicorporem adflixit manum,
Erymanthiam hace vastificam abiecit beluam;
Haec e Tartarea tenebrica abstractum plaga
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem,
Haec interemit tortu multiplicabili
Draconem auriferam optutu adservantem arborem;
Multa alia victrix nostra lustravit manus,
Nec quisquam e nostris spolia cepit laudibus.

Possumusne nos contemnere dolorem, cum ipsum Herculem tam
23 intoleranter dolere videamus? — **X.** Veniat Aeschylus, non
poëta solum, sed etiam Pythagoreus: sic enim accepimus. Quo modo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium,

Unde ignis cluet mortálibus clam
Divisus et hunc doctús Prometheus
Clepsísse dolo poenásque Iovi
Fato éxpendisse suprémo.

Has igitur poenas pendens, adfixus ad Caucasum, dicit haec:

Titánum soboles, sócia nostri sánguinis,
Generata Caelo, aspicite religatum asperis

2. Evisceratum] GR; *eviscerati* de Bc. coni. Or. Kl. Ba.; *evisceratum — lacerati* Tr. — 11. Pacavit] de Turnebi coni. plerique; GR *placavit.* — 16. adservantem] cum GR Kl. Ba. prob. Wes.; *observantem* Or. Tr. — 24. cluet] restitutum ex Varrone; libri *clucet* vel *lucet.* — 25. et hunc doctus] de nostra coni.; libri *eum doctus; dictus* cum paucis editt. Or. Tr. — 26. clepsisse] GR; *clepisse* de God. Hermanni sent. Or.

Vinctumque saxis, navem ut horrisono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitae.
Saturnius me sic infixit Iuppiter,
Iovisque numen Mulciberi adscivit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inserens
Perrupit artus, qua miser sollertia
Transverberatus castrum hoc Furiarum incolo.
Iam tertio me quoque funesto die **24**
Tristi advolatu aduncis lacerans unguibus
Iovis satelles pastu dilaniat fero;
Tum iecore opimo farta et satiata adfatim
Clangorem fundit vastum et sublime avolans
Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
Cum vero adesum inflatu renovatum est iecur,
Tum rursum taetros avida se ad pastus refert.
Sic hanc custodem maesti cruciatus alo,
Quae me perenni vivum foedat miseria.
Namque, ut videtis, vinclis constrictus Iovis
Arcere nequeo diram volucrem a pectore.
Sic me ipse viduus pestes excipio anxias, **25**
Amore mortis terminum anquirens mali;
Sed longe a leto numine aspellor Iovis.
Atque haec vetusta saeclis glomerata horridis
Luctifica clades nostro infixa est corpori,
E quo liquatae solis ardore excidunt
Guttae, quae saxa adsidue instillant Caucasi.

Vix igitur posse videmur ita adfectum non miserum dicere et, si hunc miserum, certe dolorem malum.

XI. A. Tu quidem adhuc meam causam agis; sed hoc **26**
mox videro, interea unde isti versus? non enim adgnosco.

M. Dicam hercle: etenim recte requiris: videsne abundare me otio?

A. Quid tum?

M. Fuisti saepe, credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum.

---

4. **Mulciberi**] de Wes. sent. Kl. Ba.; GR *Mulcebri*; Or. *Mulcibri.* — 16. **hanc — Quae**] de Be. coni. Ba. prob. Wes.; vulgo cum GR *hunc — Qui.*

A. Vero ac libenter quidem.

M. Animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, verum tamen versus ab iis admisceri orationi.

A. Ac multos quidem a Dionysio Stoico.

M. Probe dicis. Sed is quasi dictata, nullo dilectu, nulla elegantia, Philo et proprio numero et lecta poëmata et loco adiungebat. Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poëtis, sed, sicubi illi defecerunt, Graecis: verti enim multa de Graecis, ne quo ornamento

27 in hoc genere disputationis careret Latina oratio. Sed videsne poëtae quid mali adferant? Lamentantis inducunt fortissimos viros, molliunt animos nostros; ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam cum accesserunt etiam poëtae, nervos omnis virtutis elidunt. Recte igitur a Platone eiciuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cum optimos mores et optimum rei publicae statum exquireret. At vero nos, docti scilicet a Graecia, haec a pueritia legimus ediscimus, hanc eruditionem liberalem et doctrinam putamus.

28 XII. Sed quid poëtis irascimur? Virtutis magistri, philosophi, inventi sunt qui summum malum dolorem dicerent. At tu, adulescens, cum id tibi paulo ante dixisses videri, rogatus a me, etiamne maius quam dedecus, verbo de sententia destitisti. Rogaro hoc idem Epicurum, maius dicet esse malum mediocrem dolorem quam maxumum dedecus: in ipso enim dedecore mali nihil esse, nisi sequantur dolores. Quid igitur? Epicurum non sequitur dolor, cum hoc ipsum dicit, summum malum esse dolorem? quo dedecus maius a philosopho nullum expecto. Quare

---

6. Philo et proprio numero] sic emendavi GR *Philo et proprium noster*; ex cod. Coloniensi Or. *Philo noster et proprium numerum*; omittunt vv. *et proprium numerum* cum codd. aliquot Dav. Tr. — 9. Graecis] ego adieci. — verti enim] GR; *verti etiam* coni. Halm., *verti nonnulla* Kl.; vulgo *verti multa* omisso *enim*. — 16. eiciuntur] ex duobus codd. Dav. Tr. Kl. Ba.; *dicuntur* G^1 R^1, iidem *ducuntur* manu secunda; *educuntur* Or. — 18. haec a pueritia — ediscimus] de nostra coni.; *a pueritia et legimus et discimus* de Bak. sent. Ti.; *et a pueritia legimus ediscimus* Or. susp.; GR *et a pueritia legimus et discimus*. — 23. Rogaro] de Wes. coni.; GR *rogo*; *roga* ex editt. vett. Ern. Tr. Kl. Ba. — 26. Quid igitur? Epicurum non sequitur dolor] sic emendavi vulgatam scripturam *Quis igitur Epicurum sequitur dolor*.

satis mihi dedisti, cum respondisti maius tibi videri malum dedecus
quam dolorem. Hoc ipsum enim si tenebis, intelleges quam sit
obsistendum dolori; nec tam quaerendum est, dolor malumne sit,
quam firmandus animus ad dolorem ferendum. — Concludunt 29
ratiunculas Stoici cur non sit malum, quasi de verbo, non de re
laboretur. — Quid me decipis, Zeno? Nam cum id, quod mihi
horribile videtur, tu omnino malum negas esse, capior et scire
cupio quo modo id, quod ego miserrimum existimem, ne malum
quidem sit. — Nihil est, inquit, malum, nisi quod turpe atque
vitiosum est. — Ad ineptias redis: illud enim, quod me angebat,
non eximis. Scio dolorem non esse nequitiam; desine id me do-
cere, hoc doce, doleam necne doleam nihil interesse. — Numquam
quicquam, inquit, ad beate quidem vivendum, quod est in una vir-
tute positum; sed est tamen reiciendum. — Cur? — Asperum est,
contra naturam, difficile perpessu, triste durum. — **XIII.** Haec est 30
copia verborum, quod omnes uno verbo malum appellamus, id
tot modis posse dicere. Definis tu mihi, non tollis dolorem, cum
dicis asperum, contra naturam, vix quod ferri tolerarique possit,
nec mentiris, sed re succumbere non oportebat verbis gloriantem.
Nihil bonum nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe.
Optare hoc quidem est, non docere; illud et melius et verius,
omnia, quae natura aspernetur, in malis esse, quae adsciscat, in
bonis. Hoc posito et verborum concertatione sublata tantum
tamen excellet illud, quod recte amplexantur isti, quod honestum,
quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum
virtutis nomine amplectimur, ut omnia praeterea, quae bona cor-
poris et fortunae putantur, perexigua et minuta videantur, nec
malum ullum, ne si in unum quidem locum conlata omnia erunt,
cum turpitudinis malo comparanda. Quare si, ut initio conces- 31
sisti, turpitudo peius est quam dolor, nihil est plane dolor. Nam
dum tibi turpe nec dignum viro videbitur gemere eiulare lamen-
tari, frangi debilitari dolore, dum honestas, dum dignitas, dum

19. gloriantem. Nihil] de La. sent. Ti. Ba.; scripturam GR *gloriantem dum nihil* intellecto *dicis* retinet Or.; *groriabundum. Nihil* de Madv. sent. Tr. Kl. — 27. nec malum ullum, ne si in unum quidem locum — comparanda] partim de Bak. et Halmii sent., partim *(comparanda)* de nostra; vulgo *ne malum quidem ullum nec, si in unum locum —, comparanda.* — 28. erunt] nos correximus; GR *sunt;* vulgo de Ern. coni. *sint.*

decus aderit, tuque in ea intnens te continebis; cedet profecto
virtuti dolor et animi inductione languescet. Aut enim nulla virtus
est ant contemnendus omnis dolor. Prudentiamne vis esse, sine
qua ne intellegi quidem ulla virtus potest? Quid ergo? ea pa-
tieturne te quicquam facere nihil proficientem et temere laboran-
tem? an temperantia sinet te inmoderate facere quicquam? an coli
iustitia poterit ab homine propter vim doloris enuntiante commissa,
32 prodente conscios, multa officia relinquente? Quid? fortitudini co-
mitibusque eius, magnitudini animi gravitati patientiae, rerum
humanarum despicientiae quo modo respondebis? adflictusne et ia-
cens et lamentabili voce deplorans audies: ‚O virum fortem?‘ Te
vero ita adfectum ne virum quidem quisquam dixerit. Amittenda
igitur fortitudo est aut sepeliendus dolor. **XIV.** Ecquid scis igitur,
si quid de Corinthiis tuis amiseris, posse habere te reliquam su-
pellectilem salvam; virtutem autem si unam amiseris, etsi amitti
non potest virtus, sed si unam confessus fueris te non habere,
33 nullam esse te habiturum? Num igitur fortem virum, num magno
animo num patientem num gravem, num humana contemnentem
potes dicere aut Philoctetam illum: a te enim malo discedere —;
sed ille certe non fortis, qui iacet

in tecto úmido,
Quod éiulatu, quéstu, gemitu, frémitibus
Resonando mutum flebilis voces refert.

Non ego dolorem dolorem esse nego: cur enim fortitudo deside-
raretur?, sed eum opprimi dico patientia, si modo est aliqua pa-
tientia; si nulla est, quid exornamus philosophiam aut quid eius
nomine gloriosi sumus? Pungit dolor, vel fodiat sane: si nudus
es, da iugulum; sin tectus Volcaniis armis, id est fortitudine,
resiste: haec enim te, nisi ita facies, custos dignitatis relinquet
34 et deseret. Cretum quidem leges, quas sive Iuppiter sive Minos

---

5. temere] nos adiecimus; omittunt GR; vulgo de La. coni. *frustra* prob. Be. et Wes. — 11. audies] Or. Tr. Ba.; GR *audiens; audieris* Dav. Kl. — 16. confessus fueris GR; *confessus eris* cum R Or. Ba. — 19. discedere] de Be. coni.; GR *discere.* — 21. tecto] de Buh. coni. prob. Madv. Tr. Kl. Ba.; *lecto* cum GR Or. — 23. mutum] ex codd. aliquot Dav. Be. ceteri; GR *multum.* — 26. si nulla est GR et Nonius; *sin nulla* de La. sent. Or. — 30. sive Iuppiter] omittunt GR; in aliis aliter suppletus locus est.

sanxit de Iovis quidem sententia, ut poëtae ferunt, itemque Lycurgi laboribus erudiunt iuventutem, venando currendo, esuriendo sitiendo, algendo aestuando. Spartae vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, *ut multus e visceribus sanguis exeat,* nonnumquam etiam, ut, cum ibi essem, audiebam, ad necem: quorum non modo nemo exclamavit umquam, sed ne ingemuit quidem. Quid ergo? hoc pueri possunt, viri non poterunt? et mos valet, ratio non valebit?

XV. Interest aliquid inter laborem et dolorem; sunt fini- **35**
tima omnino, sed tamen differunt aliquid. Labor est functio quaedam vel animi vel corporis gravioris operis et muneris; dolor autem motus asper in corpore, alienus a sensibus. Haec duo Graeci illi, quorum copiosior est lingua quam nostra, uno nomine appellant. Itaque industrios homines illi studiosos vel potius amantis doloris appellant, nos commodius laboriosos: aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Graecia! Aliud, inquam, est dolere, aliud laborare. Cum varices secabantur C. Mario, dolebat; cum aestu magno ducebat agmen, laborabat. Est inter haec quaedam tamen similitudo: consuetudo enim laborum perpessionem dolorum efficit faciliorem. Itaque illi, qui Graeciae formam rerum publi- **36**
carum dederunt, corpora iuvenum firmari labore voluerunt. Quod Spartiatae etiam in feminas transtulerunt, quae ceteris in urbibus mollissimo cultu *parietum umbris occuluntur.* Illi autem voluerunt nihil horum simile esse

apúd Lacaenas virgines,
Quibus mágis palaestra, Eurótas, sol, pulvis, labor
Militiae et studio est quam fertilitas barbara.

Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor intercurrit nonnum-

---

4. ut multus — exeat] pro versu et habuerunt et scripserunt de Lachmanni sent. Ti. Ba. — 10. differunt] Or. Ba.; *differt* ex GR Or. Tr. Kl. — 21. efficit] cum paucis codd. Ern. Or. alii, *efficiat* cum GR Dav.; alii *efficiet;* Or. volebat *efficiebat.* — 24. parietum umbris occuluntur] tanquam ex poeta sumptum, ut volebat Ribbeck., scripserunt Ti. Kl. Ba. — 25. nihil horum simile est] poetae verba volunt esse de O. Ribb. sent. Ti. Kl. — 27. Eurotas] de Wes. corr. Ba.; vulgo *Eurota.* — 28. Militiae et studio est] de nostra coni.; GR *militia in studio est; labor Militiae studio est* de Buh. coni. Ba. prob. Wes.; *militia studio est* Or. Kl.

quam: inpelluntur feriuntur, abiciuntur cadunt; et ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori.

37 **XVI.** In militia vero — nostram dico, non Spartiatarum, quorum procedit iter ad modum ac tibiam, nec adhibetur ulla sine anapaestis pedibus hortatio —, nostri exercitus primum unde nomen habeant vides; deinde qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant quam umeros, lacertos, manus: arma enim membra militis esse dicunt, quae quidem ita geruntur apte, ut, si usus fuerit, abiectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare possint. Quid? exercitatio legionum; quid? ille cursus, concursus, clamor quanti laboris est! Ex hoc ille animus in proeliis paratus ad volnera. Adduc pari animo inexercitatum militem,
38 mulier videbitur. Cur tantum interest inter novum et veterem exercitum, quantum experti sumus? Aetas tironum plerumque melior, sed ferre laborem, contemnere volnus consuetudo docet. Quin etiam videmus ex acie efferri saepe saucios et quidem rudem illum et inexercitatum quamvis levi ictu ploratus turpissimos edere; at vero ille exercitatus et vetus ob eamque rem fortior medicum modo requirens, a quo obligetur.

O Pátricoles, inquit, *ad vós advéniens, aúxilium et vestrás manus*
Pető, priusquam oppető malam pestem mándatam hostilí manu,
Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere,
Si qui sapientia magis vestra mors devitari potest.
Namque Asculapi liberorum saucii opplent porticus;
Non potest accedi. P. Certe Eurypylus hic quidem. Heu exercitum,
Ubi tantum luctus continuatur!

---

3. In militia vero — nostram dico] de nostra coni.; vulgo *Militiam vero — nostram dico.* — 4. procedit iter ad modum ac tibiam] sic correxi librorum script. *procedit admodum ad tibiam; procedit agmen ad tibiam* coni. La., *acies* Wes., *mora* I. Fr. Gronov. — 11. fuerit] de Be. coni.; GR *foret; ferat* cum La. Or. Kl. — 29. Eurypylus hic quidem] *est*, quod addunt libri, omisi cum. Ti. et Ba. — Heu exercitum, ubi tantum — continuatur] de nostra coni.; vulgo *Hominem exercitum*, seiunctis a poetae oratione verbis *ubi tantum luctus continuatur.*

XVII. Vide quam non flebiliter respondeat: rationem etiam ad- 39
fert, cur aequo animo sibi ferendum sit:

E. Qui alteri exitium parat,
Eum scire oportet sibi paratam pestem ut participet
parem.

Abducet Patricoles, credo, ut coulocet in cubili, ut volnns obliget. Si quidem homo esset, sed nihil vidi minus. Quaerit enim quid actum sit:

P. Eloquere, eloquere, res Argivum proelio ut se sustinet.
E. Non potest ecfari tantum dictis, quantum factis suppetit
Laboris.

Quiesce igitur et voluus adliga. Etiam si Eurypylus posset, non posset Aesopns.

E. Úbi fortuna Hectóris nostram acrem áciem inclina-
tám . . . .

et cetera explicat in dolore: sic est enim intemperans militaris
iu forti viro gloria. Ergo haec veteranns miles facere poterit,
doctus vir sapiensqne non poterit? Ille vero melins ac non panlo
quidem. Sed adhuc de consuetudine exercitationis loquor, non- 40
dum de ratione et sapientia. Aniculae saepe inediam bidnum
aut triduum ferunt. Subduc cibum unum diem athletae, Iovem
Olympinm, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit, ferre se non
posse clamabit. Consuetudinis magna vis est. Pernoctant venatores
in nive et montibus, uri se patiuntur; vide pngiles: caestibus con-
tusi ne ingemiscunt qnidem. Sed qnid hos, quibus Olympiorum 41
victoria consulatus ille antiquus videtur? gladiatores, aut perditi

---

1. adfert] ex paucis codd. Or. Tr.: *adferat* ex GR Mo. Kl. Ba. — 9. Eloquere, eloquere] cum GR. Kl. Ba.; alterum *eloquere* omittnnt Or. Tr. — 10. potest] GR; *poti* Or. Tr. — 11. Laboris] in *laberis* mutatum et hoc et reliqua verba *quisce igitur — adliga* Patroclo attribuit Be., Ciceroni Ti. — 14. Ubi fortuna ctqs.] tetrametrum trochaicnm complevit Bergkius addito *dedit.* — 22. exercebit] GR; *exercet* de H. Sauppii coni. Ti. Ba. — ibid. ferre se] de La. coni.; omittunt *se* cum GR Or. Tr. Kl.; *non posse se* ex cod. Leidensi Buh. Ba. — 24. in nive et montibus] de nostra coni., vulgo *in nive, in montibus uri se patiuntur.* — ibid. vide pugiles] sic voluerat Or., sed spreverat; GR *inde pugiles*, quod retinent Wo. Or. Kl;. delent *inde* cum La. Tr. Ba.

homines aut barbari, quas plagas perferunt! quo modo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt quam turpiter vitare! quam saepe apparet nihil eos malle quam vel domino satis facere vel populo! Mittunt etiam volneribus confecti ad dominos qui quaerant quid veliut: si satis iis factum sit, se velle decumbere. Quis mediocris gladiator ingemuit, quis voltum mutavit umquam? quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cum decubuisset, ferrum recipere iussus collum contraxit? Tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet. Ergo hoc poterit

Samnis, spurcus homo, vita illa dignus locoque;

vir natus ad gloriam ullam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione et ratione couroboret? Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet, et haud scio an ita sit, nt nunc fit; cum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina.

42 **XVIII.** De exercitatione et consnetudine et commentatione dixi. Age, sis, nnnc de ratione videamus, nisi quid vis ad haec.

A. Egone ut te interpellem? Ne hoc quidem vellem: ita me ad credendum tna ducit oratio.

M. Sitne igitur malnm dolere necne Stoici viderint, qni contortnlis qnibnsdam et minutis conclnsiunculis nec ad sensus permanantibus effici volunt non esse malnm dolorem. Ego illud, qnicquid sit, tantnm esse quantnm videatur non pnto, falsaque eius visione et specie moveri homines dico vehementins doloremque aio omnem esse tolerabilem. Unde igitur ordiar? an eadem breviter attingam, quae modo dixi, qno facilius oratio progredi
43 possit longins? Inter omnis igitur hoc constat nec doctos homines solum, sed etiam indoctos, virorum esse fortinm et magnanimorum et patientium et humana vincentinm toleranter dolorem pati, nec vero qnisquam fnit qui enm, qui ita pateretur, non landandum putaret. Quod ergo et postulatur a fortibus et landatur,

5. si satis iis factum sit] cum GR. Tr. Kl. Ba.; *factum non sit* Or.; *nisi satis iis factum sit* Mo. — 22. dolere] GR; *dolor* Or. — 26. doloremque aio] de nostra coni., *doloremque eius* cum libris Kl., *eis* Ma., *rebus volebat* Be.: deleut *eius* Tr. Ba.

cum fit, id aut extimescere veniens aut non ferre praesens nonne turpe est? Atqui vide ne, cum omnes rectae animi adfectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, sed ab ea, quae una ceteris excellebat, omnes nominatae sint. Appellata est enim ex viro virtus, viri autem propria maxime est fortitudo, cuius munera duo sunt maxima: mortis dolorisque contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes vel potius si viri volumus esse, quoniam a viris virtus nomen est mutuata. Quaeres fortasse, quo modo, et recte: talem enim medicinam philosophia profitetur.

XIX. Venit Epicurus, homo minime malus vel potius vir 44 optimus: tantum monet, quantum intellegit: ,Neglege' inquit ,dolorem.' Quis hoc dicit? Idem, qui dolorem summum malum. Vix satis constanter. Audiamus. ,Si summus dolor est' inquit, ,brevem necesse est esse.' — *Iteradum eadem istaec mihi:* non enim satis intellego, quid summum dicas esse, quid breve. ,Summum, quo nihil sit superius, breve, quo nihil brevius. Contemno magnitudinem doloris, a qua me brevitas temporis vindicabit ante paene quam venerit.' Sed si est tantus dolor quantus Philoctetae? ,Bene plane magnus mihi quidem videtur, sed tamen non summus: nihil enim dolet nisi pes; possunt oculi, potest caput, latera, pulmones, possunt omnia. Longe igitur abest a summo dolore. Ergo, inquit, dolor diuturnus habet laetitiae plus quam molestiae.' Nunc ego non possum tantum hominem nihil sapere 45 dicere, sed nos ab eo derideri puto. Ego summum dolorem — summum autem dico, etiam si decem atomis est maior alius — non continuo esse dico brevem, multosque possum bonos viros nominare, qui complures annos doloribus podagrae crucientur maximis. Sed homo cautus numquam terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis modum, ut sciam quid summum dicat in dolore, quid breve in tempore. Omittamus hunc igitur nihil prorsus dicentem cogamusque confiteri non esse ab eo doloris remedia quaerenda, qui dolorem malorum omnium maxumum dixerit, quamvis idem forticulum se in torminibus et in stran-

---

4. excellebat] GR; *excelleat* cum Camerario Tr. — 24. Nunc] GR; *hunc* cum codd. aliquot de Wes. sent. Ba. — 29. cautus] GR; *catus* ex Nonio prob. Be. Or. Kl. Ba.

guria sua praebeat. Aliunde igitur est quaerenda medicina et maxime quidem, si quid maxime consentanenm sit quaerimus, ab iis, quibus quod honestum sit summum bonum, qnod tnrpe snmmum videtur malum. His tn praesentibus gemere et iactare te non audebis profecto: loqnetur enim eorum voce Virtus ipsa tecnm:

46 **XX.** Tune, cum pueros Lacedaemone, adulescentis Olympiae, barbaros in harena videris excipientis gravissimas plagas et ferentis silentio, si te forte dolor aliquis pervellerit, exclamabis ut mnlier, non constanter et sedate feres? — Fieri non potest: natura non patitur. — Audio. Pueri ferunt gloria ducti, ferunt pndore alii, multi metu, et tamen veremur ut hoc, qnod a tam multis et quod tot locis perferatur, natura patiatur? Illa vero non modo patitur, verum etiam postulat: nihil enim habet praestantius, nihil quod magis expetat quam honestatem qnam laudem, quam dignitatem qnam decns. Hisce ego pluribns nominibus nnam rem declarari volo, sed utor, ut quam maxime significem, pluribus. Volo autem dicere illud homini longe optumum esse, quod ipsum sit optandum per se, a virtute profectum vel in ipsa virtute situm, sna sponte laudabile, quod quidem citius dixerim solnm qnam non summum bonum. Atqne ut haec de honesto, sic de tnrpi contraria: nihil tam taetrum, nihil tam asperandum, nihil homine indignius.

47 Qnod si tibi persuasum est — principio enim dixisti plus in dedecore mali tibi videri qnam in dolore —, reliquum est nt tute tibi imperes: quamquam hoc nescio qno modo dicatnr, qnasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat; non inscite tamen dicitur. **XXI.** Est enim animus in partis tributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers. Cum igitur praecipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur, nt ratio coërceat temeritatem. Est in animis omninm fere natura molle quiddam, demissnm humile, enervatum quodammodo et languidnm. Si nihil esset alind, nihil esset homine deformins. Sed praesto est domina omninm et regina ratio, qnae conixa per se et pro-

10. Fieri] GR.; *Ferri* de Ma. coni. Or. Ba. – 26. dicatnr] GR; *dicitur* de Wes. et Bak. sent. Ba. — 32. languidnm. Si nihil esset] de Ma. corr. Or. Kl. Ba. *(si nil esset* Tr.*)*; GR *languidum senile. Sed.*

gressa longius fit perfecta virtus. Haec ut imperet illi parti animi, quae oboedire debet, id videndum est viro. Quonam **48** modo? inquies. Vel ut dominus servo vel ut imperator militi vel ut parens filio. Si turpissime se illa pars animi geret, quam dixi esse mollem, si se lamentis muliebriter lacrimisque dedet, vinciatur et constringatur amicorum propinquorumque custodiis: saepe enim videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur. Ergo hos quidem ut famulos vinclis prope atque custodia, qui autem erunt firmiores nec tamen robustissimi, hos admonitu oportebit ut bonos milites revocatos dignitatem tueri. Non nimis in Niptris ille sapientissimus Graeciae saucius lamentatur vel modice potius:

Pedetémtim, inquit, *et sedató nisu,*
Ne súccussu arripiát maior
Dolor.

Pacuvius hoc melius quam Sophocles — apud illum enim perquam **49** flebiliter Ulixes lamentatur in volnere —; tamen huic leviter gementi illi ipsi, qui ferunt saucium, personae gravitatem intuentes non dubitant dicere:

Tu quóque, Ulixes, quamquám graviter
Cernímus ictum, nimis paéne animo es
Mollí, qui consuetú's in armis
Aevom ágere.

Intellegit poëta prudens ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram. Atque ille non inmoderate magno **50** in dolore:

Retinéte, tenete: opprímit ulcus:
Nudáte, heu, miserum me: éxcrucior.

Incipit labi, deinde ilico desinit:

Operíte, abscedite iám iam,
Mittíte: nam attrectatu ét quassu
Saevum ámplificatis dolórem.

---

7. videmus] GR; Be. volebat *vidimus*. — 8. atque] de Halmii coni. Ba.; *adac* G^1, *acad* G^2R; vulgo *ac*. — 22. consuetu's Wo;. vulgo *consuetus*.

Videsne ut obmutuerit non sedatus corporis, sed castigatus animi dolor? Itaque in extremis Niptris alios quoque obiurgat idque morieus:

Cónqueri fortúnam adversam, nón lamentarí decet:
Id viri est officium, fletus muliebri ingenio additus.

Huius animi pars illa mollior rationi sic paruit, ut severo imperatori miles pudens.

51 **XXII.** In quo vero erit perfecta sapientia — quem adhuc nos quidem vidimus neminem, sed philosophorum seutentiis qualis hic futurus sit, si modo aliquando fuerit, expouitur —, is igitur sive ea ratio, quae erit in eo perfecta atque absoluta, sic illi parti imperabit inferiori, ut iustus pareus probis filiis: nutu quod volet conficiet, nullo labore, uulla molestia; eriget ipse se suscitabit, instruet armabit, ut tamquam hosti, sic obsistat dolori. Quae sunt ista arma? Coutentio, confirmatio sermoque intumus, cum ipse secum: ‚Cave turpe quicquam, languidum, non virile.'
52 Obversentur species houestae viro: Zeno proponatur Eleates, qui perpessus est omnia potius quam conscios delendae tyrannidis indicaret; de Anaxarcho Democritio cogitetur, qui cum Cypri in manus Nicocreontis regis incidisset, nullum genus supplicii deprecatus est neque recusavit. Calanus Indus, indoctus ac barbarus, in radicibus Caucasi natus, sua voluntate vivus combustus est; nos, si pes condoluit, si dens, sed fac totum dolere corpus, ferre uon possumus. Opinio est enim quaedam effeminata ac levis nec in dolore magis quam eadem in voluptate, qua cum liquescimus fluimusque mollitia, apis aculeum sine clamore ferre
53 nou possumus. At vero C. Marius, rusticanus vir, sed plane vir, cum secaretur, ut supra dixi, principio vetuit se adligari nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. Cur ergo postea alii? Valuit auctoritas. Videsne igitur opinionis esse, nou naturae malum? Et tameu fuisse acrem morsum doloris idem Marius

5. additus] GR; *additust* de Be. coni. Or. Tr. — 8. In quo vero] de Be. corr. Tr. Kl. Ba.; *viro* cum GR Or. — 17. viro] de Tr. coni. Ba.; *vero* GR; *animo* Or. Kl.; delendum censet O. Heinius. — 20. Nicocreontis] ex cod. Coloniensi Vict. Or. Kl. Ba.; *Timocreontis* cum GR Tr. — 23. sed fac totum dolere corpus cum GR Or. Ti.; *si tactum dolore corpus* c paucis codd. Or. Kl. Ba.; *si tactum dolore corpus est* Wes.; *si est attactum dolore corp.* Halm.; *si adfectum ullo dolore corp.* O. Heinius.

ostendit: crus enim alterum non praebuit. Ita et tulit dolorem ut vir et ut homo maiorem ferre sine causa necessaria noluit. Totum igitur in eo est, ut tibi imperes. Ostendi autem, quod esset imperandi genus, atque haec cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignissimum sit, non solum animum comprimit, sed ipsum etiam dolorem nescio quo pacto mitiorem facit. **XXIII.** Ut enim fit in proelio, ut ignavus miles **54** ac timidus, simul ac viderit hostem, abiecto scuto fugiat quantum possit ob eamque causam pereat, nonnumquam etiam integro corpore, cum ei, qui steterit, nihil tale evenerit; sic qui doloris speciem ferre non possunt abiciunt se atque ita adflicti et exanimati iacent; qui autem restiterunt, discedunt saepissime superiores. Sunt enim quaedam animi similitudines cum corpore. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt, simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. Et, si **55** verum quaerimus, in omnibus officiis persequendis animi est adhibenda contentio: ea est sola officii tamquam custodia; sed hoc idem in dolore maxume est providendum, ne quid abiecte ne quid timide, ne quid ignave ne quid serviliter muliebriterve faciamus, in primisque refutetur ac reiciatur Philocteteus ille clamor. Ingemescere nonnumquam viro concessum est idque raro, eiulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum est fletus, quem duodecim tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt. Nec vero umquam ne **56** ingemescit quidem vir fortis ac sapiens, nisi forte ut se intendat ad firmitatem, ut in stadio cursores exclamant quam maxime possunt. Faciunt idem, cum exercentur, athletae; pugiles vero, etiam cum feriunt adversarium, in iactandis caestibus ingemescunt, non quod doleant animove succumbant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur venitque plaga vehementior. **XXIV.** Quid? qui volunt exclamare maius, num satis habent latera, fauces, linguam intendere, e quibus elici vocem et fundi videmus? Toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis adserviunt. Genu mehercule M. Antonium vidi, cum contente pro **57**

---

9. ob eamque] ex R² Or. Kl. Ba.; *et ob eam* de coni. Tr.; *ob eam* GR¹. — 18. hoc idem] cum G R Mo.; *hoc quidem* ex antiqua corr. Or. Tr. Kl. Ba. — 32. elici] cum GR Tr. Kl.; *eici* cum La. Or. Ba.

se ipse lege Varia diceret, terram tangere. Ut enim balistae lapidum et reliqua tormenta telorum eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius, sic vox, sic cursus, sic plaga hoc gravior, cum est missa contentius. Cuius contentionis cum tanta vis sit, si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur; sin erit ille gemitus clamentabilis si inbecillus, si abiectus si flebilis, ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. Qui quidem gemitus si levationis aliquid adferret, tamen videremus quid esset fortis et animosi viri; cum vero nihil imminuat doloris, cur frustra turpes esse volumus?

58 quid est enim fletu muliebri viro turpius? Atque hoc praeceptum, quod de dolore datur, patet latius. Omnibus enim rebus, non solum dolori, simili contentione animi resistendum est. Ira exardescit, libido concitatur: in eandem arcem confugiendum est, eadem sunt arma sumenda. Sed quoniam de dolore loquimur, illa omittam. Ad ferendum igitur dolorem placide atque sedate plurimum proficit toto pectore, ut dicitur, cogitare quam id honestum sit. Sumus enim natura, ut ante dixi — dicendum est enim saepius —, studiosissimi adpetentissimique honestatis, cuius si quasi lumen aliquod aspeximus, nihil est quod, ut eo potiamur, non parati simus et ferre et perpeti. Ex hoc cursu atque impetu animorum ad veram laudem atque honestatem illa pericula adeuntur in proeliis, non sentiunt viri fortes in acie volnera, vel sentiunt, sed mori malunt quam tantum modo de

59 dignitatis gradu demoveri. Fulgentis gladios hostium videbant Decii, cum in aciem eorum inruebant. His levabat omnem volnerum metum nobilitas mortis et gloria. Num tum ingemuisse Epaminondam putas, cum una cum sanguine vitam effluere sentiret? Imperantem enim patriam Lacedaemoniis relinquebat, quam acceperat servientem. Haec sunt solacia, haec fomenta summorum dolorum.

60 **XXV.** Dices, quid in pace, quid domi, quid in lectulo? Ad philosophos me revocas, qui in aciem non saepe prodeunt. E quibus homo sane levis, Heracleotes Dionysius, cum a Zenone

---

4. cum est missa] cum GR Mo. Ti.; *quo est missa* Or. Tr. Kl. Ba. — 16. omittam] R; *omittamus* cum G plerique editores. — 20. aspeximus] GR; *aspexerimus* Or. — 24. vel sentiunt, sed] GR; *vel si sentiunt, se* Or. — ibid. tantum modo] GR; *tantillum modo* Or;. *tantulum* Wes.

fortis esse didicisset, a dolore dedoctus est. Nam cum ex renibus laboraret, ipso in eiulatu clamitabat falsa esse illa, quae antea de dolore ipse sensisset. Quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, quaenam ratio eum de sententia deduxisset, respondit: ‚Quia, cum non tantum operae philosophiae dedissem, si dolorem tantum ferre non possem, satis esset argumenti malum esse dolorem. Plurimos autem annos in philosophia consumpsi nec ferre possum: malum est igitur dolor.‘ Tum Cleanthem, cum pede terram percussisset, versum ex Epigonis ferunt dixisse:

Audisne haec, Amphiaraë, sub terram abdite?

Zenonem significabat, a quo illum degenerare dolebat. At non **61** noster Posidonius, quem et ipse saepe vidi et id dicam, quod solebat narrare Pompeius, se, cum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium; sed cum audisset eum graviter esse aegrum, quod vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere: quem ut vidisset et salutavisset honorificisque verbis prosecutus esset molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire, at ille ‚Tu vero‘, inquit, ‚potes, nec committam ut dolor corporis efficiat ut frustra tantus vir ad me venerit.‘ Itaque narrabat eum graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum nisi quod esset honestum, cubantem disputavisse, cumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixisse: ‚Nihil agis, dolor: quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum.‘ **XXVI.** Omninoque omnes **62** clari et nobilitati labores contendendo fiunt etiam tolerabiles. Videmusne et apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem? Apud quos autem venandi et equitandi laus viget, qui hanc petessunt nullum fugiunt dolorem.

---

1. dedoctus] de Be. coni.; libri *deductus*. — 5. Quia, cum non — dedissem, si dolorem tantum — non possem] negationem post *cum* et *si* post *dedissē* nos adiecimus, iidem *tamen* mutavimus in *tantum*; Or. *Quia, cum tantum operae — dedissem, dolorem tamen ferre non possem; si* ante *cum* addunt de Madv. coni. Tr. Kl. Ba.; GR *qui cum.* — 26. contendendo] de Be. coni.; GR *contempno,* alii codd. *contemnendo*; *continuo* Kl. — 27. Videmusne et] de nostra et O. Heinii coni.; *videmusne ut* ex GR Tr.; omittunt *ut* Or. Kl. Ba. prob. Wes.

Quid de nostris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar? quae flamma est per quam non cucurrerint ii, qui haec olim punctis singulis conligebant? Itaque semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat, cuius in primis laudabat illud, quod diceret eosdem labores non aeque gravis esse imperatori et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium.
63 Sed tamen hoc evenit, ut in volgus insipientium opinio valeat honestatis, cum ipsam videre non possint. Itaque fama et multitudinis iudicio moventur, cum id honestum putent, quod a plerisque laudetur. Te autem, si in oculis sis multitudinis, tamen eius iudicio stare nolim nec quod illa putet idem putare pulcherrimum. Tuo tibi iudicio est utendum; tibi si recta probanti placebis, tum non modo tete viceris, quod paulo ante praecipie-
64 bam, sed omnis et omnia. Hoc igitur tibi propone: amplitudinem animi et quasi quandam exaggerationem quam altissimam, quae maxime eminet contemnendis et despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam eoque pulchriorem, si vacet populo neque plausum captans se tamen ipsa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione et sine populo teste fiunt, non quo fugiendus sit — omnia enim benefacta in luce se conlocari volunt —; sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia maius est.

65 **XXVII.** Atque in primis meditemur illud, ut haec patientia dolorum, quam saepe iam animi intentione dixi esse firmandam, in omni genere se aequabilem praebeat. Saepe enim multi, qui aut propter victoriae cupiditatem aut propter gloriae aut etiam, ut ius suum et libertatem tenerent, volnera exceperunt fortiter et tulerunt, idem omissa contentione dolorem morbi ferre non possunt; neque enim illum, quem facile tulerant, ratione aut sapientia tulerant, sed studio potius et gloria. Itaque barbari quidam et immanes ferro decertare acerrume possunt, aegrotare viriliter non queunt. Graeci autem homines non satis animosi, prudentes, ut est captus hominum, satis, hostem aspi-

---

2. cucurrerint] Or. Tr.; *cucurrerunt* cum G R Kl. Ba. — 9. cum — putent] GR; *ut — putent* Or. — 14. amplitudinem animi] *animi* delet Tr., includunt Or. Kl., servat Ba. — 15. altissimam] additum iterum in GR *animi* delet Ba. — 18. tamen] cum GR Mo. Kl. Ba; *tantum* ex codd. aliquot Or. Tr.

cere non possnnt, eidem morbos toleranter atque hnmane ferunt. At Cimbri et Celtiberi in proeliis exultant, lamentantur in morbo. Nihil enim potest esse aequabile qnod non a certa ratione proficiscatur. Sed cnm videas eos, qui aut studio ant opinione ducantur **66**, in eo perseqnendo atque adipiscendo dolore non frangi, debeas existimare ant non esse malum dolorem aut, etiam si, qnicquid asperum alienumque natura sit, id appellari placeat malum, tantulum tamen esse, nt a virtute ita obruatur, ut nusquam appareat. Quae meditare, quaeso, dies et noctes: latius enim manabit haee ratio et aliqnanto maiorem locum quam de nuo dolore occupabit. Nam si omnia fugiendae turpitudinis adipiscendaeque honestatis eausa faciemus, non modo stimulos doloris, sed etiam fulmiua fortunae contemnamus lieebit, praesertim cum paratum sit illud ex hesterna disputatione perfugium. Ut enim si cui naviganti **67**, praedones si insequantnr, deus qui dixerit: ,Eice te navi: praesto est qui exeipiat, vel delphinus, ut Arionem Methymnaeum, vel eqni Pelopis illi Neptunii, qui *per undas currus suspensos rapuisse* dieuntur, excipient te et qno velis perferent', omnem omittat timorem: sic urgentibns asperis et odiosis doloribus, si tanti non sit, ut ferendi sint, quo sit confugiendum tu vides. Haec fere hoc tempore putavi esse dicenda. Sed tn fortasse in sententia permanes.

A. Minime vero, meque bidno duarum rerum, qnas maxime timebam, spero liberatum metu.

M. Cras ergo ad elepsydram: sie animum induximus; sed tibi hoc video non posse deberi.

A. Ita prorsus, et illud quidem ante meridiem, hoc eodem tempore.

M. Sie faciemus tnisque optumis studiis obsequemur.

---

15. praedones si insequantur] de coni. Wopkensii Mo. Ba.; libri *praedones insequantur;* vulgo *quem praedones inseq.* — ibid. deus qui] GR; *deus quis* Or. — ibid. Eice te navi] cum GR Mo.; vulgo *eice te de* aut *e navi.* 19. omittat] Or. Tr. Kl. Ba.; *omittas* cum GR Dav. — 20. si tanti non sit, ut ferendi sint] sic de Guilemi et Be. coni. Dav. Or.; GR *si tanti non sint, ut ferendi sint;* alii de Ma. coni. *si tanti sint, ut ferendi non sint* prob. Wes. — tu vides] ex antiqua corr. Ba.; libri *ut vides;* vulgo *ut* deletur. — 25. sic animum induximus] de nostra coni.; *sic enim diximus* ex deterioribus libris Or. Tr. Ba., *sic enim duximus* ex GR Kl. — ibid. sed tibi] e GR Or.; *et tibi* de Turneb. coni. Tr. Kl. Ba.

M. TULLII CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER TERTIUS

DE AEGRITUDINE LENIENDA.

1 I. Quidnam esse, Brute, causae putem cur, cum constemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique causa quaesita sit ars atque eius utilitas deorum inmortalium inventioni consecrata, animi autem medicina nec tam desiderata sit ante quam inventa, nec tam culta postea quam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa? An quod corporis gravitatem et dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non sentimus? Ita fit ut animus de se ipse tum iudicet, cum id
2 ipsum, quo iudicatur, aegrotet. Quod si talis nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere eademque optima duce cursum vitae conficere possemus, haud erat sane quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipse nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, dein magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa
3 cedat. II. Accedunt etiam poëtae, qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, audiuntur leguntur edis-

3. atque eius] de Ma. coni.; GR *eius atque*; *eiusque* Or. Tr. Kl. — 13. depravati] ex codd. deterior. La.; *depravatis* cum G R Or.

cantur et inhaerescunt penitus in mentibus; cum vero eodem quasi maxumus quidam magister populus accessit atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate a naturaque desciscimus, ut nobis optime naturae vim vidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicaverunt. Ad quam fertur optumus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime anquirit, in summa inanitate versatur consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata: ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute; ea virtuti resonat tamquam imago. Quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Illa autem, quae se eius imitatricem esse volt, temeraria **4** atque inconsiderata et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam eius pulchritudinemque corrumpit. Qua caecitate homines, cum quaedam etiam praeclara cuperent eaque nescirent nec ubi nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt. Atque hi quidem optuma petentes non tam voluntate quam cursus errore falluntur; quid? qui pecuniae cupiditate, qui voluptatum libidine feruntur, quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania, quod insipientibus contingit omnibus, iis nullane est adhibenda curatio? utrum, quod minus noceant animi aegrotationes quam corporis, an quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit? **III.** At et morbi perniciosiores pluresque **5**

---

2. accessit] e Vatic. hoc loco addiderunt prob. Wes. Kl. Ba.; *cum vero accedit* Or.; *cum vero accessit* Tr.; in GR ceterisque codd. verbum omissum est. — 4. naturae vim vidisse] de Madv. coni. Tr. Ba.; GR *naturam invidisse; naturam ii vidisse* de Keilii (Lignit.) coni. Kl. — 8. unam] ex codd. Ma. Or. ceteri; *una* GR. — ibid. anquirit] de Mo. corr. Tr. Kl. Ba.; vulgo cum GR *inquirit*. — 9. effigiem virtutis] *virtutis*, quod addunt GR et paene omnes libri, delevit de Be. sent. Tr., uncis inclusit O. — 10. gloriae] delendum censet Ba. — 12. excellenti] corr. Wes.; GR *excellente*. — 13. tamquam imago] *gloriae*, quod post haec vv. addunt GR ceterique paucis exceptis delevit La. — 20. Atque hi quidem] cum GR Or. Ba.; ii *quidem* Mo. Tr. Kl. — 24. quod insipientibus — omnibus] de Bak. sent. seclusit Ba. — ibid. iis nullane] *his* cum GR Ba. prob. Wes.

sunt animi quam corporis: hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent eumque sollicitant, *animus*que *aeger*, ut ait Ennius, *semper errat, neque poti neque perpeti potest, cupere numquam desinit*: quibus duobus morbis, ut omittam alios, aegritudine et cupiditate, qui tandem possunt in corpore esse graviores? Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit, cum ipsam medicinam corporis animus invenerit cumque ad corporum sanationem multum ipsa corpora et natura valeat, nec omnes, qui curari se passi sint, continuo etiam convalescant, animi autem, qui se sanari voluerint praeceptisque sapientium pa-
6 ruerint, sine ulla dubitatione sanentur? Est profecto animi medicina, philosophia, cuius auxilium non ut in corporis morbis petendum est foris, omnibusque opibus viribus, ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. Quamquam de universa philosophia, quanto opere et expetenda esset et colenda, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio. De maxumis autem rebus nihil fere intermisimus postea nec disputare nec scribere. His autem libris exposita sunt ea, quae a nobis cum familiaribus nostris in Tusculano erant disputata. Sed quoniam duobus superioribus de morte et de dolore dictum est, tertius dies disputationis hoc tertium
7 volumen efficiet. Ut enim in Academiam nostram descendimus inclinato iam in postmeridianum tempus die, poposci eorum aliquem, qui aderant, causam disserendi. Tum res acta sic est.

IV. A. Videtur mihi cadere in sapientem aegritudo.

M. Num reliquae quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiae? Haec enim fere sunt eius modi, quae Graeci πάθη appellant; ego poteram morbos et id verbum esset e verbo, sed in consuetudinem nostram non caderet. Nam misereri invidere, gestire laetari, haec omnia morbos Graeci appellant, motus animi rationi non optemperantis; nos autem hos eosdem motus concitati animi recte, ut opinor, perturbationes dixerimus, morbos autem non satis usitate, nisi quid aliud tibi videtur.

8 A. Mihi vero isto modo.

M. Haecine igitur cadere in sapientem putas?

---

1. hi enim ipsi odiosi sunt] GR; *hoc enim ipso od. sunt* de Bak. coni. Ba. — 3. poti] de O. Ribbeckii coni. Ti.; vulgo *pati*. — 9. passi sint] corr. Tr.; *passi sunt* GR. — 13. omnibusque opibus viribus] GR; *viribus* incluserunt Tr. Ba; *opibus atque viribus* volebat Be.

A. Prorsus existimo.

M. Ne ista gloriosa sapientia non magno aestimanda est, si quidem non multum differt ab insania.

A. Quid? tibi omnisne animi commotio videtur insania?

M. Non mihi quidem soli, sed, id quod admirari saepe soleo, maioribus quoque nostris hoc ita visum intellego multis saeculis ante Socratem, a quo haec omnis, quae est de vita et de moribus, philosophia manavit.

A. Quonam tandem modo?

M. Quia nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum, id est insanitatem ex aegroto animo, quam appellarunt insaniam. Omnes autem perturbationes animi morbos **9**
philosophi appellant negantque stultum quemquam his morbis vacare. Qui autem in morbo sunt, sani non sunt; et omnium insipientium animi in morbo sunt; omnes insipientes igitur insaniunt. Nostri sanitatem animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant: his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam, propterea quod in perturbato animo sicut in corpore sanitas esse non posset.

V. Nec minus illud acute, quod animi adfectionem lumine **10**
mentis carentem nominaverunt amentiam eandemque dementiam. Ex quo intellegendum est eos, qui haec rebus nomina posuerunt, sensisse hoc idem, quod a Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, omnes insipientes esse non sanos. Qui est enim animus in aliquo morbo — morbos autem hos perturbatos motus, ut modo dixi, philosophi appellant — non magis est sanus quam id corpus, quod in morbo est. Ita fit ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quaedam, quae est insania eademque dementia; multoque melius haec notata sunt verbis Latinis quam Graecis, quod aliis quoque multis locis reperietur. Sed id alias; nunc quod instat.

---

11. insanitatem ex aegroto animo] sic emendavi vulgatam scripturam *insanitatem et aegrotum animum;* uncis inclusit verba *id est insanitatem — insaniam* Tr., delevit Ba. — 12. Omnes autem perturbationes — insaniunt] de Bak. sent. secludit Ba. — 16. Nostri sanitatem] de mea coni.; vulgo *Sanitatem enim animorum* omisso v. *nostri*. — 19. non posset] de Ern. coni.; *non possit* cum GR Or. — 27. id corpus] *id* omittit Tr. deceptus falso de Regio testimonio.

11 Totum igitur id, quod quaerimus, quid et quale sit verbi vis ipsa declarat. Eos enim sanos quoniam intellegi necesse est, quorum mens motu quasi morbo perturbata nullo sit; qui contra adfecti sint, hos insanos appellari necesse est. Itaque nihil melius quam quod est in consuetudine sermonis Latini, cum *exisse ex potestate* dicimus eos, qui ecfrenati feruntur aut libidine aut iracundia; quamquam ipsa iracundia libidinis est pars: sic enim definitur iracundia, ulciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum est. Graeci autem μανίαν unde appellent non facile dixerim; eam tamen ipsam distinguimus nos melius quam illi. Hanc enim insaniam, quae iuncta stultitia patet latius, a furore disiungimus. Graeci volunt illi quidem, sed parum valent verbo: quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant: quasi vero atra bili solum mens ac non saepe vel iracundia graviore vel timore vel dolore moveatur, quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Aiacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit adfectus, eum dominum esse rerum suarum vetant duodecim tabulae. Itaque non est scriptum: SI INSANUS, sed SI FURIOSUS ESCIT. Stultitiam enim censuerunt constantia, id est sanitate, vacantem posse tamen tueri mediocritatem officiorum et vitae communem cultum atque usitatum; furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia caecitatem. Quod cum maius esse videatur quam insania, tamen eius modi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania. Sed haec alia
12 quaestio est; nos ad propositum revertamur.

VI. Cadere, opinor, in sapientem aegritudinem tibi dixisti videri.

A. Et vero ita existumo.

M. Humanum id quidem, quod ita existumas. Non enim silice nati sumus, sed est natura tractabile in animis et tenerum quiddam

4. adfecti sint] GR; *adf. sunt* Or. — 9. quia non sunt] Or. Ba. prob. Wes.; *quia non sint* cum GR Tr. Kl. — 13. iuncta stultitia] e GR Tr. Kl. Ba.; *stultitiae* Or. — ibid. disiungimus] G R^2; *distinguimus* ex R^1 Tr. — 20. ESCIT] de Buh. sententia, ducta ex Nonii memoria *esset,* Wes. Kl. Ba.; *esse incipit* libri Ciceroniani; *exit* Tr. — ibid. Stultitiam enim censuerunt — vacantem] ex cod. Vatic. Or. Kl. Ba; *stultitia* (*stultitiam* R^2) *enim censuerunt inconstantia id est sanitate vacantem* G R^1. — 30. natura tractabile — et tenerum de nostra coni.; GR *natura bile* omisso *et.*; *natura fere* de Be. coni. Or. Tr. Kl.; *fere* de La. sent. delet Ba.

atque molle, quod aegritudine quasi tempestate quatiatur. Nec absurde Crantor ille, qui in nostra Academia vel in primis fuit nobilis, ,Minime' inquit ,adsentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant. quae nec potest ulla esse nec debet. Ne aegrotus sim; si, inquit, fuero, sensus adsit, sive secetur quid sive avellatur a corpore. Nam istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit inmanitatis in animo, stuporis in corpore.' Sed videamus ne haec oratio sit hominum adsentan- **13** tium nostrae inbecillitati et indulgentium mollitudini; nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnis radicum fibras evellere. Tamen aliquid relinquetur fortasse: ita sunt altae stirpes stultitiae; sed relinquetur id solum, quod erit necessarium. Illud quidem sic habeto, nisi sanatus animus sit, quod sine philosophia fieri non potest, finem miseriarum nullum fore. Quamobrem quoniam coepimus, tradamus nos ei curandos: sanabimur, si volemus. Et progrediar quidem longius: non enim de aegritudine solum, quamquam id quidem primum, sed de omni animi, ut ego posui, perturbatione, morbo, ut Graeci volunt, explicabo. Et primo, si placet, Stoicorum more agamus, qui breviter astringere solent argumenta; deinde nostro instituto vagabimur.

VII. Qui fortis est, idem est fidens, quoniam confidens mala **14** consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est. Qui autem est fidens, is profecto non extimescit: discrepat enim a timendo confidere. Atqui in quem cadit aegritudo, in eundem timor: quarum enim rerum praesentia sumus in aegritudine, easdem inpendentes et venientes timemus. Ita fit ut fortitudini aegritudo repugnet. Veri simile est igitur, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem et infractionem quidem animi et demissionem. Quae in quem cadunt, in eundem cadit ut serviat, ut victum, si quando, se esse fateatur. Quae qui recipit, recipiat idem necesse est timiditatem et ignaviam. Non cadunt autem haec in virum fortem; igitur ne aegritudo quidem. At nemo

---

5. si inquit, fuero] de nostra coni.; GR *si inquit (inquid* G[1]*) fuerat; sin quid fuerit* cum Dav. Tr.; *sin, is qui fuerat sensus adsit* Wo.; *sin, inquit, qui fuerat sensus adsit* Ti.; *si sim, qui fuerat sensus adsit* de Halmii coni. Ba. — 25. Atqui] e R[2] Or. ceteri; *atque* GR[1]. — 29. infractionem quidem] e GR et Nonio Tr. Kl. Ba.; *infr. quandam* e codd. aliquot Or.

sapiens nisi fortis. Non cadet ergo in sapientem aegritudo. —
15 Praeterea necesse est, qui fortis sit, eundem esse magni animi; qui magni animi sit, invictum; qui invictus sit, eum res humanas despicere atque infra se positas arbitrari; despicere autem nemo potest eas res, propter quas aegritudine adfici potest; ex quo efficitur fortem virum aegritudine numquam adfici. Omnes autem sapientes fortes. Non cadit igitur in sapientem aegritudo. — Et quemadmodum oculus conturbatus non est probe adfectus ad suum munus fungendum et reliquae partes totumve corpus, statu cum est motum, deest officio suo et muneri, sic conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum. Munus autem animi est ratione bene uti; et sapientis animus ita semper adfectus est, ut ratione optime utatur; numquam igitur est perturbatus. At aegritudo perturbatio est animi. Semper igitur ea sapiens vacabit.

16 **VIII.** Veri etiam simile illud est, qui sit temperans, quem Graeci σώφρονα appellant eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnumquam etiam modestiam; sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit, quod angustius apud Graecos valet, qui frugi homines χρησίμους appellant, id est tantummodo utilis; at illud est latius: omnis enim abstinentia, omnis innocentia — quae apud Graecos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest ἀβλάβειαν: nam est innocentia adfectio talis animi, quae noceat nemini — reliquas etiam virtutes frugalitas continet. Quae nisi tanta esset et si iis angustiis, quibus plerique putant, teneretur, numquam esset L. Pisonis cognomen tanto opere lauda-
17 tum. Sed quia nec qui propter metum praesidium reliquit, quod est ignaviae, nec qui propter avaritiam clam depositum non reddidit, quod est iniustitiae, nec qui propter temeritatem male rem gessit, quod est stultitiae, *frugi* appellari solet, eo tris virtutes, fortitudinem, iustitiam, prudentiam, frugalitas complexa est — etsi hoc quidem commune est virtutum: omnes enim inter se nexae et iugatae sunt —: reliqua igitur est, quarta virtus ut sit,

1. Non cadet] e GR Mo. Tr. Kl. Ba.; *cadit* Or. — 3. qui magni animi sit] Or. Tr. Ba.; *qui magni animi* omittunt GR; *qui autem magni animi* ex cod. Vatic. Ma. La., addito *sit* Kl. — 30. eo] *eoque* coni. Bak. — 33. reliqua igitur est, quarta virtus ut sit] de Madv. coni. Tr. Kl. Ba.; *reliqua igitur et quarta* GR; *reliquum igitur est* Or.; *relinquitur, quarta virtus ut sit*, Bak.

ipsa frugalitas. Eius enim videtur esse proprium motus animi
adpetentis regere et sedare semperque adversantem libidini mo-
deratam in omni re servare constantiam; cui contrarium vitium
nequitia dicitur. *Frugalitas*, ut opinor, a *fruge*, qua nihil me- 18
lius e terra, *nequitia* ab eo — etsi erit hoc fortasse durius,
sed temptemus: lusisse putemur, si nihil sit — ab eo, quod
nequicquam est in tali homine, ex quo idem *nihili* dicitur.
Qui sit frugi igitur vel, si mavis, moderatus et temperans, eum
necesse est esse constantem; qui autem constans, quietum; qui
quietus, perturbatione omni vacuum: ergo etiam aegritudine. Et
sunt illa sapientis; aberit igitur a sapiente aegritudo.

IX. Itaque non inscite Heracleotes Dionysius ad ea dispu-
tat, quae apud Homerum Achilles queritur hoc, ut opinor, modo:

Corque meum penitus turgescit tristibus iris,
Cum decore atque omni me orbatum laude recordor.

Num manus adfecta recte est, cum in tumore est, aut num aliud 19
quodpiam membrum tumidum ac turgidum non vitiose se habet?
Sic igitur inflatus et tumens animus in vitio est. Sapientis au-
tem animus semper vacat vitio, numquam turgescit, numquam
tumet; at iratus animus eius modi est: numquam igitur sapiens
irascitur. Nam si irascitur, etiam concupiscit. Proprium est
enim irati cupere, a quo laesus videatur, ei quam maximum do-
lorem inurere. Qui autem id concupierit, eum necesse est, si id
consecutus sit, magno opere laetari. Ex quo fit ut alieno malo gau-
deat. Quod quoniam non cadit in sapientem, ne ut irascatur quidem
cadit. Sin autem caderet in sapientem aegritudo, caderet etiam
iracundia. Qua quoniam vacat, aegritudine etiam vacabit. Etenim
si sapiens in aegritudinem incidere posset, posset etiam in miseri- 20
cordiam, posset in invidentiam. Non dixi invidiam, quae tum est,
cum invidetur; ab invidendo autem invidentia recte dici po-
test, ut effugiamus ambiguum nomen invidiae, quod verbum ductum
est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippo:

---

2. adpetentis] GR; *adpetentes* Or. — 4. nihil melius] *est* addunt Ti. Ba. de Wes. sent. — 7. nihili] ex G[1] Mo. Kl. Ba. prob. Wes.; *nihil* cum G[2]R Or. Tr. — 20. iratus] GR; *irati* ex Vatic. Kl. — 29. invidiam] GR; *in invidiam* Kl. — 32. a nimis intuendo] Be. volebat *a limis intuendo*. — ibid. Melanippo] GR; *Melanippa* Or.

Quis non florem liberum invidit meum?

Male Latine videtur, sed praeclare Accius: ut enim *videre*, sic *invidere florem* rectius quam *flori*. Nos consuetudine prohibemur; poëta
21 ius suum tenuit et dixit audacius. **X.** Cadit igitur in eundem et misereri et invidere. Nam qui dolet rebus alicuius adversis, idem alicuius etiam secundis dolet, ut Theophrastus interitum deplorans Callisthenis sodalis sui rebus Alexandri prosperis angitur, itaque dicit Callisthenem incidisse in hominem summa potentia summaque fortuna, sed ignarum quemadmodum rebus secundis uti conveniret. Atqui quemadmodum misericordia aegritudo est ex alterius rebus adversis, sic invidentia aegritudo est ex alterius rebus secundis. In quem igitur cadit misereri, in eundem etiam invidere. Non cadit autem invidere in sapientem; ergo ne misereri quidem. Quod si aegre ferre sapiens soleret, misereri etiam soleret. Abest ergo a sapiente aegritudo.

22 Haec sic dicuntur a Stoicis concluduntur que contortius. Sed latius aliquanto dicenda sunt et diffusius, sententiis tamen utendum eorum potissimum, qui maxime forti et, ut ita dicam, virili utuntur ratione atque sententia. Nam Peripatetici, familiares nostri, quibus nihil est uberius, nihil eruditius, nihil gravius, mediocritates vel perturbationum vel morborum animi mihi non sane probant. Omne enim malum, etiam mediocre, malum est; nos autem id agimus, ut id in sapiente nullum sit omnino. Nam ut corpus, etiam si mediocriter aegrum est, sanum non est, sic in animo ista mediocritas caret sanitate. Itaque praeclare nostri, ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem propter simili-
23 tudinem corporum aegrorum aegritudinem nominaverunt. Hoc propemodum verbo Graeci omnem animi perturbationem appellant: vocant enim πάθος, id est morbum, quicumque est motus in animo turbidus; nos melius: aegris enim corporibus simillima animi est aegritudo; at non similis aegrotationis est libido, non immoderata laetitia, quae est voluptas animi elata et gestiens. Ipse etiam metus non est morbi admodum similis, quamquam aegritudini est finitimus, sed proprie, ut aegrotatio in corpore, sic aegritudo

1. Quis non] de O. Ribbeckii coni. Kl.; vulgo *Quisnam* cum GR. — 5. dolet] ex codd. Or. ceteri; *solet* GR. — 7. Callisthenis] GR; *Callistheni* Or. Kl. — 22. malum est] corr. Buh.; GR *magnum est*.

in animo nomen habet non seiunctum a dolore. Doloris huius igitur origo nobis explicanda est, id est causa efficiens aegritudinem in animo tamquam aegrotationem in corpore. Nam ut medici causa morbi inventa curationem esse inventam putant, sic nos causa aegritudinis reperta medendi facultatem reperiemus.

XI. Est igitur causa omnis in opinione nec vero aegritudi- **24**
nis solum, sed etiam reliquarum omnium perturbationum, quae sunt genere quattuor, partibus plures. Nam cum omnis perturbatio sit animi motus vel rationis expers vel rationem aspernans vel rationi non oboediens, isque motus aut boni aut mali opinione citetur bifariam, quattuor perturbationes aequaliter distributae sunt. Nam duae sunt ex opinione boni, quarum altera, voluptas gestiens, id est praeter modum elata laetitia, opinione praesentis magni alicuius boni; altera, quae est inmoderata adpetitio opinati magni boni rationi non optemperans, vel cupiditas recte vel libido dici potest. Ergo haec duo genera, voluptas gestiens et libido, bo- **25**
norum opinione turbantur, ut duo reliqua, metus et aegritudo, malorum. Nam et metus opinio magni mali inpendentis et aegritudo est opinio magni mali praesentis et quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur esse angi, id autem est, ut is, qui doleat, oportere opinetur se dolere. His autem perturbationibus, quas in vitam hominum stultitia quasi quasdam furias inmittit atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum est, si volumus hoc, quod datum est vitae, tranquille placideque traducere. Sed cetera alias; nunc aegritudinem, si possumus, depellamus. Id enim sit propositum, quando quidem eam tu videri tibi in sapientem cadere dixisti, quod ego nullo modo existimo: taetra enim res est misera destestabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugienda. **XII.** Qualis enim **26**
tibi ille videtur

10. vel rationis expers] GR; *vel* delet Buh., uncis includit Tr. — 11. citetur bifariam] interpunctionem de Bak. sent. mutavit Ba; vulgo *citetur, bifariam quattuor.* V. IV, 11. — 15. altera, quae est — dici potest] de Dav. coni. Wo. alii; *altera cupiditas recte vel libido dici potest, quae est immoderata appetitio — obtemperans* Or.; *altera cupiditas quae recte vel libido dici potest quae est* GR. — 23. in vitam] La.; libri *in vita,* quod tuetur Mo. — 26. cetera] GR; *ceteras* Or.

Tántalo prognátus, Pelope nátus, qui quondam á socru
Oenomao rege Hippodameam raptis nanctust nuptiis?

Iovis iste quidem pronepos: tamne ergo abiectus tamque fractus?

Nolite, inquit, *hospités, ad me adire; ilico ístinc,*
Ne contagio mea bonis umbrave obsit
Vobis: tanta vis sceleris in corpore haeret.

Tu te, Thyesta, damnabis orbabisque luce propter vim sceleris alieni? Quid? illum filium Solis nonne patris ipsius luce indignum putas?

Refúgere oculi, córpus macie extábuit,
Lacrimae peredere umore exanguis genas,
Situm inter oris barba paedore horrida atque
Intonsa infuscat pectus inluvie scabrum.

Haec mala, o stultissime Aeeta, ipse tibi addidisti: non inerant in iis, quae tibi casus invexerat, et quidem inveterato malo, cum tumor animi resedisset — est autem aegritudo, ut docebo, in opinione mali recenti —; sed macres videlicet regni desiderio, non filiae. Illam enim oderas et iure fortasse; regno non aequo animo carebas. Est autem inpudens luctus maerore se conficientis,
27 quod imperare non liceat liberis. Dionysius quidem tyrannus Syracusis expulsus Corinthi pueros docebat: usque eo imperio carere non poterat. Tarquinio vero quid inpudentius, qui bellum gereret cum iis, qui eius non tulerant superbiam? Is cum restitui in regnum nec Veientium nec Latinorum armis potuisset, Cumas contulisse se dicitur inque ea urbe senio et aegritudine esse confectus.

XIII. Hoc tu igitur censes sapienti accidere posse, ut aegritudine opprimatur, id est miseria? Nam cum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est aegritudo. Habet ardorem libido, levitatem laetitia gestiens, humilitatem metus, sed aegri-

1. socru] de Be. emend. confirmata Nonii testimonio Or. Tr. Kl.; *socro* Ba.; GR *socero*. — 4. ilico ístinc] de Pearcii coni. Ba.; vulgo *istic*; *istim* de Buh. sent. Or. — 6. Vobis] de meo addidi; *meo* de Be. coni. adiecit Ba. — 12. Situm inter oris] de Lachmanni coni.; vulgo *situ nidoris;* libri *situ nitoris.* — 17. recenti] de Bak. coni. Ti. Ba.; libri *recentis* (cfr. § 25. 75).

tudo maiora quaedam: tabem cruciatum, adflictationem foeditatem; lacerat, exest animum planeque conficit. Hanc nisi exuimus sic, ut abiciamus, miseria carere non possumus.

Atque hoc quidem perspicuum est, tum aegritudinem exi- 28
stere, cum quid ita visum sit, ut magnum quoddam malum adesse et urgere videatur. Epicuro autem placet ex opinione mali aegritudinem esse natura, ut quicumque intueatur in aliquod maius malum, si id sibi accidisse opinetur, sit continuo in aegritudine. Cyrenaici non omni malo aegritudinem effici censent, sed insperato et necopinato malo. Est id quidem non mediocre ad aegritudinem augendam: videntur enim omnia repentina graviora. Ex hoc et illa iure laudantur:

Égo cum genui, túm morituros scivi et ei rei sústuli.
Praeterea ad Troiam cum misi ob defendendam Graeciam,
Scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.

XIV. Haec igitur praemeditatio futurorum malorum lenit 29
eorum adventum, quae venientia longe ante videris. Itaque apud Euripiden a Theseo dicta laudantur: licet enim, ut saepe facimus, in Latinum illa convertere:

Nam qui haéc audita a dócto meminissém viro,
Futuras mecum commentabar miserias;
Aut mortem acerbam aut exili maestam fugam
Aut semper aliquam molem meditabar mali,
Ut, si qua invecta diritas casu foret,
Ne me inparatum cura laceraret repens.

Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso 30
loquitur Euripides. Fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt nuntiata morte filii dixisse: ‚Sciebam me genuisse mortalem.' Quae vox declarat iis esse haec acerba, quibus non fuerint cogitata. Ergo id quidem non dubium, quin omnia, quae mala putentur, sint inprovisa graviora. Itaque quamquam non haec una res efficit maximam aegritudinem, tamen, quoniam multum

6. ex opinione] de nostra coni.; vulgo *opinionem*. — 12. et illa] GR; *et* deleri vult Bak. — 13. morituros] GR; *moriturum* Or. — 18. Euripiden] GR; *Euripidem* Or.

potest provisio animi et praeparatio ad minuendum dolorem, sint semper omnia homini humana meditata. Et nimirum haec est illa praestans et divina sapientia, et perceptas penitus et pertractatas res humanas habere, nihil admirari, cum acciderit, nihil, antequam evenerit, non evenire posse arbitrari.

Quamobrem ómnis, cum secúndae res sunt máxume, tum máxime
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant.
Pericla, damna peregre rediens semper secum cogitet
Aut fili peccatum aut uxoris mortem aut morbum filiae:
Communia esse haec, ne quid horum umquam accidat animo novum:
Quicquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

31 **XV.** Ergo hoc Terentius a philosophia sumptum cum tam commode dixerit, nos, e quorum fontibus id haustum est, non et dicemus hoc melius et constantius sentiemus? Hic est enim ille voltus semper idem, quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate, eodem semper se vidisse exeuntem illum domo et revertentem. Nec vero ea frons erat, quae M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius, sed tranquilla et serena: sic enim accepimus. Iure autem erat semper idem voltus, cum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio.

Quare accipio equidem a Cyrenaicis haec arma contra casus et eventus, quibus eorum advenientes impetus diuturna praemeditatione frangantur, simulque iudico malum illud opinionis esse, non naturae: si enim in re esset, cur fierent provisa le-
32 viora? Sed est isdem de rebus quod dici possit suptilius, si prius Epicuri sententiam viderimus, qui censet necesse esse omnis in aegritudine esse, qui se in malis esse arbitrentur, sive illa ante provisa et expectata sint sive inveteraverint. Nam neque vetustate minui mala nec fieri praemeditata leviora, stultamque etiam esse meditationem futuri mali aut fortasse ne futuri qui-

29. in re esset] Or. Kl. Ba. prob. Wes.; *essent* cum G R Tr.

dem: satis esse odiosum malum omne, cum venisset; qui autem semper cogitavisset accidere posse aliquid adversi, ei fieri illud sempiternum malum; si vero ne futurum quidem sit, frustra suscipi miseriam voluntariam: ita semper angi aut accipiendo aut cogitando malo. Levationem autem aegritudinis in duabus rebus 33 ponit, avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates. Parere enim censet animum rationi posse et quo illa ducat sequi. Vetat igitur ratio intueri molestias, abstrahit ab acerbis cogitationibus, hebetem faciens ad miserias contemplandas; a quibus cum cecinit receptui, inpellit rursum et incitat ad conspiciendas totaque mente contrectandas varias voluptates, quibus ille et praeteritarum memoria et spe consequentium sapientis vitam refertam putat. Haec nostro more nos diximus, Epicurii dicunt suo; sed quae dicant videamus, quo modo, neglegamus.

XVI. Principio male reprehendunt praemeditationem rerum 34 futurarum. Nihil est enim, quod tam obtundat elevetque aegritudinem, quam perpetua in omni vita cogitatio nihil esse quod non accidere possit, quam meditatio condicionis humanae, quam vitae lex commentatioque parendi. quae non hoc adfert, ut semper maereamus, sed ut numquam. Neque enim qui rerum naturam, qui vitae varietatem, qui inbecillitatem generis humani cogitat, maeret, cum haec cogitat, sed tum vel maxime sapientiae fungitur munere. Utrumque enim consequitur, ut et considerandis rebus humanis proprio philosophiae fruatur officio et adversis casibus triplici consolatione sanetur: primum quod posse accidere diu cogitavit, quae cogitatio una maxime molestias omnis extenuat et diluit; deinde quod humana humane ferenda intellegit; postremo quod videt malum nullum esse nisi culpam, culpam autem nullam esse, cum id, quod ab homine non potuerit praestari, evenerit. Nam revocatio illa, quam adfert, cum a con- 35 tuendis nos malis avocat, nulla est. Non est enim in nostra potestate fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinemur, dis-

9. **hebetem faciens**] de nostra coni.; *hebetem aciem* GR; *hebetem facit aciem* de Wes. coni. Ba.; *hebetat aciem* Or. — 19. **non accidere possit**] GR; *accid. non possit* Or. — 27. **cogitavit**] de Be. sent. Dav. ceteri; *cogitaverit* cum GR Or. — 28. **humane**] additum est ex cod. Vatic.; omittit cum G Or.; R[1] *humanae*, R[2] *humane* omisso *humana* (cfr. § 30).

simulatio vel oblivio: lacerant vexant, stimulos admovent ignis adhibent, respirare non sinunt. Et tu oblivisci iubes, quod contra naturam est, qui quod a natura datum est auxilium extorqueas inveterati doloris? Est enim tarda illa quidem medicina, sed tamen magna, quam adfert longinquitas et dies.

Iubes me bona cogitare, oblivisci malorum. Diceres aliquid et magno quidem philosopho dignum, si ea bona esse sentires, quae
36 essent homine dignissima. **XVII.** Pythagoras mihi si diceret aut Socrates aut Plato: ,Quid iaces aut quid maeres aut cur succumbis cedisque fortunae? quae pervellere te forsitan potuerit et pungere, non potuit certe vires frangere. Magna vis est in virtutibus: eas excita, si forte dormiunt. Iam tibi aderit princeps fortitudo, quae te animo tanto esse coget, ut omnia, quae possint homini evenire, contemnas et pro nihilo putes; aderit temperantia, quae est eadem moderatio, a me quidem paulo ante appellata frugalitas, quae te turpiter et nequiter facere nihil patietur; quid est autem nequius aut turpius effeminato viro? Ne iustitia quidem sinet te ista facere, cui minimum esse videtur in hac causa loci, quae tamen ita dicet dupliciter esse te iniustum, cum et alienum adpetas, qui mortalis natus condicionem postules inmortalium, et graviter feras te quod utendum
37 acceperis reddidisse. Prudentiae vero quid respondebis docenti virtutem sese esse contentam quomodo ad bene vivendum, sic etiam ad beate? Quae si extrinsecus religata pendeat et non et oriatur a se et rursus ad se revertatur et omnia sua complexa nihil quaerat aliunde, non intellego cur aut verbis tam vehementer ornanda aut re tantopere expetenda videatur.' Ad haec bona me si revocas, Epicure, pareo sequor, utor te ipso duce, obliviscor etiam malorum, ut iubes, eoque facilius, quod ea ne in malis quidem ponenda censeo. Sed traducis cogitationes meas ad voluptates. Quas? Corporis, credo, aut quae propter corpus vel recordatione vel spe cogitentur. Numquid est aliud? rectene interpretor sententiam tuam? Solent enim isti negare nos
38 intellegere quid dicat Epicurus. Hoc dicit et hoc ille acriculus

---

3. qui quod] de Tr. coni. Kl. Ba.; *qui a* (an *quia*) *natura datum est* GR; *qui a natura datum* Or. — 23. sic etiam] GR; *sic et* Tr. — 24. et non et oriatur] cum G Or. Ba.; *et* alterum omittunt cum R Tr. Kl.

me audiente Athenis senex Zeno, istorum acutissimus, contendere et magna voce dicere solebat, eum esse beatum, qui praesentibus voluptatibus frueretur confideretque se fruiturum aut in omni aut in magna parte vitae dolore non interveniente, aut si interveniret, si summus foret, futurum brevem, sin productior, plus habiturum iucundi quam mali: haec cogitantem fore beatum, praesertim si et ante perceptis bonis contentus esset et nec mortem nec deos extimesceret. Habes formam Epicuri vitae beatae verbis Zenonis expressam, nihil ut possit negari.

XVIII. Quid ergo? huiusne vitae propositio et cogitatio 39
aut Thyestem levare poterit aut Aeetam, de quo paulo ante dixi, aut Telamonem pulsum patria exulantem atque egentem? in quo haec admiratio fiebat:

Hícine est ille Télamon, modo quem glória ad caelum
éxtulit,
Quem aspectabant, cuius ob os Graii ora obvertebant sua?

Quod si cui, ut ait idem, *simul animus cum re concidit*, a gra- 40
vibus illis antiquis philosophis petenda medicina est scilicet, non ab his voluptariis. Quam enim isti bonorum copiam dicunt? Fac sane esse summum bonum non dolere, quamquam id non vocatur voluptas, sed non necesse est nunc omnia: idne est, quo traducti luctum levemus? Sit sane summum malum dolere: in eo igitur qui non est, si malo careat, continuone fruitur summo bono? Quid tergiversamur, Epicure, nec fatemur eam nos dicere 41
voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuisti, soles dicere? Sunt haec tua verba necne? In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam, fungar enim iam interpretis munere, ne quis me putet fingere, — dicis haec: ,Nec equidem habeo quod intellegam bonum illud, detrahens eas voluptates, quae sapore percipiuntur, detrahens eas, quae auditu et cantibus, detrahens eas etiam, quae ex formis percipiuntur oculis, suavis motiones,

7. **et nec**] *et* addidi de coni. O. Heinii. — 14. **Telamon**] GR; *Telamo* Or. — 16. **Graii**] *Grai* cum GR Tr.; *Graj* Lachmann. — 17. **cum re concidit**] ex antiqua correctione; *rem condidit* omisso *cum* GR. — 18. **est scilicet**] de coni. Kl.; *est si* GR; vulgo *si* deletur. — 29. **bonum illud**] GR; *bonum ullum* de Schlengeri sent. Ti.

sive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu. Nec vero ita dici potest, mentis laetitiam solam esse in bonis: laetantem etiam mentem ita novi, spe eorum omnium,
42 quae supra dixi, fore ut natura iis potiens dolore careat.' Atque haec qnidem his verbis, quivis ut intellegat quam voluptatem norit Epicurus. Deinde paulo infra ,Saepe qnaesivi' inquit ,ex iis, qni appellabantur sapientes, quid haberent quod in bonis relinqnerent, si illa detraxissent, nisi si vellent voces inanis fundere; nihil ab iis potui cognoscere: qui si virtutes ebnllire volent et sapientias, nihil alind dicent nisi eam viam, qua efficiantur eae volnptates, quas supra dixi.' Qnae secuntur in eadem sententia sunt, totnsque liber, qui est **de summo bono**, refertus
43 est et verbis et sententiis talibus. Ad hancine igitur vitam Telamonem illnm revocabis, ut leves aegritudinem, et, si quem tuorum adflictum maerore videris, hnic acipenserem potius qnam aliqnem Socraticum libellum dabis? hydranli hortabere ut audiat voces potins qnam Platonis? expones quae spectet florida et varia, fasciculum ad naris admovebis, incendes odores et sertis redimiri inbebis et rosa? Si vero aliquid etiam deliciarum, plane luctum omnem absterseris.

44 **XIX.** Haec Epicuro confitenda sunt, aut ea, qnae modo expressa ad verbum dixi, tollenda de libro, vel totus liber potius abiciundus: est enim confertus voluptatibus. Quaerendum igitur quemadmodum aegritudine privemus eum, qni ita dicat:

. . . . . . Pol míhi fortuna mágis nunc defit quám genus.
Námque regnum súppetebat mi, út scias quanto é loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna occidat.

Quid? huic calix mnlsi impingendus est, ut plorare desinat, aut aliquid eiusmodi? Ecce tibi ex altera parte ab eodem poëta:

Ex ópibus summis ópis egens, Hectór, tuae.

---

3. **laetantem etiam**] de nostra coni.; vulgo *laetantem enim.* — 9. **volent**] libri; *nolint* de Dav. et Be. coni. Or. — 12. **refertus est et**] sic nos; *refertus est* volebat Dav.; vulgo *refertus et.* — 18. **et sertis**] GR; *et* de Wo. sent. delent Kl. Ba., uncis includunt Or. Tr. — 19. **deliciarum, plane**] nostra coni.; vulgo *aliquid etiam —, tum* — 27. **occidat**] Or. Tr; *accidat* cum GR Kl. Ba.

Huic subvenire debemus: quaerit enim auxilium:

Quid petam praesidi aut éxequar? quóve nunc
Auxilio exili aut fuga freta sim?
Arce et urbe orba sum. Quo accidam? quo applicem?
Cúi nec arae pátriae domi stant, fráctae et disiectaé iacent,
Fána flamma déflagrata, tósti alti stant párietes,
Déformati atque ábiete crispa —

scitis quae sequantur et illa in primis:

O páter, o patria, o Príami domus,
Saeptum áltisono cardíne templum,
Vidi égo te adstante ope bárbarica,
Tectis caelatis, láqueatis,
Auro, ébore instructam régifice.

O poëtam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis 45 contemnitur. Sentit omnia repentina et necopinata esse graviora. Exaggeratis igitur regiis opibus, quae videbantur sempiternae fore, quid adiungit?

Haec ómnia vidi inflámmari,
Priamo vi vitam evitari,
Iovis aram sanguine turpari.

Praeclarum carmen! est enim et rebus et verbis et modis lugubre. 46 Eripiamus huic aegritudinem. Quo modo? Conlocemus in culcita plumea: psaltriam adducamus, hedychri incendamus scutellam, dulciculae potionis aliquid videamus et cibi. Haec tandem bona sunt, quibus aegritudines gravissumae detrahantur? tu enim paulo ante ne intellegere quidem te alia ulla dicebas. Revocari igitur oportere a maerore ad cogitationem bonorum conveniret mihi cum Epicuro, si quid esset bonum conveniret.

---

3. fuga] cum GR Tr. Kl. Ba.; *fugae* ex codd. aliquot Dav. Or. — 8. illa in primis] corr. Tr. ex GR script. *illum primis; illud in primis* Or. — 16. regiis] Dav. ceteri prob. Wes.; *regis* cum GR Tr. — 22. Conlocemus — cibi] de Madv. coni. Tr. Kl. Ba.; *hedychrum intendamus, scutellam dulciculae potionis; aliquid videamus et cibi* Or.; *adducamus damus aedricrum* GR. — 26. ne intellegere quidem te] cum La. et Wes. Ba.; vulgo cum GR *ne intell. te quidem.*

XX. Dicet aliquis: Quid ergo? tu Epicurum existimas ista voluisse aut libidinosas eius fuisse sententias? Ego vero minime. Video enim ab eo dici multa severe, multa praeclare. Itaque, ut saepe dixi, de acumine agitur eius, non de moribus: quamvis spernat voluptates eas, quas modo laudavit, ego tamen meminero quod videatur ei summum bonum. Non enim verbo solum posuit voluptatem, sed explanavit quid diceret. ‚Saporem' inquit ‚et corporum complexum et ludos atque cantus et formas eas, quibus oculi iucunde moveantur.' Num fingo, num mentior? Cupio refelli: quid enim laboro nisi ut veritas in omni quaestione ex-
47 plicetur? At idem ait non crescere voluptatem dolore detracto summamque voluptatem esse nihil dolere. Paucis verbis tria magna peccata. Unum, quod secum ipse pugnat. Modo enim ne suspicari quidem se quicquam bonum, nisi sensus quasi titillarentur voluptate; nunc autem summam voluptatem esse dolore carere. Potestne magis secum ipse pugnare? Alterum peccatum, quod, cum in natura tria sint, unum gaudere, alterum dolere, tertium nec gaudere nec dolere, hic primum et tertium putat idem esse nec distinguit a non dolendo voluptatem. Tertium peccatum commune ei cum quibusdam, quod, cum virtus maxime expetatur eiusque adipiscendae causa philosophia quaesita sit, ille
48 a virtute summum bonum separavit. At laudat saepe virtutem. Et quidem C. Gracchus, cum largitiones maximas fecisset et effudisset aerarium, verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam, cum facta videam? Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata consularis ad frumentum accipiundum venerat. Animum advertit Gracchus in contione Pisonem stantem, quaerit audiente populo Romano, qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit. ‚Nolim' inquit ‚mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat, sed, si facias, partem petam.' Parumne declaravit vir gravis et sapiens lege Sempronia patrimonium publicum dissipari? Lege orationes
49 Gracchi, patronum aerarii esse dices. Negat Epicurus iucunde

---

1. **existimas**] de Ma. corr.; GR *existimabas*. — 12. **voluptatem esse**] addidi *esse*; *summamque esse nihil dolere* cod. Leid. prob. Buh.; *summamque esse voluptatem* margo La. — 20. **ei**] de meo addidi. — 22. **laudat saepe**] GR; *laudat et saepe* Or. — 27. **animum advertit**] de Dav. corr. Tr. Kl. Ba.; GR *animam advertit*; *animadvertit* Or.

posse vivi nisi cum virtute vivatur, negat ullam iu sapientem vim esse fortunae, tenuem victum antefert copioso, negat ullum esse tempus quo sapiens non beatus sit: omnia philosopho digna, sed cum voluptate pugnantia. ‚Non istam dicit voluptatem.‘ Dicat quamlibet: nempe eam dicit, in qua virtutis nulla pars iusit. Age, si voluptatem non intellegimus, ne dolorem quidem? Nego igitur eius esse, qui dolore summum malum metiatur, mentionem facere virtutis.

XXI. Et queruutur quidam Epicurei, viri optimi — nam **50** nullum genus est minus malitiosum —, me studiose dicere contra Epicurum! ita, credo de honore aut de dignitate contendimus. Mihi summum in animo bonum videtur, illi autem in corpore, mihi in virtute, illi in voluptate: et illi pugnaut et quidem vicinorum fidem implorant, multi autem sunt qui statim convoleut; ego sum is, qui dicam me non laborare, actum habiturum quod egerint. Quid enim? de bello Punico agitur? de quo ipso cum **51** aliud M. Catoni, aliud L. Leutulo videretur, nulla inter eos concertatio umquam fuit. Hi nimis iracunde agunt, praesertim cum ab iis non sane animosa defendatur sententia, pro qua non in senatu, non in contione, non apud exercitum neque ad censores dicere audeant. Sed cum istis alias, et eo quidem animo, nullum ut certamen instituam, verum dicentibus facile cedam. Tantum admonebo, si maxime verum sit ad corpus omnia referre sapientem sive, ut honestius dicam, nihil facere nisi quod expediat, sive omnia referre ad utilitatem suam, quoniam haec plausibilia non sunt, ut in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant.

XXII. Cyrenaicorum restat sententia, qui tum aegritudinem **52** censent existere, si necopinato quid evenerit. Est id quidem magnum, ut supra dixi; etiam Chrysippo ita videri scio, quod provisum ante non sit, id ferire vehementius; sed non sunt in hoc omnia. Quamquam hostium repens adventus magis aliquanto conturbat quam expectatus et maris subita tempestas quam ante provisa terret navigantes vehementius, et eiusmodi sunt pleraque. Sed cum diligenter necopinatorum naturam consideres, nihil aliud reperias nisi omnia videri subita maiora, et quidem ob duas

9. Et queruntur] GR; *sed queruntur* de Schlengeri sent. Ti. — ibid. quidam] GR; *quidem* Or.

causas: primum quod quanta sint quae accidunt considerandi spatium non datur; deinde cum videtur praecaveri potuisse, si provisum esset, quasi culpa contractum malum aegritudinem acrio-
53 rem facit. Quod ita esse dies declarat, quae procedens ita mitigat, ut isdem malis manentibus non modo leniatur aegritudo, sed in plerisque tollatur. Karthaginienses multi Romae servierunt, Macedones rege Perse capto; vidi etiam in Peloponneso, cum essem adulescens, quosdam Corinthios. Hi poterant omnes eadem illa de Andromacha deplorare,

Haec omnia vidi . . . . . .,

sed iam decantaverant fortasse: eo enim erant voltu, oratione, omni reliquo motu et statu, ut eos Argivos aut Sicyonios diceres, magisque me moverant Corinthi subito aspectae parietinae quam ipsos Corinthios, quorum animis diuturna cogitatio callum vetu-
54 statis obduxerat. Legimus librum Clitomachi, quem ille eversa Karthagine misit consolandi causa ad captivos cives suos: in eo est disputatio scripta Carneadis, quam se ait in commentarium rettulisse. Cum ita positum esset, videri fore in aegritudine sapientem patria capta, quae Carneades contra dixerit scripta sunt. Tanta igitur calamitatis praesentis adhibetur a philosopho medicina, quanta inveteratae ne desideratur quidem, nec si aliquot annis post idem ille liber captivis missus esset, volneribus mederetur, sed cicatricibus. Sensim enim et pedetemptim progrediens extenuatur dolor, non quo ipsa res immutari soleat aut possit; sed id, quod ratio debuerat, usus docet, minora esse ea, quae sint visa maiora.

55 **XXIII**. Quid ergo opus est, dicet aliquis, ratione aut omnino consolatione illa, qua solemus uti, cum levare dolorem maerentium volumus? — hoc enim fere tum habemus in promptu, nihil oportere inopinatum videri — aut qui tolerabilius feret incommodum qui cognoverit necesse esse homini tale aliquid accidere? Haec enim oratio de ipsa summa mali nihil detrahit, tantum modo adfert, nihil evenisse, quod non opinandum fuisset. —

---

2. cum videtur] libri; *quod videtur* de La. coni. Tr.; [*quod*] *cum* Kl. — 21. inveteratae] ex vett. editt. quibusdam; GR *inveterata*; vulgo de Erasmi, ut videtur, coni. *in inveterata*.

Neque tamen genus id orationis in consolando non valet, et id haud sciam an plurimum.

Ergo ista necopinata non habent tantam vim, ut aegritudo ex iis omnis oriatur: feriunt enim fortasse gravius, non id efficiunt, ut ea, quae accidant, maiora videantur: quia recentia sunt, maiora videntur, non quia repentina. Duplex est igitur ratio **56** veri reperiendi non in iis solum. quae mala, sed in iis etiam, quae bona videntur. Nam aut ipsius rei natura qualis et quanta sit quaerimus, ut de paupertate nonnumquam, cuius onus disputando levamus, docentes quam parva et quam pauca sint quae natura desideret, aut a disputandi suptilitate orationem ad exempla traducimus. Hic Socrates commemoratur, hic Diogenes, hic Caecilianum illud:

Sáepe est etiam súb palliolo sórdido sapiéntia.

Cum enim paupertatis una eademque sit vis, quidnam dici potest, quamobrem C. Fabricio tolerabilis ea fuerit, alii negent se ferre posse? Huic igitur alteri generi similis est ea ratio consolandi, quae **57** docet humana esse quae acciderint. Non enim id solum continet ea disputatio, ut cognitionem adferat generis humani, sed significat tolerabilia esse quae et tulerint et ferant ceteri. **XXIV**. De paupertate agitur: multi patientes pauperes commemorantur; de contemnendo honore: multi inhonorati proferuntur et quidem propter id ipsum beatiores, eorumque, qui privatum otium negotiis publicis antetulerunt, nominatim vita laúdatur, nec siletur illud potentissimi regis anapaestum, qui laudat senem et fortunatum esse dicit, quod inglorius sit atque ignobilis ad supremum diem perventurus. Similiter commemorandis exemplis orbitates **58** quoque liberum praedicantur, eorumque, qui gravius ferunt, luctus aliorum exemplis leniuntur. Sic perpessio ceterorum facit ut ea, quae acciderint, multo minora, quam quanta sint existimata, vi-

---

1. et id] sic emendavi GR script. *sed id;* alii deleto vel incluso *id* retinent *sed*; *et* omisso *id* voluerat Ern. — 4. non id efficiunt — non quia repentina] sic Ba. cum G, qui verba *quia recentia sunt maiora videntur* in margine addit; R in margine habet a manu recentiore *quia recentia sunt;* Be. coni. *nam id efficiunt, ut ea, quae accidant, maiora videantur, quia recentia sunt, non quia repentina* —. 18. id solum] GR; *solum id* Or. Tr. Kl.

deantur. Ita fit, sensim cogitautibns nt quantum sit emeutita opinio appareat. Atque hoc idem et Telamo ille declarat:

Égo cum genui . . . . . .

et Thescus:

Futúras mecum cómmentabar míserias,

et Anaxagoras: *Sciebam me genuisse mortalem.* Ili enim omnes din cogitantes dc rebus humanis intellcgebant eas nequaquam pro opiuione volgi esse extimesceudas. Et mihi quidem videtur idem fere accidcrc iis, qui aute mcditantur, quod iis, quibns medetur dies, nisi quod ratio quaedam sanat illos, hos ipsa uatura, iutellecto eo, qnod rem contiuet, illud malum, quod opiuatum sit esse maxumum, uequaqnam esse tantum, ut vitam beatam possit ever-
59 tere. Hoc igitur cfficitur, ut ex illo necopiuato plaga maior sit, non, ut illi putant, ut, cum duobus pares casus eveneriut, is modo aegritudiue adficiatur, cui ille necopinato casus evenerit. Itaqne dicuutur uonuulli in maerore, cum de hac communi hominum coudicioue audivissent, ea lege esse nos natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali, gravius etiam tulisse.

XXV. Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, repreudere Chrysippum solebat laudautem Euripideum carmen illud:

Mortális nemo est quém non attingát dolor
Morbusque: multis sunt humandi liberi,
Rursum creandi, morsque est finita omnibus.
Quae generi humano angorem nequiquam adferunt.
Reddenda terrae est terra, tam vita omnibus
Metenda, ut fruges: sic iubet Necessitas.

60 Negabat genus hoc orationis quicquam omnino ad levaudam aegritudinem pertiuere. Id enim ipsum dolcudum csse dicebat,

---

1. Ita fit, sensim cogitantibus ut] interpunctionem mutavit Ti.; *ita fit sensim, cogitantibus ut* de Wes. sent. Ba.; vulgo *ita fit sensim cogitantibus, ut.* — 10. quaedam] GR; *quidem* volebat Be. — 11. quod rem continet, illud malum] de Be. coni. confirmata cod. Bruxell. Dav. ceteri; GR *quod rem illud continet, malum; illud* delevit Or. cum paucis codd. — 22. attingat] Or. Kl. Ba.; GR *attingit.* — 23. multis] de La. coni.; GR *multi.* — 26. tam vita] de nostra coni.; vulgo cum libris *tum vita.*

qnod in tam crudelem necessitatem incidissemus: nam illam quidem orationem ex commemoratione alienorum malorum ad malevolos consolandos esse accommodatam. Mihi vero longe videtnr secus. Nam et necessitas ferendae condicionis humanae quasi cum deo pugnare prohibet admonetqne esse hominem, quae cogitatio magno opere luctum levat, et ennmeratio exemplorum non nt animum malevolorum oblectet adfertur, sed nt ille, qui maeret, ferundnm sibi id censeat, qnod videat multos moderate et tranquille tulisse. Omnibus enim modis fulciendi sunt, qui runnt nec **61** cohaerere possunt propter magnitndinem aegritudinis. Ex quo ipsam aegritndinem λύπην Chrysippus quasi solutionem totius hominis appellatam putat. Quae tota poterit evelli explicata, ut principio dixi, causa aegritudinis. Est enim nulla alia nisi opinio et indicinm magni praesentis atque urgentis mali. Itaque et dolor corporis, cnins est morsus acerrumus, perfertur spe proposita boni, et acta aetas honeste ac splendide tantam adfert consolationem, ut eos, qui ita vixerint, aut non attingat aegritudo aut perleviter pnngat animi dolor.

XXVI. Sed ad hanc opinionem magni mali cum illa etiam **62** opinio accessit, oportere, rectum esse, ad officium pertinere ferre illud aegre, qnod acciderit, tnm deniqne efficitur illa gravis aegritudinis perturbatio. Ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia genera lugendi: paedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris feminum capitis percussiones. Hinc ille Agamemno Homericus et idem Accianns

Scindéns dolore idéntidem intonsám comam,

in quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum regem in lnctu capillum sibi evellere quasi calvitio maeror levaretur. Sed haec **63** omnia facinnt opinantes ita fieri oportere. Itaqne et Aeschines in Demosthenem invehitur, quod is septimo die post filiae mortem hostias immolavisset. At quam rhetorice, qnam ingeniose! quas

5. prohibet] cum codd. aliquot Or. Kl. Ba. prob Wes.; *cohibet* cum G Tr.; *quohibet* superscripto *c* R. — 11. quasi solutionem] GR; *quasi λύσιν id est solut.* Or. Kl. — 17. aegritudo] GR; delevit Ern.; Be. volebat *omnino.* — 25. Accianus] GR; *Attianus* Or. — 31. quam ingeniose] conieci ex GR script. *quam excopiose;* vulgo *quam copiose.*

sententias colligit, quae verba contorquet! ut licere quidvis rhetori intellegas. Quae nemo probaret, nisi insitum illud in animis haberemus, omnis bonos interitu suorum quam gravissime maerere oportere. Ex hoc evenit ut in animi doloribus alii solitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte:

Qui miser in campis maerens errabat Aleïs,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Et Nioba fingitur lapidea propter aeternum, credo, in luctu silentium. Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem fingi in canem esse conversam. Sunt autem alii, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui saepe delectet, ut illa apud Ennium nutrix:

Cupído cepit míseram nunc me próloqui
Caelo átque terrae Médeaï míserias.

64 **XXVII.** Haec omnia recta, vera, debita putantes faciunt in dolore, maximeque declarat hoc quasi officii iudicio fieri, quod, si qui forte, cum se in luctu esse vellent, aliquid fecerunt humanius aut si hilarius locuti sunt, revocant se rursus ad maestitiam peccatique se insimulant, quod dolere intermiserint. Pueros vero matres et magistri castigare etiam solent, nec verbis solum, sed etiam verberibus, si quid in domestico luctu hilarius ab iis factum est aut dictum, plorare cogunt. Quid? ipsa remissio luctus cum est consecuta intellectumque est nihil profici maerendo, nonne
65 res declarat fuisse totum illud voluntarium? Quid ille Terentianus ipse se poeniens, id est ἑαυτὸν τιμωρούμενος?

Decrevi tantisper me minus iniuriae,
Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser.

Hic decernit ut miser sit. Num quis igitur quicquam decernit invitus?

14. Medeaï] corr. Turneb.; GR *Medeae.* — 16. declarat hoc] de Wo. sent. Or. Kl. Ba., qui recte *hoc* nominativum esse statuit; *declaratur* GR; *declarat haec* volebat Wes. — 23. intellectumque est] ex GR script. *intellectaque est* Mo. Tr. Kl. Ba.; *intellectumque* omisso *est* Or. — 27. Chremes] GR; *Chreme* Or.

Maló quidem me quóvis dignum députem.

Malo se dignum deputat, nisi miser sit. Vides ergo opinionis esse, non naturae malum. Quid, quos res ipsa lugere prohibet? ut apud Homerum cotidianae neces interitusque multorum sedationem maerendi adferunt, apud quem ita dicitur:

Namque nimis multos atque omni luce cadentis
Cernimus, ut nemo possit maerore vacare.
Quo magis est aequum tumulis mandare peremptos
Firmo animo et luctum lacrimis finire diurnis.

Ergo in potestate est abicere dolorem, cum velis, tempori ser- **66**
vientem. An est ullum tempus — quoniam quidem res in nostra potestate est — cui non ponendae curae et aegritudinis causa serviamus? Constabat eos, qui concidentem volneribus Cn. Pompeium vidissent, cum in illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil aliud tum egisse nisi ut remiges hortarentur et ut salutem adipiscerentur fuga; posteaquam Tyrum venissent, tum adflictari lamentarique coepisse. Timor igitur ab his aegritudinem potuit repellere, ratio ab sapienti viro non poterit?

XXVIII. Quid est autem quod plus valeat ad ponendum dolorem, quam cum est intellectum nihil profici et frustra esse susceptum? Si igitur deponi potest, etiam non suscipi potest. Voluntate igitur et iudicio suscipi aegritudinem confitendum est. Idque indicatur eorum patientia, qui cum multa sint saepe per- **67**
pessi, facilius ferunt quicquid accidit obduruisseque iam sese contra fortunam arbitrantur, ut ille apud Euripidem:

Si mihi nunc tristis primum inluxissét dies
Nec tam aerumnoso navigavissem salo,
Esset dolendi causa, ut iniecto eculei
Freno repente tactu exagitantur novo;
Sed iam subactus miseriis optorpui.

6. cadentis] de Ma. coni.; *carentis* GR. — 12. ponendae curae — causa] sic GR omisso *et* ante *aegritudinis*; *ponenda cura et aegritudine* de Bak. sent. Ti. — 19. ab sapienti viro] Be. emendavit; *ac sapientia vera* GR. — 25. obduruisseque iam] sic Tr. ex GR script. *obduruisse quam; obduruisseque* omisso *iam* Or.

Defetigatio igitur miseriarum aegritudines cum faciat leniores,
intellegi necesse est non rem ipsam causam atque fontem esse
68 maeroris. Philosophi summi nequedum tamen sapientiam conse-
cuti nonne intellegunt in summo se malo esse? Sunt enim insi-
pientes, neque insipientia ullum maius malum est, neque tamen
lugent. Quid ita? quia huic generi malorum non adfingitur illa
opinio, rectum esse et aequum et ad officium pertinere aegre
ferre, quod sapiens non sis. Quod idem adfingimus huic aegri-
69 tudini, in qua luctus inest, quae omnium maxuma est. Itaque
Aristoteles veteres philosophos accusans, qui existumavissent phi-
losophiam suis ingeniis esse perfectam, ait eos aut stultissimos
aut gloriosissimos fuisse, sed se videre, quod paucis annis magna
accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam
fore. Theophrastus autem moriens accusasse naturam dicitur, quod
cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset,
hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam de-
disset; quorum si aetas potuisset esse longinquior, futurum fuisse
ut omnibus perfectis artibus omni doctrina hominum vita erudire-
tur. Querebatur igitur se tum, cum illa videre coepisset, ex-
tingui. Quid? ex ceteris philosophis nonne optumus et gravissu-
mus quisque confitetur multa se ignorare, et multi sibi etiam
70 atque etiam esse discendum? Neque tamen, cum se in media
stultitia, qua nihil est peius, haerere intellegant, aegritudine pre-
muntur: nulla enim admiscetur opinio officiosi doloris. Quid, qui
non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus efferens filium
consularem, qualis L. Paulus duobus paucis diebus amissis filiis,
qualis M. Cato praetore designato mortuo filio, quales reliqui,
71 quos in Consolatione conlegimus. Quid hos aliud placavit nisi
quod luctum et maerorem esse non putabant viri? Ergo id, quod
alii rectum opinantes aegritudini se solent dedere, id hi turpe
putantes aegritudinem reppulerunt. Ex quo intellegitur non in
natura, sed in opinione esse aegritudinem.

XXIX. Contra dicuntur haec: Quis tam demens, ut sua voluntate maereat? Natura adfert dolorem, cui quidem Crantor,

---

2. causam atque] *atque causam* GR. — 3. nequedum] *neque nondum* GR. — 21. multi — discendum] sic emendavi vulgatum *multa — discenda;* GR *multi — discenda; atque etiam* deleri vult Bak.

inquiunt, vester cedeudum putat: premit enim atque instat nec resisti potest. Itaque Oïleus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Aiacis morte consolatus esset, is, cum audivisset de suo, fractus est. De cuius commutata mente sic dicitur:

Nec vero tanta praeditus sapientia
Quisquam est, qui aliorum aerumnam dictis adlevans
Non idem, cum fortuna mutata impetum
Convertit, clade subita frangatur sua,
Ut illa ad alios dicta et praecepta excidant.

Haec cum disputant, hoc student efficere, naturae obsisti nullo modo posse, et tamen fatentur graviores aegritudines suscipi quam natura cogat. Quae est igitur amentia? ut nos quoque idem ab illis requiramus.

Sed plures sunt causae suscipiendi doloris. Primum illa 72
opinio mali, quo viso atque persuaso aegritudo insequitur necessario; deinde etiam gratum mortuis se facere, si graviter eos lugeant, arbitrantur. Accedit superstitio muliebris quaedam: existumant enim dis inmortalibus se facilius satis facturos, si eorum plaga perculsi adflictos se et fractos esse fateantur. Sed haec inter se quam repugnent plerique non vident. Laudant enim eos, qui aequo animo moriantur; qui alterius mortem aequo animo ferant, eos putant vituperandos. Quasi fieri ullo modo possit, quod in amatorio sermone dici solet, ut quisquam plus alterum diligat quam se. Praeclarum illud est et, si quaeris, rectum 73
quoque et verum, ut eos, qui nobis carissimi esse debeant, aeque ac nosmet ipsos amemus; ut vero plus, fieri nullo pacto potest: ne optandum quidem est in amicitia, ut me ille plus quam se, ego illum plus quam me: perturbatio vitae, si ita sit, atque officiorum omnium consequatur.

XXX. Sed de hoc alias; nunc illud satis est, non attribuere ad amissionem amicorum miseriam nostram, ne illos plus quam

3. is] *idem* coni. Bak. — ibid. audivisset de suo] GR; *audisset de sui* de Dav. coni. Or. — 8. Convertit] sic mutavi vulgatum *convertat*. — 11. et tamen] nos correximus; vulgo vel *ii* vel *hi* (GR) *tamen; iidem tamen* volebat Ern. — 19. fractos] restitui ex codd. aliquot; vulgo cum GR *stratos*.

ipsi velint, si sentiant, plus certe quam nosmet ipsos diligamus. Nam quod aiunt plerosque consolationibus nihil levari adiunguntque consolatores ipsos confiteri se miseros, cum ad eos impetum suum fortuna converterit, utrumque dissolvitur. Sunt enim ista non naturae vitia, sed culpae. Stultitiam autem accusare quamvis copiose licet. Nam et qui non levantur, ipsi se ad miseriam invitant, et qui suos casus aliter ferunt atque ut auctores aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores quam fere plerique, qui avari avaros, gloriae cupidos gloriosi reprehendunt: est enim
74 proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. Sed nimirum hoc maxumum est experimentum, cum constet aegritudinem vetustate tolli, hanc vim non esse in die positam, sed in cogitatione diuturna. Nam si et eadem res est et idem est homo. qui potest quicquam de dolore mutari, si neque de eo, propter quod dolet, quicquam est mutatum neque de eo, qui dolet? Cogitatio igitur diuturna, nihil esse in re mali, dolori medetur, non ipsa diuturnitas.

XXXI. Hic mihi adferunt mediocritates. Quae si naturales sunt, quid opus est consolatione? natura enim ipsa terminabit modum; sin opinabiles, opinio tota tollatur. Satis dictum esse arbitror aegritudinem esse opinionem mali praesentis, in qua
75 opinione illud insit, ut aegritudinem suscipere oporteat. Additur ad hanc definitionem a Zenone recte, ut illa opinio praesentis mali sit recens. Hoc autem verbum sic interpretantur, ut non tantum illud recens esse velint, quod paulo ante acciderit, sed, quam diu in illo opinato malo vis quaedam insit, ut vigeat et habeat quandam viriditatem, tam diu appelletur recens. Ut Artemisia illa, Mausoli Cariae regis uxor, quae nobile illud Halicarnasi fecit sepulcrum, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit. Huic erat illa opinio cotidie recens. quae tum denique non appellatur recens, cum vetustate exaruit.

Haec igitur officia sunt consolantium, tollere aegritudinem funditus aut sedare aut detrahere quam plurumum aut supprimere

---

6. ipsi se — invitant] de Dav. coni. Ti. Ba. prob. Wes.; GR *se* omittunt; *ipsi ad se — invitant* Or.; *ipsi miseriam invitant* cum Wo. Tr. — 13. et eadem] GR; omittunt *et* falso de Reg. testimonio decepti Tr. Kl.

nec pati manare longius aut ad alia traducere. Sunt qui unum 76
officium consolantis putent, malum illud omnino non esse, ut Cleanthi placet; sunt qui non magnum malum, ut Peripatetici; sunt qui abducunt a malis ad bona, ut Epicurus; sunt qui satis putent ostendere nihil inopinati accidisse, ut Cyrenaici. Chrysippus autem caput esse censet in consolando detrahere illam opinionem maerenti, si se officio fungi putet iusto atque debito. Sunt etiam qui haec omnia genera consolandi conligant — alius enim alio modo movetur —, ut fere nos in Consolatione omnia in consolationem unam coniecimus: erat enim in tumore animus et omnis in eo temptabatur curatio. Sed sumendum tempus est non minus in animorum morbis quam in corporum; ut Prometheus ille Aeschyli, cui cum dictum esset:

Atqui, Prometheu, te hóc tenere exístimo,
Mederi posse orationem iracundiae,

respondit:

Siquidém qui tempestivam medicinam ádmovens
Non adgravescens volnus inlidat manu.

XXXII. Erit igitur in consolationibus prima medicina do- 77
cere aut nullum malum esse aut admodum parvum; altera, et de communi condicione vitae esse et proprie, si quid erit de ipsius, qui maereat, fortuna disputandum; tertia summam esse stultitiam frustra confici maerore, cum intellegas nihil posse profici. Nam Cleanthes quidem sapientem consolatur, qui consolatione non eget. Nihil enim esse malum, quod turpe non sit, si lugenti persuaseris, non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris;

2. consolantis] lacunae post hoc v. signum posuit Tr.; *putent docere* La.; *consolandi* coni. Bogen. — 4. abducunt] retinui ex omnibus libris; l. 5 *putant* et l. 8. *conligunt* correcta, ut plerique editores, dedi. — 5. ut Cyrenaici] de Buh. et Dav. coni.; codd. *nihil mali.* — 9. in Consolatione — coniecimus] cum GR Or. Kl. Ba. prob. Wes.; omittit *in Consolatione* Tr.; *in Consolationem unam coniecimus* Ti. — 15. orationem] de H. Stephani coni. La. Tr.; *rationem* cum libris Or. Kl. Ba. — 16. respondit] cum GR Tr. Kl. Ba.; *respondet* Or. — 18. adgravescens — manu] de Camerarii coni. Kl. Ba. prob. Wes.; *ad gravescens — manus* Or. Tr.; *adgravescens — manus* GR. — 21. vitae esse] addidi *esse.* — ibid. si quid erit — disputandum] *erit* scripsi pro *sit* et adicci *fortuna.*

alienum autem tempus docendi. Et tamen non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso, quod esse summum malum Cleanthes ipse fateatur. Quid enim dicemus, cum Socrates Alcibiadi persuasisset, ut accepimus, eum nihil hominis esse nec quicquam inter Alcibiadem summo loco natum et quemvis baiulum interesse, cum se Alcibiades adflictaret lacrimansque Socrati supplex esset, ut sibi virtutem traderet turpitudinemque depelleret: quid dicemus, Cleanthe? num in illa re, quae aegritudine Alcibiadem adficiebat, mali nihil
78 fuisse? Quid? illa Lyconis qualia sunt? qui aegritudinem extenuans parvis ait eam rebus moveri, fortunae et corporis incommodis, non animi malis. Quid ergo? illud, quod Alcibiades dolebat, non ex animi malis vitiisque constabat? Ad Epicuri consolationem satis est ante dictum.

79 **XXXIII.** Ne illa quidem firmissima consolatio est, quamquam et usitata est et saepe prodest: ‚Non tibi hoc soli'. Prodest haec quidem, ut dixi, sed nec semper nec omnibus: sunt enim qui respuant; sed refert quo modo adhibeatur. Ut enim tulerit quisque eorum, qui sapienter tulerunt, non quo quisque incommodo adfectus sit praedicandum est. Chrysippi ad veritatem firmissima est, ad tempus aegritudinis difficilis. Magnum opus est probare maerenti illum suo iudicio et, quod se ita putet oportere facere, maerere. Nimirum igitur, ut in causis non semper utimur eodem statu — sic enim appellamus controversiarum genera —, sed ad tempus, ad controversiae naturam, ad personam accommodamus, sic in aegritudine lenienda quam quisque curationem recipere possit videndum est.

80 Sed nescio quo pacto ab eo, quod erat a te propositum, aberravit oratio. Tu enim de sapiente quaesieras, cui aut malum videri nullum potest, quod vacet turpitudine, aut ita parvum malum, ut id obruatur sapientia vixque appareat, qui nihil opinione adfingat adsumatque ad aegritudinem nec id putet esse rectum, se quam maxume excruciari luctuque confici, quo pravius nihil esse possit. Edocuit tamen ratio, ut mihi quidem videtur, cum

---

3. fateatur] GR; *fatebatur* ex codd. aliq. Ba. prob. Wes. — 32. adfingat adsumatque — putet — possit] indicativos usquequaque posuit de Bak. sent. Ti.

hoc ipsum proprie non quaereretur hoc tempore, num quid esset malum, nisi quod idem dici turpe posset, tamen ut videremus, quicquid esset in aegritudine mali, id non naturale esse, sed voluntario iudicio et opinionis errore contractum. Tractatum est 81
autem a nobis id genus aegritudinis, quod unum est omnium maxumum, ut eo sublato reliquorum remedia ne magnopere quaerenda arbitraremur.

XXXIV. Sunt enim certa, quae de paupertate, certa, quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant; separatim certae scholae sunt de exilio de interitu patriae de servitute, de debilitate de caecitate, de omni casu in quo nomen poni solet calamitatis. Haec Graeci in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt: opus enim quaerunt; quamquam plenae disputationes delectationis sunt. Et tamen ut medici toto corpore curando 82
minimae etiam parti, si condoluit, medentur, sic philosophia, cum universam aegritudinem sustulit, sustulit etiam, si quis error alicunde extitit, si paupertas momordit si ignominia pupugit, si quid tenebrarum obfudit exilium aut eorum, quae modo dixi, si quid extitit: etsi singularum rerum sunt propriae consolationes, de quibus audies tu quidem, cum voles. Sed ad eundem fontem revertendum est, aegritudinem omnem procul abesse a sapiente, quod inanis sit, quod frustra suscipiatur, quod non natura exoriatur, sed iudicio, sed opinione, sed quadam invitatione ad dolendum, cum id decreverimus ita fieri oportere. Hoc detracto, 83
quod totum est voluntarium, aegritudo erit sublata illa maerens, morsus tantum ex contractiuncula quadam animi relinquentur. Hanc dicant sane naturalem, dum aegritudinis nomen absit grave, taetrum, funestum, quod cum sapientia esse atque, ut ita dicam,

---

1. num quid] de Wes. sent. Kl. Ba.; *num quod* Or. Tr.; *nunc quod* GR. — 9. soleant] GR; *solent* vult Bak. — 15. 16. cum — sustulit, sustulit etiam] de Keilii (Lignit.) coni. Ti. Ba.; *cum universam aegritudinem sustulit tamen* cum GR Or. Tr. Kl. deleto, quod infra l. 19 in iisdem libris sequitur *et si* ante *singularum rerum.* — 16. alicunde] de Ern. emend. prob. Wes. Kl. Ba.; *aliunde* cum GR Or. Tr. — 19. etsi] de Keilii coni. Ti. Ba.; *et si* GR. — 26. tantum] de Beutl. coni.; vulgo cum libris *tamen.* — ibid. ex contractiuncula quadam — relinquentur, de nostra coni.; GR *et contractiunculae quadam (quaedam* R[2]*) relinquentur;* Or. de Be. coni. *et contractiuncula quaedam relinquetur*; ceteri *et contratiunculae quaedam relinquentur.*

habitare nullo modo possit. At quae stirpes sunt aegritudinis, quam multae, quam amarae! quae ipso trunco everso omnes elidendae sunt et, si necesse erit, singulis disputationibus. Superest enim nobis hoc, cuicuimodi est, otium. Sed ratio una omnium est aegritudinum, plura nomina. Nam et invidere aegritudinis est et aemulari et optrectare, et misereri et angi: lugere maerere aerumna adfici, lamentari sollicitari dolere, in molestia esse ad-
84 flictari desperare. Haec omnia definiunt Stoici, eaque verba, quae dixi, singularum rerum sunt, non, ut videntur, easdem res significant, sed aliquid differunt, quod alio loco fortasse tractabimus. Haec sunt illae fibrae stirpium, quas initio dixi, persequendae et omnes elidendae, ne umquam ulla possit existere. Magnum opus et difficile, quis negat? quid autem praeclarum non idem arduum? sed tamen id se effecturam philosophia profitetur, nos modo curationem eius recipiamus. Verum haec quidem hactenus; cetera quotienscumque voletis et hoc loco et aliis parata vobis erunt.

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM
AD M. BRUTUM
LIBER QUARTUS
DE RELIQUIS ANIMI PERTURBATIONIBUS.

1 I. Cum multis locis nostrorum hominum ingenia virtutesque, Brute, soleo mirari, tum maxime in iis studiis, quae sero admodum expetita in hanc civitatem e Graecia transtulerunt. Nam cum a primo urbis ortu regiis institutis, partim etiam legibus, auspicia, caerimoniae, comitia, provocationes, patrum con-

1. possit] GR; *potest* Bak. — ibid. At quae] emendavit Be.; libri *Atque*. — 2. et 12. elidendae] cum codd. aliq. Or. Ba.; *eligendae* cum GR Tr.; *eiciendae* Kl. — 6. et angi] GR; *et* delet Or. — 11. Haec] GR; *hae* Or. Tr. — 15. haec quidem] de Wes. sent. Ti. Ba.; vulgo cum libris *quidem haec*. — 2. in iis studiis] cum Ern. Ba.; *in his* cum GR Or. Tr. Kl.

silium, equitum peditumque discriptio, tota res militaris divinitus esset constituta, tum progressio admirabilis incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est dominatu regio re publica liberata. Nec vero hic locus est ut de moribus institutisque maiorum et disciplina ac temperatione civitatis loquamur; aliis haec locis satis accurate a nobis dicta sunt maximeque in iis sex libris, quos de re publica scripsimus. Hoc autem loco consideranti **2** mihi studia doctrinae multa sane occurrunt, cur ea quoque arcessita aliunde neque solum expetita, sed etiam conservata et culta videantur. Erat enim illis paene in conspectu praestanti sapientia et nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus isdem, quibus L. Brutus patriam liberavit, praeclarus auctor nobilitatis tuae. Pythagorae autem doctrina cum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem, idque cum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Quis enim est qui putet, cum floreret in Italia Graecia potentissumis et maxumis urbibus, ea quae magna dicta est, in iisque primum ipsius Pythagorae, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces aures clausas fuisse? Quin etiam arbitror propter Pythagoreorum admirationem **3** Numam quoque regem Pythagoreum a posterioribus existimatum. Nam cum Pythagorae disciplinam et instituta cognoscerent regisque eius aequitatem et sapientiam a maioribus suis accepissent, aetates autem et tempora ignorarent propter vetustatem, eum, qui sapientia excelleret, Pythagorae auditorem crediderunt fuisse.

II. Et de coniectura quidem hactenus. Vestigia autem Pythagoreorum quamquam multa conligi possunt, paucis tamen utemur, quoniam non id agitur hoc tempore. Nam cum carminibus soliti illi esse dicantur et praecepta quaedam occultius tradere et mentes suas a cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere, gravissumus auctor in Originibus dixit Cato morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. Ex quo perspicuum est et cantus tum fuisse discriptos vocum sonis et carmina. Quamquam id quidem etiam **4**

10. s a p i e n t i a e t n o b i l i t a t e] *sapientiae nobilitate* vult Madv. — 35. d i s c r i p t o s] sic nos; *descriptos* de La. coni. Ba. [prob. Wes.; *rescriptos* cum GR Or. Tr. Kl.; *perscriptos* volebat Wo.

duodecim tabulae declarant, condi iam tum solitum esse carmen, quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, lege sanxerunt. Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum est, quod et deorum pulvinaribus et epulis magistratuum fides praecinunt, quod proprium eius fuit, de qua loquor, disciplinae. Mihi quidem etiam Appii Caeci carmen, quod valde Panaetius laudat epistula quadam, quae est ad Q. Tuberonem, Pythagoreum videtur. Multa etiam sunt in nostris institutis ducta ab illis, quae praetereo, ne ea, quae peperisse ipsi putamur, aliunde didicisse videamur.
5 Sed, ut ad propositum redeat oratio, quam brevi tempore quot et quanti poëtae, qui autem oratores extiterunt! facile ut appareat nostros omnia consequi potuisse, simul ut velle coepissent.

III. Sed de ceteris studiis alio loco et dicemus, si usus fuerit, et saepe diximus. Sapientiae studium vetus id quidem in nostris, sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio quos appellare possim nominatim. Quibus adulescentibus Stoicum Diogenen et Academicum Carneadem video ad senatum ab Atheniensibus missos esse legatos, qui cum rei publicae nullam umquam partem attigissent essetque eorum alter Cyrenaeus, alter Babylonius, numquam profecto scholis essent excitati neque ad illud munus electi, nisi in quibusdam principibus temporibus illis fuissent studia doctrinae. Qui cum cetera litteris mandarent, alii ius civile, alii orationes suas, alii monumenta maiorum, hanc amplissimam omnium artium, bene vivendi disciplinam, vita magis
6 quam litteris persecuti sunt. Itaque illius verae elegantisque philosophiae, quae ducta a Socrate in Peripateticis adhuc permansit et idem alio modo dicentibus Stoicis, cum Academici eorum controversias disceptarent, nulla fere sunt aut pauca admodum Latina monumenta sive propter magnitudinem rerum occupationemque hominum sive etiam, quod imperitis ea probari posse non arbitrabantur; cum interim illis silentibus C. Amafinius extitit dicens, cuius libris editis commota multitudo contulit se ad eam potissimum disciplinam, sive quod erat cognitu perfacilis

---

9. peperisse] Or. Kl.; G R *perperisse*; *repperisse* cum Dav. Tr. Ba. — 29. aut pauca] ex codd. Or. ceteri.; G R *ac pauca*. — 33. ad eam] cum G Ba.; *ad eandem* ex R script. *eadem* Or. Tr. Kl.

sive quod invitabantur inlecebris blandis voluptatis, sive etiam, quia nihil erat prolatum melius, illud, quod erat, tenebant. Post 7
Amafinium autem multi eiusdem aemuli rationis multa cum scripsissent, Italiam totam occupaverunt, quodque maxumum argumentum est, non dici illa suptiliter, quod et tam facile ediscantur et ab indoctis probentur, id illi firmamentum esse disciplinae putant.

IV. Sed defendat quod quisque sentit: sunt enim iudicia libera: nos institutum tenebimus nulliusque unius disciplinae legibus astricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile semper anquiremus. Quod cum saepe alias tum nuper in Tusculano studiose egimus. Itaque expositis tridui diputationibus quartus dies hoc libro includitur. Ut enim in inferiorem ambulationem descendimus, quod feceramus idem superioribus diebus, acta res est sic.

M. Dicat, si quis volt, qua de re disputari velit. 8

A. Non mihi videtur omni animi perturbatione posse sapiens vacare.

M. Aegritudine quidem hesterna disputatione videbatur, nisi forte temporis causa nobis adsentiebare.

A. Minime vero: nam mihi egregie probata est oratio tua.

M. Non igitur existumas cadere in sapientem aegritudinem.

A. Prorsus non arbitror.

M. Atqui, si ista perturbare animum sapientis non potest, nulla poterit. Quid enim? metusne conturbet? At earum rerum est absentium metus, quarum praesentium est aegritudo. Sublata igitur aegritudine sublatus est metus. Restant duae perturbationes, laetitia gestiens et libido: quae si non cadent in sapientem, semper mens erit tranquilla sapientis.

A. Sic prorsus intellego. 9

M. Utrum igitur mavis? statimne nos vela facere an quasi e portu egredientis paululum remigare?

---

1. invitabantur] ex cod. Vindob. Wo. Or. ceteri; GR *invitabatur.* — ibid. blandis ex GR Ba., *blandae* Or. Tr. Kl. — 5. et tam facile] corr. Dav.; GR *etiam facile; et iam facile* de coni. Or. Mo.; *et facile* Tr. — 9. nulliusque unius] de Be. coni. Or.; vulgo cum GR *nullisque unius.* — 11. anquiremus, Gebhardi coni.; *exquiremus* de Bak. sent. Ti.; vulgo cum GR *requiremus.* — 13. includitur] correxi pro vulgato *concluditur.*

A. Quidnam est istuc? non enim intellego.

V. M. Quia Chrysippus et Stoici, cum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt; illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur animis nec eos turbulentos esse patiantur; Peripatetici autem ad placandos animos multa adferunt, spinas partiendi et definiendi praetermittunt: quaerebam igitur utrum panderem vela orationis statim an eam ante paululum dialecticorum remis propellerem.

A. Isto modo vero: erit enim hoc totum, quod quaero, ex utroque perfectius.

10 M. Est id quidem rectius, sed post requires, si quid fuerit obscurius.

A. Faciam equidem; tu tamen, ut soles, dices ista ipsa obscura planius quam dicuntur a Graecis.

M. Enitar equidem, sed intento opus est animo, ne omnia dilabantur, si unum aliquid effugerit. Quoniam, quae Graeci *πάϑη* vocant, nobis perturbationes appellari magis placet quam morbos, in his explicandis veterem illam equidem Pythagorae primum, dein Platonis discriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt, alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. In participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam, in illa altera motus turbidos cum
11 irae tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi. Sit igitur hic fons; utamur tamen in his perturbationibus describendis Stoicorum definitionibus et partitionibus, qui mihi videntur in hac quaestione versari acutissime.

VI. Est igitur Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit, quod *πάϑος* ille dicit, aversa a recta ratione contra naturam animi commotio. Quidam brevius, perturbationem esse adpetitum vehementiorem, sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturae constantia. Partes autem perturbationum volunt ex duobus opinatis bonis nasci et ex duobus opinatis malis, ita esse quattuor: ex bonis *libidinem* et *laetitiam*, ut sit laetitia praesentium bonorum, libido futurorum, ex malis *metum* et *ae-*

17. unum aliquid] cum GR Tr. Kl. Ba.; *unum aliquod* Or. — 20. dein] GR; *deinde* Or. — 21. faciunt] de Bak. sent. seclusit Ba.

gritudinem nasci censent, metum futuris, aegritudinem praesentibus: quae enim venientia metuuntur, eadem adficiunt aegritudine instantia. *Laetitia* autem et *libido* in bonorum opinione versan- 12
tur, eum libido ad id, quod videtur bonnm, inlecta et inflammata rapiatur, laetitia ut adepta iam aliquid concupitnm eeferatur et gestiat. Natura enim omnes ea, quae bona videntur, seeuntur fuginntque eontraria. Quamobrem simul obieeta species est cuiuspiam, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Id enm eonstanter prudenterque fit, eiusmodi adpetitionem Stoiei βούλησιν appellant, nos appellemus *voluntatem*. Eam illi putant in solo esse sapiente, qnam sie definiunt: volnntas est, quae quid eum ratione desiderat. Quae autem a ratione aversa incitata est vehementius, ea libido est vel eupiditas effrenata, qnae in omnibus stultis invenitur. Itemque cum ita movemur, 13
ut in bono simus aliquo, duplieiter id contingit. Nam cum ratione animus eum movetur placide atque eonstanter, tum illud *gaudium* dieitur; enm autem inaniter et effuse animus exultat, tnm illa *laetitia gestiens* vel *nimia* dici potest, quam ita definiunt, sine ratione animi elationem. Quoniamque ut bona natura adpetimus, sie a malis natura declinamus, qnae deelinatio cum ratione fiet, cautio appelletur eaque intellegatur in solo esse sapiente; quae autem sine ratione et cum exanimatione humili atque fracta, nominetur metus: est igitur metus a ratione aversa eautio. Praesentibus autem malis sapientis adfeetio nulla est; stul- 14
torum tum aegritudo est eaque adficiuntur in malis opinatis animosque demittunt et eontrahunt rationi non optemperantes. Itaque haec prima definitio est, ut aegritudo sit animi adversante ratione eontractio. Sie quattuor *perturbationes* sunt, tres *constantiae*, quoniam aegritudini nulla constantia opponitur.

10. appellemus] de Wes. sent. Ti. Kl. Ba; vulgo *appellamus* cum R (*apellamus* G). — 12. a ratione aversa] de La. coni. Tr. Kl. Ba.; *ratione adversa* cum GR Or.; *rationi adversa* Buh. coni. - 15. Nam cum ratione — cum movetur] alterum *cum* omissnm in libris de nostra coni. adiecimus; *nam quum cum ratione* de Be. coni. Dav. — 20. cum ratione fiet] de Be. coni.; *si cum ratione fiet* cum GR Or.; *si* inclusit Kl. — 24. praesentibus — malis] de nostra coni.; vulgo *praesentis — mali; sapienti* volebat Be. — 25. stultorum tum] *stultorum* de Dav. coni. Ba.; *tum* ego addidi; *stulta autem* cum GR Mo.; *stulti autem* ex vett. editt. Or. Tr. Kl. — ibid. caque adficiuntur] de Bak. coni. Ti.; vulgo *ea, qua adficiuntur*.

VII. Sed omnes perturbationes iudicio censent fieri et opinione. Itaque eas definiunt pressius, ut intellegatur non modo quam vitiosae, sed etiam quam in nostra sint potestate. Est ergo *aegritudo* opinio recens mali praesentis, in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur; *laetitia* opinio recens boni praesentis, in quo ecferri rectum esse videatur; *metus* opinio inpendentis mali, quod intolerabile esse videatur; *libido* opinio venturi boni, quod sit ex usu iam praesens esse atque adesse.
15 Sed quae iudicia quasque opiniones perturbationum esse dixi, non in eis perturbationes solum positas esse dicunt, verum illa etiam, quae efficiuntur perturbationibus, ut aegritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat, metus recessum quendam animi et fugam, laetitia profusam hilaritatem, libido effrenatam adpetentiam. *Opinationem* autem, quam in omnis definitiones superiores inclusimus, volunt esse inbecillam adsensionem.

16 Sed singulis perturbationibus partes eiusdem generis plures subiciuntur, ut *aegritudini* invidentia — utendum est enim docendi causa verbo minus usitato, quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur —, aemulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, maeror, aerumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, adflictatio, desperatio et si quae sunt de genere eodem. Sub *metum* autem subiecta sunt pigritia, pudor, terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido; *voluptati* malevolentia laetans malo alieno, delectatio, iactatio et similia; *libidini* ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium et cetera eius modi.

17 **VIII.** Haec autem definiunt hoc modo. *Invidentiam* esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti. Nam si qui doleat eius rebus secundis, a quo ipse laedatur, non recte dicatur invidere, ut si Hectori Agamemno; qui autem, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum doleat iis frui, is invideat profecto. *Aemulatio* autem dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur — sed ea nihil hoc loco utimur: est enim laudis — et est aemulatio ae-

---

3. Est ergo] GR; *est igitur* Or. — 24. laetans malo alieno uncis includunt de Be. et Wes. sent. Tr. Ba. — 32. invideat] GR; *invidet* Or.

gritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. *Obtrec-* 18
tatio autem est, ea quam intellegi ζηλοτυπίαν volo, aegritudo ex eo,
quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit. *Misericordia*
est aegritudo ex miseria alterius iniuria laborantis: nemo enim
parricidae aut proditoris supplicio misericordia commovetur; *angor*
aegritudo premens; *luctus* aegritudo ex eius, qui carus fuerit,
interitu acerbo; *maeror* aegritudo flebilis; *aerumna* aegritudo
laboriosa; *dolor* aegritudo crucians; *lamentatio* aegritudo cum
eiulatu; *sollicitudo* aegritudo cum cogitatione; *molestia* aegritudo
permanens; *adflictatio* aegritudo cum vexatione corporis; *despe-*
ratio aegritudo sine ulla rerum expectatione meliorum. Quae 19
autem subiecta sunt sub *metum*, ea sic definiunt: *pigritiam* me-
tum consequentis laboris; [*pudorem* metum dedecoris]; *terrorem*
metum concutientem, ex quo fit ut pudorem rubor, terrorem
pallor et tremor et dentium crepitus consequatur; *timorem* metum
mali appropinquantis; *pavorem* metum mentem loco moventem,
ex quo illud Ennius:

Túm pavor sapiéntiam omnem mi èxanimato expéctorat;

exanimationem metum subsequentem et quasi comitem pavoris;
conturbationem metum excutientem cogitata; *formidinem* metum
permanentem.

IX. Voluptatis autem partes hoc modo describunt, ut *male-* 20
volentia sit voluptas ex malo alterius sine emolumento suo, *delec-*
tatio voluptas suavitate auditus animum deleniens: et qualis est haec
aurium, tales sunt et oculorum et tactionum et odorationum et sa-
porum, quae sunt omnes unius generis, ad perfundendum animum
tamquam inliquefactae voluptates. *Iactatio* est voluptas gestiens
et se efferens insolentius. Quae autem libidini subiecta sunt, 21
ea sic definiuntur, ut *ira* sit libido poeniendi eius, qui videatur
laesisse iniuria, *excandescentia* autem sit ira nascens et modo exi-
stens, quae θύμωσις Graece dicitur; *odium* ira inveterata; *inimi-*

---

5. angor] GR; *angor est* Or. — 13. pudorem — dedecoris] nos adiecimus; vulgo lacunae signum ponitur. — 17. Ennius] GR; *Ennii* Or. (prob. Wes.) Kl. Ba. — 18. mi exanimato expectorat] cum Nonio Wo. Or. Tr. Kl. Ba.; *mihi ex animo expectaret* GR. — 25. et oculorum] ex Nonio prob. Wes. Ba.; vulgo cum libris Cic. *et* omittitur. — 29. definiuntur] cum GR Tr.; *definiunt* Or. Kl. Ba.

citia ira ulciscendi tempus observans; ***discordia*** ira acerbior odio, intimo corde concepta; ***indigentia*** libido inexplebilis; ***desiderium*** libido eius, qui nondum adsit, videndi. Distinguunt illud etiam, ut libido sit earum rerum, quae dicuntur de quodam aut quibusdam, quae κατηγορήματα dialectici appellant, ut habere divitias, capere honores; indigentia rerum ipsarum sit, ut honorum, ut
22 pecuniae. Omnium autem perturbationum fontem esse dicunt *intemperantiam*, quae est a tota mente et a recta ratione defectio sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo adpetitiones animi nec regi nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia sedat adpetitiones et efficit ut eae rectae rationi pareant conservatque considerata iudicia mentis, sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat; itaque et aegritudines et metus et reliquae per-
23 turbationes omnes gignuntur ex ea. **X.** Quemadmodum, cum sanguis corruptus est aut pituita redundat aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur, sic pravarum opinionum conturbatio et ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliat animum morbisque perturbat. Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quae vocant illi νοσήματα, eaque, quae sunt eis morbis contraria, quae habent ad res certas vitiosam offensionem atque fastidium; deinde aegrotationes, quae appellantur a Stoicis ἀῤῥωστήματα, hisque item oppositae contrariae offensiones. Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo: qua oratione praetermissa minime necessaria ea, quae rem continent, pertractemus.

24 Intellegatur igitur perturbationem iactantibus se opinionibus inconstanter et turbide in motu esse semper; cum autem hic fervor concitatioque animi inveteravit et tamquam in venis medullisque insedit, tum existit et morbus et aegrotatio et offensiones eae, quae sunt eis morbis aegrotationibusque contrariae.

---

1. ira acerbior odio, intimo corde concepta] sic nos; *acerbior odio et intimo corde conc.* Foertsch. coni.; vulgo *ira acerbior intimo odio et corde*; *intimo animo et corde* de La. coni Dav. Ba. — 6. sit] de Ma. corr. Ba.; vulgo cum GR *est.* — 8. et a recta ratione] e codd. deterior. Or. Kl. Ba.; *et* omittunt GR. — 30. inveteravit — insedit] de nostra coni.; vulgo cum GR *inveteraverit — insederit.*

XI. Haec, quae dico, cogitatione inter se differunt, re
quidem copulata sunt, eaque oriuntur ex libidine et ex laetitia.
Nam cum est concupita pecunia nec adhibita continuo ratio quasi
quaedam Socratica medicina, quae sanet eam cupiditatem, per-
manat in venas et inhaeret in visceribus illud malum existitque mor-
bus et aegrotatio, quae evelli inveterata non possunt, eique morbo
nomen est *avaritia*. Similiterque ceteri morbi, ut *gloriae cupidi-* 25
tas, ut *mulierositas*, ut ita appellem eam, quae Graece φιλογυνία
dicitur, ceterique similiter morbi aegrotationesque nascnntur.
Quae autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu, ut
odium mulierum, quale in μισογύνῳ Atili est, ut *in hominum uni-*
versum genus, quod accepimus de Timone, qui μισάνθρωπος ap-
pellatur, ut *inhospitalitas* est, quae omnes aegrotationes animi
ex quodam metu nascuntur earum rerum, quas fugiunt et ode-
runt. Definiunt antem animi *aegrotationem* opinationem vehe- 26
mentem de re non expetenda, tamquam valde expetenda sit, in-
haerentem et penitus insitam. Quod autem nascitur ex offensione,
ita definiunt, opinionem vehementem de re non fugienda inhae-
rentem et penitus insitam tamquam fugienda: haec autem opinatio
est iudicatio se scire quod nesciat. *Aegrotationi* autem talia
quaedam subiecta sunt, *avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia,*
ligurritio, *vinolentia*, *cuppedia* et si qua similia. Est autem
avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda
sit, inhaerens et penitus insita, similisque est eiusdem generis de-
finitio reliquarum. *Offensionum* autem definitiones sunt eius modi, 27
ut *inhospitalitas* sit opinio vehemens valde fugiendum esse ho-
spitem eaque inhaerens et penitus insita, similiterque definitur et
mulierum odium, ut Hippolyti, et, ut Timonis, *generis humani*.

XII. Atque ut ad valetudinis similitudinem veniamus eaque
conlatione utamur aliquando, sed parcius quam solent Stoici, ut
sunt alii ad alios morbos procliviores (itaque dicimus gravedinosos
quosdam, quosdam torminosos, non quia iam sint, sed quia saepe),

---

2. et ex laetitia] GR; *et laetitia* Or. — 4. sanet] de Be. corr. Or. Tr.; vulgo cum libris *'sanaret*. — 6. evelli] de Wopkensii corr.; *avelli* GR. — 11. Atili] GR; *Attilii* Or. — 12. μισάνθρωπος appellatur] ex G *mis aneP…τοca* Or. Ba.; *μισάνθρωποι appellantur* Tr.; *appellantur* GR. — 29. veniamus] ex codd. Or. ceteri; *veniam* G R. — 32. saepe, sic] cum Ma. et cod. Gryphiano Ba.; *saepe sint, sic* cum La. Or.

sic alii ad metum, alii ad aliam perturbationem; ex quo in aliis *anxietas,* unde anxii, in aliis *iracundia* dicitur, quae ab *ira* differt, estque aliud iracundum esse, aliud iratum, ut differt *anxietas* ab *angore:* neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, nec qui anxii, semper anguntur. ut inter ebrietatem et ebriositatem interest aliudque est amatorem esse, aliud amantem.

28 Atque haec aliorum ad alios morbos proclivitas late patet: nam pertinet ad omnes perturbationes. In multis etiam vitiis apparet, sed nomen res non habet. Ergo et invidi et malevoli et timidi et misericordes, quia proclivius ad eas perturbationes, non quia semper feruntur. Haec igitur proclivitas ad suum quodque genus a similitudine corporis aegrotatio dicatur, dum ea intellegatur ad aegrotandum proclivitas. Sed haec in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, *facilitas* nominetur, in malis *proclivitas,* ut significet lapsionem, in neutris habeat superius nomen.

XIII. Quomodo autem in corpore est morbus, est aegrotatio, est vitium, sic in animo. *Morbum* appellant totius corporis **29** corruptionem, *aegrotationem* morbum cum inbecillitate, *vitium,* cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus et aegrotatio, ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur, vitium autem integra valetudine ipsum ex se cernitur. Sed in animo tantummodo cogitatione possumus morbum ab aegrotatione seiungere. *Vitiositas* autem est habitus aut adfectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. Ita fit ut in altera corruptione opinionum morbus efficiatur et aegrotatio, in altera inconstantia et repugnantia. Non enim omne vitium paris habet dissensiones, ut eorum, qui non longe a sapientia absunt, adfectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens, sed non distorta nec prava. Morbi autem et aegrotationes partes sunt vitiositatis, sed perturbationes sintne eiusdem partes quae-
30 stio est. Vitia enim adfectiones sunt manentes, perturbationes autem moventes, ut non possint adfectionum manentium partes

---

9. et timidi] vulgo ante additum *et lividi* ut ex dittographia ortum delevi de Wes. sent. cum Ba. — 10. proclivius] de nostra coni.; libri *proclives;* Be. volebat *proclive.* — 11. feruntur] GR; *ferantur* de Wes. sent. Kl. Ba. — 12. dicatur] de Be. corr. Kl. Ba.; libri *dicitur.* — 27. paris habet dissensiones] de Be. coni. Kl. Ba. prob. Wes.; *partis habet dissentientis* GR.

esse. Atque ut in malis attingit animi naturam corporis simi-
litudo, sic in bonis. Snnt enim in corpore praecipua valetudo
vires, pulchritudo firmitas, velocitas, sunt item in animo. Ut
enim corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, e quibus
constamus, sanitas, sic animi dicitur, cum eius iudicia opiniones-
que concordant, eaque animi est virtus, quam alii ipsam tempe-
rantiam dicnnt esse, alii optemperantem temperantiae praeceptis
et eam subsequentem nec habentem ullam speciem suam, sed,
sive hoc sive illud sit, in solo esse sapiente. Est autem quae-
dam animi insanitas, qnae in sapientem etiam cadat, cum cu-
ratione et purgatione medicorum contnrbatio mentis aufertur.
Et nt corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris **31**
quadam suavitate eaque dicitur pulchritudo, sic in animo opinio-
nnm iudiciorumque aequabilitas et constantia cum firmitate qua-
dam et stabilitate virtutem subsequens aut virtutis vim ipsam
continens pulchritndo vocatur. Itemque viribus corporis et nervis
et efficacitati similes similibus quoque verbis animi vires nomi-
nantur. Velocitas autem corporis celeritas appellatur, qnae ea-
dem ingenii etiam laus habetur propter animi multarum rerum
brevi tempore percursionem. **XIV.** Illud animorum corporum-
que dissimile, quod animi valentes morbo temptari non possunt,
corpora possunt; et corporum offensiones sine culpa accidere
possnnt, animorum non item, quorum omnes morbi et perturba-
tiones ex aspernatione rationis eveniunt, itaque in hominibns solum
existunt: nam bestiae simile quiddam faciunt, sed in perturbationes
non incidunt. Inter acutos autem et inter hebetes interest, quod **32**
ingeniosi, nt aes Corinthium in aeruginem, sic illi in morbum

2. valetudo vires, pulchritudo] ordinem immntavi; vulgo *pulchritudo, vires, valetudo;* Ti. et Ba. de Ursini et Wes. sent. *valetudo, pulchritudo, vires.* — 3. Ut] cum Camerario addit Ba.; alii *sicut;* omittunt GR. — 10. insanitas, quae in sapientem etiam cadat] de coni. Adr. Turnebi; vulgo cum GR *sanitas, quae in insipientem etiam cadat.* — 11. et purgatione] de La. coni. Tr.; GR *et pturbatione; et gubernatione* ex editt. quibusdam Dav. Kl.; omittunt de Victorii sent. Or. Ba. — 17. similibus qnoque] de Ma. corr. Or. Tr. Ba.; *similibusque* cnm GR Kl. — 18. celeritas] *et celeritas* de Bak. sent. Ti. — 21. temptari possnnt, corpora non possuut, et] de nostra coni.; vulgo *temptari — possunt, sed;* verba *non possunt, corpora* de Madv. sent. includit Tr.; *temptari possunt, ut corpora possunt, sed* de Bentl. coni. Wo. Ti. Ba. — 26. inter hebetes] GR; *inter* omittit Or.

et incidunt tardins et recreantur ocius, hebetes non item. Nec vero in omnem morbum ac perturbationem animus ingeniosi cadit: non enim in ulla ecferata et inmania; qnaedam autem humanitatis qnoque habent primam speciem, ut misericordia, aegritudo, metns. Aegrotationes autem morbique animorum difficilius evelli posse putantur quam summa illa vitia, quae virtutibus snnt contraria. Morbis enim manentibus vitia sublata esse possunt, qui
33 non tam celeriter sanantur qnam illa tolluntur. Habes ea, quae de perturbationibus enncleate dispntant Stoici, quae λογικά appellant, quia disseruntur suptilius. Ex quibus quoniam tamquam ex scrupulosis cotibus enavigavit oratio, reliquae disputationis cursum teneamus, modo satis illa dilucide dixerimus pro rerum obscuritate.

A. Prorsns satis, sed si qnae diligentius erunt cognoscenda, qnaeremus alias, nunc vela, quae modo dicebas, expectamus et cursum.

34 **XV.** M. Quando ut aliis locis de virtute et diximus et saepe dicendum erit — pleraeque enim quaestiones, quae ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur —, quando igitur virtus est adfectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate, landabilis, ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actiones omnisqne recta ratio, qnamquam ipsa virtns brevissume recta ratio dici potest. Huius igitur virtutis contraria est vitiositas — sic enim malo quam malitiam appellare eam, quam Graeci κακίαν appellant: nam malitia certi cuiusdam vitii nomen est, vitiositas omninm —, ex qua concitantur perturbationes, qnae snnt, ut paulo ante diximus, turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione et inimicissimi mentis vitaeque tranquillae. Inportant enim aegritudines anxias atque acerbas animosque adfligunt et debilitant metu; idem inflammant adpetitione nimia, qnam tum cnpiditatem tum libidinem dicimus, inpo-

3. non enim in ulla] de Be. coni. Or. Tr. Kl.; *non enim multa* GR; *sunt enim multa* de Madv. coni. Ba. — 7. possunt] de La. coni.; *non possunt* GR. ibid. qui] de Dav. coni. Or. Ba.; *quia* GR; *quia hi* de La. coni. Tr. Kl. — 9. λογικά] Mo. Ba.; vulgo *logica*. — 11. ex scrupulosis] G²; *scruplosis* R; *e scruposis* Or.; *ex scruposis* Mo. — 17. ut aliis locis] de Ma. corr. Wes. Kl. Ba.; GR *et aliis locis; et aliis locis de virtute diximus* Or.

tentiam quandam auimi a temperautia et moderatione plurimum dissideutem. Quae si quando adepta erit id, quod ei fuerit con- **35**
cupitum, tum feretur alacritate, ut nihil ei coustet quod agat, ut ille, qui voluptatem auimi uimiam summum esse errorem arbitratur. Eorum igitur malorum in una virtute posita sanatio est.

XVI. Quid autem est uou miserius solum, sed foedius etiam et deformius quam aegritudiue quis adflictus, debilitatus, iacens? Cui miseriae proxumus est is, qui adpropiuquans aliquod malum metuit exanimatusque pendet animi. Quam vim mali significantes poëtae inpendere apud iuferos saxum Tantalo faciunt

Ob scelera animique inpotentiam et superbiloquentiam.

Ea communis poeua stultitiae est: omnibus enim, quorum mens abhorret a ratione, semper aliqui talis terror inpendet. Atque **36**
ut haec tabificae mentis perturbationes sunt, aegritudinem dico et metum, sic hilariores illae, cupiditas avide semper aliquid expetens et inanis alacritas, id est laetitia gestieus, non multum differunt ab amentia. Ex quo intellegitur qualis ille sit, quem tum moderatum, alias modestum, tum temperantem, alias constautem continentemque dicimus; uouuumquam haec eadem vocabula ad frugalitatis nomen tamquam ad caput referre volumus. Quod nisi eo nomine virtutes contineroutur, numquam ita pervolgatum illud esset, ut iam proverbii locum optineret, *hominem frugi omnia recte facere.* Quod idem cum Stoici de sapiente dicunt, nimis admirabiliter nimisque magnifice dicere videntur.

XVII. Ergo hic, quisquis est, qui moderatione et constantia **37**
quietus animo est sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis uec frangatur timore uec sitieuter quid expetens ardeat desiderio nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, quem quaerimus, is est beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum aut nimis laetabile ad ecfereudum

---

2. adepta erit] de La. coni. Or. Tr. Kl. Ba.; *eademptaretur* GR; *se adeptam retur* de Be. coni. Mo. — 3. tum feretur] nos scripsimus; GR *fert; effertur* de Be. sent. Or. Kl.; *ecferetur* de Wes. sent. Ba. — ibid. nihil ei constet] de Be. corr. Dav. Tr. Kl. Ba.; GR *nihil et constet; nihil constet* Or. — 14. aliqui talis] Iac. Gronov. corr.; GR *aliquid aliis.* — 31. ad ecferendum] ex antiqua corr. Or. ceteri.; *ad ferendum* GR.

videri potest. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis,
cui aeternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam
quid aut in studiis humanis aut in tam exigua brevitate vitae
magnum sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, ut
ei nihil inprovisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil om-
38 nino novum? Atque idem ita acrem in omnis partis aciem inten-
dit, ut semper videat sedem sibi ac locum sine molestia atque
angore vivendi, ut, quemcumque casum fortuna invexerit, hunc
apte et quiete ferat. Quod qui faciet non aegritudine solum
vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem
vacuus animus perfecte atque absolute beatos efficit, idemque
concitatus et abstractus ab integra certaque ratione non constan-
tiam solum amittit, verum etiam sanitatem.

Quocirca mollis et enervata putanda est Peripateticorum
ratio et oratio, qui perturbari animos necesse dicunt esse, sed
adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oporteat.
49 Modum tu adhibes vitio? an vitium nullum est non parere ra-
tioni? an ratio parum praecipit nec bonum illud esse, quod aut
cupias ardenter aut adeptus ecferas te insolenter, nec porro ma-
lum, quo aut oppressus iaceas aut, ne opprimare, mente vix
constes? eaque omnia aut nimis tristia aut nimis laeta errore
fieri? qui si error stultis extenuetur die, ut, cum res eaedem
maneant, aliter ferant inveterata, aliter recentia, sapientis ne
40 attingat quidem omnino. Etenim quis erit tandem modus iste?
Quaeramus enim modum aegritudinis, in qua operae plurimum
ponitur. Aegre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus
scriptum apud Fannium est. Sed tamen transisse videtur modum,
quippe qui ob eam causam a vita recesserit; moderatius igitur
ferre debuit. Quid? si, cum id ferret modice, mors liberorum
accessisset? Nata esset aegritudo nova, sed ea modica; magna
tamen facta esset accessio. Quid? si deinde dolores graves cor-
poris, si bonorum amissio, si caecitas, si exilium? Si pro sin-
gulis malis aegritudines accederent, summa ea fieret, quae non
sustineretur.

---

22. extenuetur] GR.; *extenuatur* de Bak. sent. Ti. — ibid. res eaedem maneant] ex vett. editt. Ern. Kl.; GR *eadem maneant; eadem maneat* Or. Tr. Ba. — 30. sed ea modica] *Sit ea modica* volebat Be. et Bak

XVIII. Qui modum igitur vitio quaerit, similiter facit, ut 41 si posse putet eum, qui se e Leucata praecipitaverit, sustinere se, cum velit. Ut enim id non potest, sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest nec quo loco volt insistere. Omninoque, quae crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. Aegritudo antem ceteraeque perturbationes amplifi- 42 catae certe pestiferae sunt. Igitur etiam susceptae continuo in magna pestis parte versantur. Etenim ipsae se impellunt, ubi semel a ratione discessum est, ipsaque sibi inbecillitas indulget in altnmque provehitur inprudens nec reperit locum consistendi. Quamobrem nihil interest, utrum moderatas perturbationes adprobent an moderatam iniustitiam, moderatam ignaviam, moderatam intemperantiam. Qui enim vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum. Quod cnm ipsum per se odiosum est, tum eo molestius, quia snnt in lnbrico incitataque semel proclivi labuntur sustinerique nullo modo possunt.

XIX. Quid? quod idem Peripatetici perturbationes istas, 43 quas nos extirpandas putamus, non modo naturalis esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas, quorum est talis oratio. Primum multis verbis iracundiam laudant, cotem fortitudinis esse dicunt, multoque et in hostem et in inprobnm civem vehementiores iratorum impetus esse, levis autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent: ,proelium rectum est hoc fieri, convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria.' Haec nullam habent vim, nisi ira excanduit fortitudo. Nec vero de bellatoribus solum disputant: imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiae; oratorem denique non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiae, quae etiam si non adsit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur, ut auditoris iram oratoris incendat actio. Virum denique videri negant, qui irasci nesciat, eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant. Nec vero so- 44 lum hanc libidinem laudant — est enim ira, ut modo definivi, ulciscendi libido —, sed ipsum illud genus vel libidinis vel cupiditatis ad summam utilitatem esse dicunt a natura datum: nihil

---

24. Haec — habent — excanduit] *habere — excanduerit* vult Bak. — 34. vel libidinis] uncis inclusit Tr.

enim quemquam nisi quod lubeat praeclare facere posse. Noctu ambulabat in publico Themistocles, cum somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? qui dolere se aiebat, si quando opificum antelucana victus esset industria. Philosophiae denique ipsius principes numquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent. Ultimas terras lustrasse Pythagoran, Democritum, Platonem accepimus. Ubi enim quicquid esset quod disci posset, eo veniendum indicaverunt. Num putamus haec fieri sine summo cupiditatis
45 ardore potuisse? **XX.** Ipsam aegritudinem, quam nos ut taetram et inmanem beluam fugiendam diximus, non sine magna utilitate a natura dicunt constitutam, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis adfici se in delicto dolerent. Inpunitas enim peccatorum data videtur eis, qui ignominiam et infamiam ferunt sine dolore; morderi est melius conscientia. Ex quo est illud e vita ductum ab Afranio. Nam cum dissolutus filius:

Heu me miserum!,

tum severus pater:

Dummodo doleat aliquid, doleat quidlubet.

46 Reliquas quoque partis aegritudinis utilis esse dicunt, misericordiam ad opem ferendam et calamitates hominum indignorum calamitate sublevandas; ipsum illud aemulari, optrectare non esse inutile, cum aut se non idem videat consecutum quod alium aut alium idem quod se; metum vero si quis sustulisset, omnem vitae diligentiam sublatam fore, quae summa esset in eis, qui leges, qui magistratus, qui paupertatem, qui ignominiam, qui mortem, qui dolorem timerent. Haec tamen ita disputant, ut resecanda esse fateantur, evelli penitus dicant nec posse nec opus esse, et in omnibus fere rebus mediocritatem esse optumam existiment. Quae cum exponunt, nihilne tibi videntur an aliquid dicere?

---

2. cum — posset] de nostra coni.; vulgo *quod — posset;* verba de Doederlini sent. seclusit Ba. — 9. quicquid esset] GR; *quid esset* Or. — 22. indignorum calamitate] sic correxi GR script. *indignorum calamitates;* vulgo utrumque et *calamitate* et *calamitates* omittitur.; *ad hominum indignorum calamitates sublev.* Ba. — 25. si quis] ex G Or.; *si qui* ex R Tr. Kl. Ba.

A. Mihi vero dicere aliquid, itaque expecto quid ad ista.

XXI. M. Reperiam fortasse, sed illud ante. Videsne quanta 47
fuerit apud Academicos verecundia? Plane enim dicunt quod ad rem pertineat. Peripateticis respondetur a Stoicis. Digladientur illi per me licet, cui nihil est necesse nisi ubi sit illud, quod veri simillimum videatur, anquirere. Quid est igitur quod occurrat in hac quaestione, e quo possit attingi aliquid veri simile? quo longius mens humana progredi non potest. Definitio perturbationis, qua recte Zenonem usum puto. Ita enim definit, ut *perturbatio sit aversa a ratione contra naturam animi commotio* vel brevius, ut *perturbatio sit adpetitus vehementior*, vehementior autem intellegatur is, qui procul absit a naturae constantia. Quid ad 48
has definitiones possint dicere? Atque haec pleraque sunt prudenter acuteque disserentium; illa quidem ex rhetorum pompa, *ardores animorum cotesque virtutum*. An vero vir fortis nisi stomachari coepit non potest fortis esse? Gladiatorium id quidem: quamquam in eis ipsis videmus saepe constantiam: *conloquuntur, congrediuntur, quaerunt aliquid, postulant*, ut magis placati quam irati esse videantur. Sed in illo genere sit sane Pacideianus aliquis hoc animo, ut narrat Lucilius:

Occidam illum equidem et vincam, si id quaeritis, inquit;
Verum illud credo fore: in os prius accipiam ipse,
Quam gladium in stomacho spurci ac pulmonibus sisto.
Odi hominem, iratus pugno, nec longius quicquam
Nobis, quam dextrae gladium dum accommodet alter:
Usque adeo studio atque odio illius ecferor ira.

XXII. At sine hac gladiatoria iracundia videmus progre- 49
dientem apud Homerum Aiacem multa cum hilaritate, cum de-

---

7 e quo possit] eum codd. aliq. Ma.; GR *aequa; quo* de Buh. coni. Or. Tr. Kl. Ba.; *qua* de Be. sent. Dav. — 13. Atque] de Tr. coni. Ti. Kl. Ba.; *atqui* eum GR Or. — 16. coepit] GR; *coeperit* Or.: cfr. §. 50. — ibid. Gladiatorium] GR; *gladiatorum* Or. — 17. conloquuntur — postulant] de Schlengeri coni. Ti. Ba.; vulgo tamquam verba Ciceronis *conloquuntur — queruntur* (*quaeruntur* GR) *aliquid postulant* vel *queruntur aliquid, postulant.* — 19. Pacideianus] Or. Kl.; *Pacidianus* cum GR Tr. Ba. — 23. spurci] de nostra coni.; *furi* coni. Ti.; libri aut *suria* (GR) aut *furia; furiae* volebat Be.

pugnaturus esset cum Hectore; cuius, ut arma sumpsit, ingressio laetitiam attulit sociis, terrorem autem hostibus, ut ipsum Hectorem, quemadmodum est apud Homerum, toto pectore trementem provocasse ad pugnam paeniteret. Atque hi conlocuti inter se, priusquam manum consererent, leniter et quiete nihil ne in ipsa quidem pugna iracunde rabioseve fecerunt. Ego ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum existimo Gallo torquem detraxisse nec Marcellum apud Clastidium ideo
50 fortem fuisse, quia fuerit iratus. De Africano quidem, quia notior est nobis propter recentem memoriam, vel iurare possum non illum iracundia tum inflammatum fuisse, cum in acie M. Alliennium Paelignum scuto protexerit gladiumque hosti in pectus infixerit. De L. Bruto fortasse dubitarim an propter infinitum odium tyranni ecfrenatius in Arruntem invaserit: video enim utrumque comminus ictu cecidisse contrario. Quid igitur huc adhibetis iram? an fortitudo nisi insanire coepit impetus suos non habet? Quid? Herculem, quem in caelum ista ipsa, quam vos iracundiam esse voltis, sustulit fortitudo, iratumne censes conflixisse cum Erymanthio apro aut leone Nemeaeo? an etiam Theseus Marathonii tauri cornua comprehendit iratus? Vide ne fortitudo minime sit rabiosa sitque iracundia tota levitatis. Neque enim est ulla fortitudo, quae rationis est expers.

51 **XXIII.** Contemnendae res humanae sunt, neglegenda mors est, patibiles et dolores et labores putandi. Haec cum constituta sunt iudicio atque sententia, tum est robusta illa et stabilis fortitudo, nisi forte, quae vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. Mihi ne Scipio quidem ille, pontifex maxumus, qui hoc Stoicorum verum esse declaravit, numquam privatum esse sapientem, iratus videtur fuisse Ti. Graccho tum, cum consulem languentem reliquit atque ipse privatus, ut si consul esset, qui rem publicam salvam esse vellent, se sequi iussit.
52 Nescio ecquid ipsi nos fortiter in re publica fecerimus; si quid fecimus, certe irati non fecimus. An est quicquam similius in-

11 Allienniu m] GR; *Allienum* Or., *Alienum* Kl. — 14. Arruntem] GR (*Arrunte*); *Aruntem* Or. — 16. coepit] GR; *coeperit* Or. — 22. ulla] GR; *illa* Or. — 24. constituta sunt] de Ern. coni. Or. Tr. Kl. Ba.; *const. sint* GR. — 31. salvam esse vellent] de Wes. coni. Ti. Kl. Ba.; *vellet* cum libris Or. Tr.

saniae quam ira? quam bene Ennius *initium* dixit *insaniae.* Color vox, oculi spiritus, inpotentia dictorum ac factorum quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homerico foedius, quid Agamemnone in iurgio? Nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit. Non igitur desiderat fortitudo advocatam iracundiam, satis est instructa, parata, armata per sese. Nam isto quidem modo licet dicere utilem vinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quod et insani et ebrii multa faciunt saepe vehementius. Semper Aiax fortis, fortissimus tamen in furore:

Nam facinus fecit maximum, cum, Danais inclinantibus
Summam refecit rem, manu restituit proelium insaniens.

XXIV. Dicamus igitur utilem insaniam? Tracta definitiones **53**
fortitudinis, intelleges eam stomacho non egere. Fortitudo est igitur adfectio animi legi summae in perpetiendis rebus optemperans, vel conservatio stabilis iudicii in eis rebus, quae formidolosae videntur, subeundis et repellendis, vel scientia rerum formidolosarum contrariarumque aut omnino neglegendarum, conservans earum rerum stabile iudicium, vel brevius, ut Chrysippus — nam superiores definitiones erant Sphaeri, hominis in primis bene definientis, ut putant Stoici: sunt enim omnino omnes fere similes, sed declarant communis notiones alia magis alia —, quo modo igitur Chrysippus? Fortitudo est, inquit, scientia rerum perferendarum vel adfectio animi in patiendo ac perferendo summae legi parens sine timore. Quamvis licet insectemur istos, ut Carneades solebat, metuo ne soli philosophi sint. Quae enim istarum definitionum non aperit notionem nostram, quam habemus omnes de fortitudine tectam atque involutam? qua aperta quis est qui aut bellatori aut imperatori aut oratori quaerat aliquid neque eos existumet sine rabie quicquam fortiter facere posse? Quid? Stoici, qui omnes insipientes insanos esse dicunt, nonne **54**

7. isto quidem modo] de Wes. corr. Ba.; vulgo cum GR *isto modo quidem.* — 10. nam] poetae tribuunt Or. Tr. Kl., Ciceroni Ba. — 11. Summam refecit rem, manu — insaniens] de nostra coni.; GR *summam rem perficit manus proelium restituit*; de G. Hermanni coni. Ti. Ba. *summam rem perfecit, manu sua restituit proelium Insaniens.* — 17. contrariarumque] GR; *perferendarum* e paucis codd. addit Or. — 21. declarant] GR prob. Wes.; *declarat* de La. coni. Tr.

ista conligunt? Remove perturbationes maxumeque iracundiam, iam videbuntur monstra dicere. Nunc autem ita disserunt, sic se dicere, omnes stultos insanire, ut male olere omne caenum. At non semper. Commove, senties. Sic iracundus non semper iratus est: lacesse, iam videbis furentem. Quid? ista bellatrix iracundia, cum domum rediit, qualis est cum uxore, cum liberis, cum familia? an tum quoque est utilis? Est igitur aliquid, quod perturbata mens melius possit facere quam constans? an quisquam potest sine perturbatione mentis irasci? Bene igitur nostri, cum omnia essent in moribus vitia, quod nullum erat iracundia
55 foedius, iracundos solos *morosos* nominaverunt. **XXV.** Oratorem vero irasci minime decet, simulare non dedecet. An tibi irasci tum videmur, cum quid in causis acrius et vehementius dicimus? Quid? cum iam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus, num irati scribimus?

Ecquis hoc animadvertit? vincite!

num aut egisse umquam iratum Aesopum aut scripsisse existimas iratum Accium? Aguntur ista praeclare et ab oratore quidem melius, si modo est orator, quam ab ullo histrione, sed aguntur leniter et mente tranquilla. Libidinem vero laudare cuius est libidinis? Themistoclem mihi et Demosthenen profertis, additis Pythagoran, Democritum, Platonem. Quid? vos studia libidinem vocatis? quae vel optimarum rerum, ut ea sunt, quae profertis, sedata tamen et tranquilla esse debent. Iam aegritudinem laudare, unam rem maxime detestabilem, quorum est tandem philosophorum? At commode dixit Afranius:

Dummodo doleat aliquid, doleat quidlubet.

Dixit enim de adulescente perdito ac dissoluto, nos autem de constanti viro ac sapienti quaerimus. Et quidem ipsam illam iram centurio habeat aut signifer vel ceteri, de quibus dici non necesse est, ne rhetorum aperiamus mysteria. Utile est enim uti motu animi, qui uti ratione non potest, nos autem, ut testificor saepe, de sapiente quaerimus.

10. moribus] ex paucis codd. Dav. ceteri.; *morbus* G., *morbis* R² — 17. existimas] cum G Ba.; *existimamus* cum R. Or. Tr. Kl. — 18. Accium] G R; *Attium* Or.

XXVI. At enim aemulari utile est, optrectare, misereri. **56** Cur misereare potius quam feras opem, si id facere possis? an sine misericordia liberales esse non possumus? Non enim suscipere ipsi aegritudines propter alios debemus, sed alios, si possumus, levare aegritudine. Optrectare vero alteri aut illa vitiosa aemulatione, quae rivalitati similis est, aemulari quid habet utilitatis, cum sit aemulantis angi alieno bono, quod ipse non habeat, optrectantis autem angi alieno bono, quod id etiam alius habeat? Qui id adprobari possit, aegritudinem suscipere pro experientia, si quid habere velis? nam solum habere velle snmma dementia est. Mediocritates autem malorum quis laudare reete **57** possit? Quis enim potest, in quo libido cupiditasve sit, non libidinosus et cupidus esse? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus? Libidinosum igitur et iracundum et anxium et timidum censemus esse sapientem? de cuius excellentia mnlta quidem dici quamvis fuse lateque possunt, sed brevissime illo modo, sapientiam esse rerum divinarum et humanarum scientiam cognitionemque, quae cuiusque rei causa sit; ex quo efficitur, ut divina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat. In hanc tu igitur tamquam in mare, quod est ventis subiectum, perturbationem cadere tibi dixisti videri? Quid est quod tantam gravitatem constantiamque perturbet? an inprovisum aliquid aut repentinum? Quid potest accidere tale ei, cui nihil quod homini evenire possit praemeditatum non sit? Nam quod aiunt nimia resecari oportere, naturalia relinqui, quid tandem potest esse naturale, quod idem nimium esse possit? Sunt enim omnia ista ex errorum orta radicibus, quae evellenda et extrahenda penitus, non circumcidenda nec amputanda sunt.

XXVII. Sed quoniam suspicor te non tam de sapiente **58** quam de te ipso quaerere — illum enim putas omni perturbatione esse liberum, te vis —, videamus quanta sint quae a philosophia remedia morbis animorum adhibeantur. Est enim quae-

---

1. At enim] de nostra coni.; GR *at etiam; attamen* vult. Bak. — 9. Qui — adprobari] ita Or. Tr. Kl.; *quis — adprobare* ex Cod. Bruxell. Ba; *quis id adprobari* GR. — ibid. aegritudinem] *te* ante *aegr.* addit Dav., includit Or. — 23. tale ei] Ma.; *tale et* GR. — 24. praemeditatum non sit] sic Ti.; vulgo *non praemeditatum* sit; desunt verba in libris. — 27. evellenda] GR; *evellendae* et sic cetera de Bak. coni. Ti.

dam medicina certe, nec tam fuit hominum generi infensa atque inimica natura, ut corporibus tot res salutaris, animis nullam invenerit. De quibus hoc etiam est merita melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est. Sed quo maior est in eis praestantia et divinior, eo maiore indigent diligentia. Itaque bene adhibita ratio cernit quid **59** optumum sit, neglecta multis implicatur erroribus. Ad te igitur mihi iam convertenda omnis oratio est. Simulas enim quaerere te de sapiente, quaeris autem fortasse de te.

Earum igitur perturbationum, quas exposui, variae sunt curationes. Nam neque omnis aegritudo una ratione sedatur: alia est enim lugenti, alia miseranti aut invidenti adhibenda medicina. Est etiam in omnibus quattuor perturbationibus illa distinctio, utrum ad universam perturbationem, quae est aspernatio rationis aut adpetitus vehementior, an ad singulas, ut ad metum, libidinem, reliquas, melius adhibeatur oratio, et utrum illudne non videatur aegre ferundum, ex quo suscepta sit aegritudo, an omnium rerum tollenda omnino aegritudo, ut, si quis aegre ferat se pauperem esse, idne disputes, paupertatem malum non esse an hominem aegre ferre nihil oportere. Nimirum hoc melius, ne, si forte de paupertate non persuaseris, sit aegritudini concedendum; aegritudine autem sublata propriis rationibus, quibus heri usi sumus, quodammodo etiam paupertatis malum tollitur.

60 XXVIII. Sed omnis eiusmodi perturbatio animi placatione abluatur illa quidem, cum doceas nec bonum illud esse, ex quo laetitia aut libido oriatur, nec malum, ex quo aut metus aut aegritudo; verum tamen haec est certa et propria sanatio, si doceas ipsas perturbationes per se esse vitiosas nec habere quicquam aut naturale aut necessarium; ut ipsam aegritudinem leniri videmus, cum obicimus maerentibus inbecillitatem animi ecfeminati cumque eorum gravitatem constantiamque laudamus, qui non turbulente humana patiantur. Quod quidem solet eis etiam accidere, qui illa mala esse censent, ferenda tamen aequo animo arbitrantur. Putat aliquis esse voluptatem bonum, alius autem pecuniam; tamen et ille ab intemperantia et hic ab

---

4 in his ipsis] cum GR Or.; *in iis ipsis* Mo. Tr. Kl.; *in ipsis* de Bak. sent. Ti.; *iis* seclusit Ba. — 25. nec bonum] ex antiqua corr.; GR *et bonum.*

avaritia avocari potest. Illa autem altera ratio et oratio, quae simul et opinionem falsam tollit et aegritudinem detrahit, est ea quidem suptilior, sed raro proficit neque est ad volgus adhibenda. Quaedam autem sunt aegritudines, quas levare illa medicina nullo 61
modo possit, ut, si quis aegre ferat nihil in se esse virtutis, nihil animi, nihil officii, nihil honestatis, propter mala is quidem angatur, sed alia quaedam sit ad eum admovenda curatio et talis quidem, quae possit esse omnium etiam de ceteris rebus discrepantium philosophorum. Inter omnis enim convenire oportet commotiones animorum a recta ratione aversas esse vitiosas, ut etiam si vel mala sint illa, quae metum aegritudinemve, vel bona, quae cupiditatem laetitiamve moveant, tamen sit vitiosa ipsa commotio. Constantem enim quendam volumus, sedatum, gravem, humana omnia spernentem illum esse, quem magnanimum et fortem virum dicimus. Talis autem nec maerens nec timens nec cupiens nec gestiens esse quisquam potest. Eorum enim haec sunt, qui eventus humanos superiores quam suos animos esse ducunt.

XXIX. Quare omnium philosophorum, ut ante dixi, una 62
ratio est medendi, ut nihil, quale sit illud, quod perturbet animum, sed de ipsa sit perturbatione dicendum. Itaque primum in ipsa cupiditate, cum id solum agitur, ut ea tollatur, non est quaerendum, bonum illud necne sit, quod libidinem moveat, sed libido ipsa tollenda est, ut sive, quod honestum est, id sit summum bonum sive voluptas sive horum utrumque coniunctum sive tria illa genera bonorum, tamen, etiam si virtutis ipsius vehementior adpetitus sit, eadem sit omnibus ad deterrendum adhibenda oratio. Continet autem omnem sedationem animi humana in conspectu posita natura, quae quo facilius expressa cernatur, explicanda est oratione communis condicio lexque vitae. Itaque 63
non sine causa, cum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tris versus revocasse dicitur Socrates:

3. suptilior] de Be. coni. Kl.; *utilior* cum GR Or. Tr. Ba. — 11. vel mala — vel bona] de Be. coni.; GR *nec mala — nec bona*, quod tuetur Kl.; *et mala — et bona* cum La. Tr. Ba. — 14. spernentem] de La. coni. Tr. Kl. Ba.; cum libris *prementem* Or.; *ferentem* Bub. coni. — 18. ducunt] Or. Tr. Ba.; *dicunt* cum GR Kl.

Neque tám terribilis úlla fando orátio est
Nec sors nec ira caelitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo ecferat.

Est autem utilis ad persuadendum ea, quae acciderint, ferri et posse et oporterc enumeratio eorum, qui tulerunt. Etsi aegritudinis sedatio et hesterna disputatione explicata est et in Consolationis libro, quem in medio — non enim sapientes eramus — maerore et dolore conscripsimus, quodque vetat Chrysippus ad recentis quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus naturaeque vim attulimus, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet.

64 **XXX**. Sed aegritudini, de qua satis est disputatum, finitimus est metus, de quo pauca dicenda sunt. Est enim metus, ut aegritudo praesentis, sic ille futuri mali. Itaqua nonnulli aegritudinis partem quaudam metum esse dicebant, alii autem metum praemolestiam appellabant, quod esset quasi dux consequeutis molestiae. Quibus igitur rationibus instantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia. Nam videndum est in utrisque, ne quid humile summissum, molle ecfemiuatum, fractum abiectumque faciamus. Sed quamquam de ipsius metus inconstautia, inbecillitate, levitate dicendum est, tamen multum prodest ea, quae metuuntur, ipsa contemnere. Itaque sive casu accidit sive consilio, percommode factum est, quod eis de rebus, quae maxime metuuntur, de morte et de dolore, primo et proxumo die disputatum est. Quac si probata sunt, mctu magna ex parte liberati sumus.

65 **XXXI**. Ac de malorum opinione hactenus; videamus nunc de bouorum, id est do laetitia et de cupiditate. Mihi quidem in tota ratione ea, quae pertinet ad animi perturbationem, una res videtur causam coutinere, omnis eas esse in nostra potestatc, omnis iudicio susceptas, omnis voluutarias. Hic igitur error est eripiendus, haec detrahenda opinio atque ut in malis opinatis tolerabilia, sic in bonis sedatiora sunt efficienda ea, quae magna et lactabilia ducuutur. Atque hoc quidem commune malorum ct

4. Est autem] libri; *est etiam* de Dav. coni. Or. — 16. esset] corr. Be.; GR *est*. — 28. perturbationem] cum GR Kl. Ba. prob. Wes.; *perturbationes* de Be. sent. Or. Tr. — 33. ducuntur] cum Wo. Or. Tr. Kl. Ba.; GR *dicuntur*.

bonorum, ut, si iam difficile sit persuadere nihil earum rerum, quae perturbent animum, aut in bonis aut in malis esse habendum, tamen alia ad alium motum curatio sit adhibenda aliaque ratione malevolus, alia amator, alia rursus anxius, alia timidus corrigendus. Atque erat facile sequentem eam rationem, quae maxume 66 probatur de bonis et malis, negare umquam laetitia adfici posse insipientem, quod nihil umquam haberet boni. Sed loquimur nunc more communi. Sint sane ista bona, quae putantur, honores, divitiae, voluptates, cetera, tamen in eis ipsis potiundis exultans gestiensque laetitia turpis est, ut, si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio. Eodem enim vitio est ecfusio animi in laetitia, quo in dolore contractio, eademque levitate cupiditas est in adpetendo, qua laetitia in fruendo, et, ut nimis adflicti molestia, sic nimis elati laetitia iure iudicantur leves. Et cum invidere aegritudinis sit, malis autem alienis voluptatem capere laetitiae, utrumque inmanitate et feritate quadam proponenda castigari solet. Atque ut providere decet, timere non decet, sic gaudere decet, laetari non decet, quoniam docendi causa a gaudio laetitiam distinguimus. Illud iam supra diximus, 67 contractionem animi recte fieri numquam posse, elationem posse: aliter enim Naevianus ille gaudet Hector:

Láetus sum laudári me abs te, páter, a laudató viro,

aliter ille apud Trabeam:

Léna delenita argento nútum observabit meum,
Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam ianuam,
Fores patebunt: de inproviso Chrysis ubi me aspexerit,
Alacris obviam mihi veniet complexum exoptans meum,
Mihi se dedet.

Quam haec pulchra putet, ipse iam dicet:

Fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

---

14. adflicti molestia] e Bern. Mo. Tr. Kl. Ba.; GR *adflictio molestia; adflicti molles* de Wo. sent. Or. — 17. providere] de Tr. coni. Ti. Ba.; *confidere* cum GR Mo. Kl.; *diffidere* suspicatur La.; *cavere* de Dav. coni. Or.

68 **XXXII.** Haec laetitia quam turpis sit, satis est diligenter attendentem penitus videre. Et ut turpes sunt qui ecferunt se laetitia tum, cum fruuntur Veneriis voluptatibus, sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. Totus vero iste, qui volgo appellatur amor — nec hercule invenio quo nomine alio possit appellari —, tantae levitatis est, ut nihil videam quod putem conferendum. Quem Caecilius

deum qui non summum putet,
Aut stultum aut rerum esse imperitum existumat;
Cui in manu sit, quem esse dementem velit,
Quem sapere, quem sanari, quem in morbum inici,
. . . .
Quem contra amari, quem expeti, quem arcessier.

69 O praeclaram emendatricem vitae poëticam, quae amorem, flagitii et levitatis auctorem, in concilio deorum conlocandum putet. De comoedia loquor, quae, si haec flagitia non probaremus, nulla esset omnino; quid ait ex tragoedia princeps ille Argonautarum?

Tú me amoris mágis quam honoris sérvavisti grátia.

Quid ergo? hic amor Medeae quanta miseriarum excitavit incendia! Atque ea tamen apud alium poëtam patri dicere audet se *coniugem* habuisse

Illum, Amor quem dèderat, qui plus póllet potiorque ést patre.

70 **XXXIII.** Sed poëtas ludere sinamus, quorum fabulis in hoc flagitio versari ipsum videmus Iovem; ad magistros virtutis philosophos veniamus, qui amorem negant stupri esse et in eo litigant cum Epicuro non multum, ut opinio mea fert, mentiente. Quis est enim iste amor amicitiae? Cur neque deformem adulescentem quisquam amat neque formosum senem? Mihi quidem

3. Veneriis cum GR Kl. Ba. prob. Wes.; *Venereis* Or. Tr. — 10. Cui in manu] GR; *cuius in manu* de Ern. coni. Ba. — 11. quem sanari] de Ma coni. Or. Ba.; *quem insanire* cum GR ceteri. — ibid. Post in morbum inici lacunae signum posui de Be. sent. cum Ti. Ba.

haec in Graecorum gymnasiis nata consuetudo videtur, in quibus isti liberi et concessi sunt amores. Bene ergo Ennius:

Flágiti principium est nudare ínter cives córpora.

Qui ut sint, quod fieri posse video, pudici, solliciti tamen et anxii sunt eoque magis, quod se ipsi continent et coërcent. Atque, ut 71 muliebris amores omittam, quibus maiorem licentiam natura concessit, quis aut de Ganymedi raptu dubitat quid poëtae velint aut non intellegit quid apud Euripidem et loquatur et cupiat Laius? quid denique homines doctissimi et summi poëtae de se ipsis et carminibus edunt et cantibus? Fortis vir in sua re publica cognitus quae de iuveuum amore scribit Alcaeus! Nam Anacreontis quidem tota poësis est amatoria. Maxume vero omnium flagrasse amore Reginum Ibycum apparet ex scriptis. **XXXIV.** Atque horum omninm lubidinosos esse amores videmus. Philosophi sumus exorti et auctore quidem nostro Platone, qnem non iniuria Dicaearchus accusat, qui amori auctoritatem tribueremus. Stoici vero et sapientem amaturum esse dicunt et amo- 72 rem ipsum conatum amicitiae faciendae ex pulchritudinis specie definiunt. Qui si quis est in rerum natura sine sollicitudine sine desiderio, sine cura sine suspirio, sit sane: vacat enim omni libidine; haec autem de libidine oratio est. Sin antem est aliquis amor, ut est certe, qui nihil absit aut non multum ab insania, qualis in Leucadia est:

Si quidem sit quisquám deus,
Cui égo sim curae.

At id erat deis omnibus curandum, quemadmodum hic frueretur 73 voluptate amatoria!

Heu me ínfelicem!

Nihil verius. Probe et ille:

Sánusne es, qui témere lamentáre?

Hic iusanus videtur etiam suis. At quas tragoedias efficit!

10. edunt] de La. emend prob Wes. Kl. Ba; *edant* cum GR Or. Tr. — 31. Hic insanus] de Madv. coni. Tr Kl. Ba.; vulgo cum GR *sic insanus.*

Te, Apóllo sancte, fér opem, teque, omnipotens Neptune, ínvoco,
Vosque ádeo, venti!

Mundum totum se ad amorem suum sublevandum conversurum putat, Venerem unam excludit ut iniquam:

nam quid ego te appellém, Venus?

Eam prae lubidine negat curare quicquam. Quasi vero ipse non propter lubidinem tanta flagitia et faciat et dicat.

74 **XXXV.** Sic igitur adfecto haec adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendatur quam leve, quam contemnendum, quam nihili sit omnino, quam facile vel aliunde vel alio modo perfici vel omnino neglegi possit. Abducendus etiam est nonnunquam ad alia studia sollicitudines, curas negotia, loci denique mutatione tamquam aegroti non convalescentes saepe curandus
75 est. Etiam novo quidam amore veterem amorem tamquam clavo clavum eiciendum putant. Maxume autem admonendus est, quantus sit furor amoris. Omnibus enim ex animi perturbationibus est profecto nulla vehementior, ut, si iam ipsa illa accusare nolis, stupra dico et corruptelas et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est turpitudo, sed ut haec omittas, perturbatio
76 ipsa mentis in amore foeda per se est. Nam, ut illa praeteream, quae sunt furoris, haec ipsa per sese quam habent levitatem, quae videntur esse mediocria!

Iniúriae,
Suspítiones, ínimicitiae, indútiae,
Bellum, pax rursum: incerta haec si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam ut cum ratione insanias.

Haec inconstantia mutabilitasque mentis quem non ipsa pravitate deterreat? Est etiam illud, quod in omni perturbatione dicitur, demonstrandum, nullam esse nisi opinabilem, nisi iudicio susceptam, nisi voluntariam. Etenim si naturalis amor esset, et amarent

9. ut et] GR; *ut ei* Or. — 10. ostendatur] de Dav. coni. Ti. Ba.; vulgo cum GR *ostendat.* — 11. nihili] GR; *nihil* Or. — 16. Maxume autem admonendus est] sic Ba; *est* omittunt GR; *est* uncis inclusum post *maxime* addit Kl. — 30. Est etiam] de Ma. coni. Tr. Ba.; ceteri cum libris *est enim*

omnes et semper amarent et idem amarent neque alium pudor, alium cogitatio, alium satietas deterreret.

XXXVI. Ira vero, quae quam diu perturbat animum, du- 77
bitationem insaniae non habet, cuius inpulsu existit etiam inter
fratres tale iurgium:

A. Quís homo te exsuperávit usquam géntium inpudéntia?
M. Quis item malitia te?

Nosti quae secuntur: alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae, ut facile appareat Atrei filios esse, eius qui meditatur poenam in fratrem novam:

Maiór mihi moles, máius miscendúm malum,
Qui illius acerbum cor contundam et conprimam.

Quo igitur haec erumpit moles? Audi Thyestem:

Ípsus hortatúr me frater, út meos malis miser
Mandarem natos . . . .

Eorum viscera apponit. Quid est enim quo non progrediatur
eodem ira quo furor? Itaque iratos proprie dicimus exisse de
potestate, id est de consilio, de ratione, de mente: horum enim
potestas in totum animum esse debet. His aut subtrahendi sunt 78
ei, in quos impetum conantur facere, dum se ipsi colligant —
quid est autem se ipsum colligere nisi dissipatas animi partis
rursum in suum locum cogere? — aut rogandi orandique sunt,
ut, si quam habent ulciscendi vim, differant in tempus aliud,
dum defervescat ira. Defervescere autem certe significat ardo-
rem animi invita ratione excitatum. Ex quo illud laudatur
Archytae, qui cum vilico factus esset iratior, *Quo te modo*, inquit,
accepissem, nisi iratus essem!

---

3. Ira vero, quae] GR; uncis includunt *quae* Tr Kl — 7. Quis item] de coni. Fleckeisenii Ti.; libri *Quis autem*. — 11. miscendum] GR; *miscendumst* de Wo. sent. Or. Kl. Ba. — 13. Quo—erumpit moles] de Dav. coni. Tr. Kl. Ba; GR *quo — erunt moles.; quae — erit moles* Or. — 14. Ipsus] de O. Ribbeckii sent. Ba.; *impius* de Be. coni. Or. Tr. Kl.; *ipsum* GR. — 15 Mandarem] cum GR Kl. a. prob. Wes.; *manderem* Or. Tr. — 20. dum se ipsi colligant] Or. Kl. Ba.; GR *ipse ipsi; ipsi se* Tr.

79 XXXVII. Ubi sunt ergo isti, qui iracundiam utilem dicunt — potest utilis esse insania? — aut naturalem? an quicquam est secundum naturam, quod fit repugnante ratione? quo modo autem, si naturalis esset ira, aut alius alio magis iracundus esset aut finem haberet prius, quam esset ulta, ulciscendi lubido aut quemquam paeniteret quod fecisset per iram? ut Alexandrum regem videmus, qui cum interemisset Clitum familiarem suum, vix a se manus abstinuit: tanta vis fuit paenitendi. Quibus cognitis quis est qui dubitet quin hic quoque motus animi sit totus opinabilis ac voluntarius? Quis enim dubitarit quin aegrotationes animi, qualis est avaritia, gloriae cupiditas, ex eo, quod magni aestumetur ea res, ex qua animus aegrotat, oriantur? Unde in-
80 tellegi debet perturbationem quoque omnem esse in opinione. Et si fidentia, id est firma animi confisio, scientia quaedam est et opinio gravis non temere adsentientis, metus quoque est diffidentia expectati et inpendentis mali, et, si spes est expectatio boni, mali expectationem esse necesse est metum. Ut igitur metus, sic reliquae perturbationes sunt in malo.

Ergo ut constantia scientiae, sic perturbatio erroris est. Qui autem natura dicuntur iracundi aut misericordes aut invidi aut tale quid, ei sunt constituti quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen, ut Socrates dicitur. Cum multa in conventu vitia conlegisset in eum Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a ceteris, qui illa in Socrate vitia non adgnoscerent, ab ipso autem Socrate sublevatus,
81 cum illa sibi innata, sed ratione a se deiecta diceret. Ergo ut optuma quisque valetudine adfectus potest videri vel natura ad aliquem morbum proclivior, sic animus alius ad alia vitia propensior. Qui autem non natura, sed culpa vitiosi esse dicuntur, eorum vitia constant e falsis opinionibus rerum bonarum et ma-

---

5. ulta] de Ma. corr.; GR *ulla*. — 17 Ut igitur metus — in malo] delenda censent Wes. Ba. — 21. ei sunt constituti] GR; *eis sunt const.* Or. — 22. Socrates] GR; *Socratis* Or. — ibid. ut Socratis dicitur cum] ut *Socrates dicitur, cum* de Bak. sent Ba., ut *ἀνακόλουθος* esset oratio — 26. innata] de Nissenii coni.; GR *signa*; vulgo *insita* de Be coni — 27. optuma quisque] cum GR Or Kl.; alii de Be. coni *optima quis.* — ibid. vel natura] de nostra coni.; GR *ut natura*; *at natura* de Be. coni. Dav. Or.; *natura* omisso *ut* Tr. Kl. Ba.

larum, ut sit alius ad alios motus perturbationesque proclivior. Inveteratio autem, ut in corporibus, aegrius depellitur quam perturbatio, citiusque repentinus oculorum tumor sanatur quam diuturna lippitudo depellitur.

XXXVIII. Sed cognita iam causa perturbationum, quae 82 omnes oriuntur ex iudiciis opinionum et voluntatibus, sit iam huius disputationis modus. Scire autem nos oportet cognitis, quoad possunt ab homine cognosci, bonorum et malorum finibus nihil a philosophia posse aut maius aut utilius optari quam haec, quae a nobis hoc quadriduo disputata sunt. Morte enim contempta et dolore ad patiendum levato adiunximus sedationem aegritudinis, qua nullum homini malum maius est. Etsi enim omnis animi perturbatio gravis est nec multum differt ab amentia, tamen in vita ceteros, cum sunt in aliqua perturbatione aut metus aut laetitiae aut cupiditatis, commotos modo et perturbatos dicere solemus, at eos, qui se aegritudini dediderunt, miseros adflictos, aerumnosos calamitosos. Itaque non fortuito factum 83 videtur, sed a te ratione propositum, ut separatim de aegritudine et de ceteris perturbationibus disputaremus: in ea est enim fons miseriarum et caput. Sed et aegritudinis et reliquorum animi morborum una sanatio est, omnis opinabilis esse et voluntarios ea reque suscipi, quod ita rectum esse videatur. Hunc errorem quasi radicem malorum omnium stirpitus philosophia se extracturam pollicetur. Demus igitur nos huic excolendos pa- 84 tiamurque nos sanari. His enim malis insidentibus non modo beati, sed ne sani quidem esse possumus. Aut igitur negemus quicquam ratione confici, cum contra nihil sine ratione recte fieri possit, aut, cum philosophia ex rationum conlatione constet, ab ea, si et boni et beati volumus esse, omnia adiumenta et auxilia petamus bene beateque vivendi.

---

14. tamen in vita] sic correxi librorum scripturam *tamen ita; ita* de La. sent. delet Ba.; includunt Or. Tr. Kl.; *tamen ita* deleri voluit Nissen.

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER QUINTUS.

VIRTUTEM AD BEATE VIVENDUM SE IPSA ESSE CONTENTAM.

1 I. Quintus hic dies, Brute, finem faciet Tusculanarum dis-
putationum, quo die est a nobis ea de re, quam tu ex omnibus
maxime probas, disputatum. Placere enim tibi admodum sensi
et ex eo libro, quem ad me accuratissime scripsisti, et ex multis
sermonibus tuis virtutem ad beate vivendum se ipsa esse conten-
tam. Quod etsi difficile est probatu propter tam varia et tam
multa tormenta fortunae, tale tamen est, ut elaborandum sit quo
facilius probetur. Nihil est enim omnium, quae in philosophia
2 tractantur, quod gravius magnificentiusque dicatur. Nam cum
causa impulerit eos, qui primi se ad philosophiae studium con-
tulerunt, ut omnibus rebus posthabitis totos se in optumo vitae
statu exquirendo conlocarent, profecto spe beate vivendi tantam
in eo studio curam operamque posuerunt. Quod si ab iis inventa
et perfecta virtus est et si praesidii ad beate vivendum in virtute
satis est, quis est qui non praeclare et ab illis positam et a nobis
susceptam operam philosophandi arbitretur? Sin autem virtus sub-
iecta sub varios incertosque casus famula fortunae est nec tan-
tarum virium est, ut se ipsa tueatur, vereor ne non tam virtutis
fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi quam vota facienda
3 videantur. Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer
exercuit, mecum ipse considerans huic incipio sententiae diffidere
interdum et humani generis inbecillitatem fragilitatemque exti-

---

9. cum causa] *ea*, quod vulgo additur ante *causa*, delevi; Be. volebat *aliqua causa*.

mescere. Vereor enim ue natura, cum corpora uobis iufirma
dedisset iisque et morbos insanabilis et dolores intolerabilis
adiunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus cou-
grueutis et separatim suis angoribus et molestiis implicatos. Sed 4
in hoc me ipse castigo, quod ex aliorum et ex uostra fortasse
mollitia, uon ex ipsa virtute de virtutis robore existumo. Illa
enim, si modo est ulla virtus — quam dubitationem avuuculus
tuus, Brute, sustulit —, omnia, quae cadere in hominem possunt,
supter se habet eaque despiciens casus coutemnit humanos cul-
paque omui careus praeter se ipsam nihil censet ad se pertinere.
Nos autem omnia adversa cum venieutia metu augeutes tum
maerore praeseutia rerum uaturam quam errorem uostrum dam-
nare malumus.

II. Sed et huius culpae et ceterorum vitiorum peccatorum- 5
que uostrorum omnis a philosophia peteuda correctio est. Cuius
in sinum cum a primis temporibus aetatis uostra voluntas stu-
diumque uos compulisset, his gravissimis casibus in eundem por-
tum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus.
O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vi-
tiorum! quid uou modo uos, sed omniuo vita hominum siue te
esse potuisset? Tu urbis peperisti, tu dissipatos homines in so-
cietatem vitae couvocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde
coniugiis, tum litterarum et vocum commuuione iunxisti; tu in-
ventrix legum, tu magistra morum et discipliuae fuisti. Ad te
confugimus, a te opem petimus, tibi nos, ut antea magna ex
parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Est autem unus dies
bene et ex praeceptis tuis actus peccanti inmortalitati anteponen-
dus. Cuius igitur potius opibus utamur quam tuis, quae et vitae
trauquillitatem largita nobis es et terrorem mortis sustulisti?

Ac philosophia quidem tantum abest ut proinde ac de ho- 6
minum est vita merita laudetur, ut a plerisque neglecta a multis
etiam vituperetur. Vituperare quisquam vitae parentem et hoc
parricidio se inquinare audet et tam impie ingratus esse, ut eam
accuset, quam vereri deberet, etiam si minus percipere potuisset?
Sed, ut opinor, hic error et haec indoctorum animis offusa caligo

11. cum venientia] Mo. Tr. Kl. Ba.; *tum venientia* cum GR Or. — 30. Ac philosophia GR; *At philos.* Or.

est, quod tam longe retro respicere non possunt nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse philosophos arbitrantur.

7 III. Quam rem antiquissimam cum videamus, nomen tamen esse confitemur recens. Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? quae divinarum humanarumque rerum, tum initiorum causarumque cuiusque rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos adsequebatur. Itaque et illos septem, qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, et multis ante saeculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc urbem conditam traditur, et iam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientis.
8 Nec vero Atlans sustinere caelum nec Prometheus adfixus Caucaso nec stellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, nisi caelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset. A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem, quem, ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam. Cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum, artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum. Admiratum Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent philosophi et quid inter
9 eos et reliquos interesset; Pythagoram autem respondisse: similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur maxumo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronae peterent, alii emendi aut vendendi quaestu et lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum idque vel maxume ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent studiose-

---

2. **primis sit**] cum Victor. Or. Tr. Kl.; G *primi sit*, R *primisset* corr. in *primissit*; *primis est* de Bak. coni. Ba. — 8. **qui a Graecis** σοφοί — **nominabantur**] GR; *qui nominantur* deletis verbis quae interiecta sunt coni. Schlengerus; verba de H. Sauppii coni. includit Ba. — 11. **et iam**] de Or. sent. Tr. Kl. Ba.; libri *etiam*. — 13. **Atlans**] Tr. Ba.; G *athalans* corr. in *athlans*, R *ahtlans* corr. in *atlans*; *Atlas* Or. Kl.

que perspicerent quid ageretur et quo modo; item nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos alios gloriae servire, alios pecuniae, raros esse quosdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientiae studiosos, id est enim philosophos; et ut illic liberalissimum esset spectare nihil sibi adquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare.

IV. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed re- **10**
rum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui cum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Graeciam, quae magna dicta est, et privatim et publice praestantissumis et institutis et artibus. Cuius de disciplina aliud tempus fuerit fortasse dicendi. Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur et unde omnia orerentur quove reciderent, studioseque ab iis siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur et cuncta caelestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit a caelo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Cuius multiplex ratio disputandi rerumque varietas et **11**
ingenii magnitudo Platonis memoria et litteris consecrata plura genera effecit dissentientium philosophorum. E quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitrabamur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus et in omni disputatione quid esset simillimum veri quaereremus. Quem morem cum Carneades acutissime copiosissimeque tenuisset, fecimus et alias saepe et nuper in Tusculano ut ad eam consuetudinem disputaremus. Et quadridui quidem sermonem superioribus ad te perscriptum libris misimus, quinto autem die cum eodem in loco consedissemus, sic est propositum de quo disputaremus.

V. A. Non mihi videtur ad beate vivendum satis **12**
posse virtutem.

---

8. cognitionemque] cum codd. deterioribus Or. Kl. Ba. prob. Wes.; *cogitationemque* cum G R Tr. — 19. a caelo] scripsi cum paucis libris deterioribus; *de caelo* volebat Or.; vulgo cum libris *e caelo*. — ibid. in domus] G R; *in domos* Or.

M. At hercule Bruto meo videtur, cuius ego iudicium, pace tua dixerim, longe antepono tuo.

A. Non dubito, nec id nunc agitur, tu illum quantum ames, sed hoc, quod mihi dixi videri, quale sit, de quo a te disputari volo.

M. Nempe negas ad beate vivendum satis posse virtutem?

A. Prorsus nego.

M. Quid? ad recte, honeste, laudabiliter, postremo ad bene vivendum satisne est praesidii in virtute?

A. Certe satis.

M. Potes igitur aut, qui male vivat, non eum miserum dicere aut, quem bene fateare, eum negare beate vivere?

A. Quidni possim? Nam etiam in tormentis recte, honeste, laudabiliter et ob eam rem bene vivi potest, dummodo intellegas quid nunc dicam bene. Dico enim constanter graviter, sapienter
13 fortiter. Haec etiam in eculeum coiciuntur, quo vita non adspirat beata.

M. Quid igitur? solane beata vita, quaeso, relinquitur extra ostium limenque carceris, cum constantia, gravitas, fortitudo, sapientia reliquaeque virtutes rapiantur ad tortorem nullumque recusent nec supplicium nec dolorem?

A. Tu, si quid es facturus, nova aliqua conquiras oportet; ista me minime movent, non solum quia pervolgata sunt, sed multo magis, quia tamquam levia quaedam vina nihil valent in aqua, sic Stoicorum ista magis gustata quam potata delectant. Velut iste chorus virtutum in eculeum inpositus imagines constituit ante oculos cum amplissima dignitate, ut ad eas cursim perrectura nec eas beata vita a se desertas passura videatur; cum autem animum ab ista pictura imaginibusque virtutum ad rem veritatemque traduxeris, hoc nudum relinquitur, possitne quis beatus esse
14 quam diu torqueatur. Quamobrem hoc nunc quaeramus; virtutes autem noli vereri ne expostulent et querantur se a beata vita esse relictas. Si enim nulla virtus prudentia vacat, prudentia ipsa hoc videt, non omnis bonos esse etiam beatos, multaque de M. Atilio,

---

20. reliquaeque] GR. *reliquae* Tr. — 28. nec eas beata vita a se] sic libri; transponit verba de Ern. et Bak. sent. Ba. *perrectura beata vita nec eas a se.*

Q. Caepione, M'. Aquilio recordatur, beatamque vitam, si imaginibus potius uti quam rebus ipsis placet, conantem ire in eculeum retinet ipsa prudentia negatque ei cum dolore et cruciatu quicquam esse commune.

VI. M. Facile patior te isto modo agere, etsi iniquum 15 est praescribere mihi te, quemadmodum a me disputari velis. Sed quaero utrum aliquid actum superioribus diebus an nihil arbitremur?

A. Actum vero et aliquantum quidem.

M. Atqui, si ita est, profligata iam haec et paene ad exitum adducta quaestio est.

A. Quo tandem modo?

M. Quia motus turbulenti iactationesque animorum incitatae et impetu inconsiderato elatae rationem omnem repellentes vitae beatae nullam partem relinquunt. Quis enim potest mortem aut dolorem metuens, quorum alterum saepe adest, alterum semper inpendet, esse non miser? Quid? si idem, quod plerumque fit, paupertatem, ignominiam, infamiam timet, si debilitatem, caecitatem, si denique, quod non singulis hominibus, sed potentibus populis saepe contigit, servitutem, potest ea timens esse quisquam beatus? Quid? qui non modo ea futura timet, verum 16 etiam fert sustinetque praesentia? adde eodem exilia, luctus, orbitates: qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tandem esse non miserrimus? Quid vero? illum, quem libidinibus inflammatum et furentem videmus, omnia rabide adpetentem cum inexplebili cupiditate, quoque adfluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem, nonne recte miserrimum dixeris? Quid? elatus ille levitate inanique laetitia exultans et temere gestiens nonne tanto miserior, quanto sibi videtur beatior? Ergo ut hi miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incitant, nullae futiles laetitiae exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intellegitur nulla ne minima quidem aura fluctus commovente, sic animi quietus et placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est qua moveri queat. Quod si est, qui 17

1. M'. A q u i l i o] restituit Fabricius; GR *caepionem aquilo*.

vim fortunae, qui omnia bumana, quaecumque accidere possunt, tolerabilia ducat, ex quo nec timor eum nec angor attingat, idemque si nihil concupiscat, nulla ecferatur animi inani voluptate, quid est cur is non beatus sit? et, si haec virtute efficiuntur, quid est cur virtus ipsa per se non efficiat beatos?

VII. A. Atqui alterum dici non potest, quin ii, qui nihil metnant, nihil angantur, nihil concupiscant, nulla impotenti laetitia ecferantur, beati sint, itaque id tibi concedo; alterum antem iam integrum non est: superioribus enim disputationibus effectum est vacare omni animi perturbatione sapientem.

18 M. Nimirum igitur confecta res est: videtur enim ad exitum venisse quaestio.

A. Propemodum id quidem.

M. Verumtamen mathematicorum iste mos est, non est philosopborum. Nam geometrae cum aliquid docere volunt, si quid ad eam rem pertinet eorum, quae ante docuerunt, id sumunt pro concesso et probato, illnd modo explicant, de quo ante nihil scriptum est. Philosophi, quamcumque rem habent in manibus, in eam quae conveniunt, congerunt omnia, etsi alio loco disputata sunt. Qnod ni ita esset, cnr Stoicus, si esset quaesitum, satisne ad beate vivendum virtus posset, multa diceret? cui satis esset respondere se ante docuisse nihil bonum esse nisi quod bonestum esset, boc probato consequens ésse beatam vitam virtute esse contentam, et quomodo boc sit consequens illi, sic illud buic, ut, si beata vita virtute contenta sit, nisi bonestum quod sit
19 nibil aliud sit bonum. Sed tamen non agunt sic. Nam et de honesto et de summo bono separatim libri sunt, et cum ex eo efficiatur satis magnam in virtute ad beate vivendum esse vim, nihilo minus boc agunt separatim. Propriis enim et suis argumentis et admonitionibus tractanda quaeque res est, tanta praesertim. Cave enim putes ullam a philosophia vocem emissam clariorem ullumve esse philosophiae promissum uberius aut maius. Nam quid profitetur? o di boni! perfecturam se, qui legibus suis paruisset ut esset contra fortunam semper armatus, ut omnia

---

1. quaecumque] ex codd. multis et editt. vett. Or. Tr. Ba.; *quae cuique* cum G R Kl.; *quae cuiquam* ex cod. Schotti probabat Be. — 31. a philosophia] pro glossemate habet Ba.

praesidia haberet in se bene beateqne vivendi, ut esset semper deniqne beatus. Sed videro quid efficiat; tantisper hoc ipsum **20** magni aestumo, quod pollicetnr. Nam Xerxes qnidem refertus omnibns praemiis donisque fortunae, non eqnitatn, non pedestribns copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus praemium proposuit, qui iuvenisset novam voluptatem; qua ipsa non fuit contentus: neque enim umquam finem inveniet libido. Nos vellem praemio elicere possemns, qui nobis aliquid attulisset, quo hoc firmius crederemus.

VIII. A. Vellem id qnidem, sed habeo paulum quod re- **21** quiram. Ego enim adsentior eorum, quae posuisti, alterum alteri consequens esse, nt, quemadmodum, si qnod honestum sit, id solum sit bonum, seqnatur vitam beatam virtute confici, sic si vita beata in virtute sit, nihil esse nisi virtutem bonnm. Sed Brutus tuus anctore Aristo et Antiocho non sentit hoc: pntat enim, etiam si sit bonum aliqnod praeter virtutem.

M. Quid igitur? contra Brutumne me dicturum putas?

A. Tu vero, ut videtur: nam praefinire non est meum.

M. Quid cuique igitur consentanenm sit, alio loco. Nam **22** ista mihi et cum Antiocho saepe et cum Aristo nnper, cum Athenis imperator apud eum deversarer, dissensio fuit. Mihi enim non videbatur quisquam esse beatus posse, cnm in malis esset, in malis autem sapientem esse posse, si essent ulla corporis aut fortunae mala. Dicebantur haec, quae scriptitavit etiam Antiochns locis pluribus, virtutem ipsam per se beatam vitam efficere posse neque tamen beatissimam; deinde ex maiore parte plerasque res nominari, etiam si quae pars abesset, nt vires, ut valetudinem, ut divitias, ut honorem, ut gloriam, quae genere, non numero cernerentur: item beatam vitam, etiam si ex aliqua parte clauderet, tamen ex multo maiore parte optinere nomeu suum. Haec uunc enucleare non ita necesse est, quamquam **23** nou constantissime dici mihi videntur. Nam et qui beatus est non intellego quid reqnirat, ut sit beatior: si est enim quod desit, ne beatus quidem est; et, quod ex maiore parte unam quam-

7. non fuit] GR; *non fuisset* de Be. coni. Ba. — 24. scriptitavit] de coni. Kl.; GR *scripta sit; scripta sunt — Antiocho* Dav.; vulgo *scripsit.* — 26. efficere posse] *posse* omissum in R[1] secludit Tr.

que rem appellari spectarique dicunt, est ubi id isto modo valeat; cum vero tria genera malorum esse dicant, qui duorum generum malis omnibus urgeatur, ut omnia adversa sint in fortuna, omnibus oppressum corpus et confectum doloribus, huic paulumne ad beatam vitam deesse dicemus, non modo ad beatissimam?

24 IX. Hoc illud est, quod Theophrastus sustinere non potuit. Nam cum statuisset verbera tormenta cruciatus, patriae eversiones exilia orbitates magnam vim habere ad male misereque vivendum, non est ausus elate et ample loqui, cum humiliter demisseque sentiret. Quam bene non quaeritur, constanter quidem certe. Itaque mihi placere non solet consequentia reprehendere, cum prima concesseris. Hic autem elegantissimus omnium philosophorum et eruditissimus non magnopere reprehenditur, cum tria genera dicit bonorum; vexatur autem ab omnibus, primum in eo libro, quem scripsit de vita beata, in quo multa disputat, quamobrem is, qui torqueatur, qui crucietur, beatus esse non possit. In eo etiam putatur dicere in rotam — id est genus quoddam tormenti apud Graecos — beatam vitam non escendere. Non usquam id quidem dicit omnino, sed quae dicit idem valent.
25 Possum igitur, cui concesserim in malis esse dolores corporis, in malis naufragia fortunae, huic suscensere dicenti non omnis bonos esse beatos, cum in omnis bonos ea, quae ille in malis numerat, cadere possint? Vexatur idem Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam:

Vitám regit fortúna, non sapiéntia.

Negant ab ullo philosopho quicquam dictum esse languidius. Recte id quidem, sed nihil intellego dici potuisse constantius. Si enim tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu atque fortuna, nonne consentaneum est plus fortunam, quae domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam
26 consilium valere? An malumus Epicurum imitari? qui multa praeclare saepe dicit: quam enim sibi constanter convenienterque

18. id est genus — Graecos] additum in plerisque libris vulgo damnatur.

dicat non laborat. Laudat tenuem victum. Philosophi id quidem, sed si Socrates aut Antisthenes diceret, non is, qui finem bonorum voluptatem esse dixerit. Negat quemquam iucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter iusteque vivat. Nihil gravius, nihil philosophia dignius, nisi idem hoc ipsum honeste, sapienter, iuste ad voluptatem referret. Quid melius quam fortunam exiguam intervenire sapienti? sed hoc isne dicit, qui, cum dolorem non modo maxumum malum, sed solum malum etiam dixerit, toto corpore opprimi possit doloribus acerrumis tum, cum maxime contra fortunam glorietur? Quod idem melioribus etiam verbis **27** Metrodorus: *Occupavi te*, inquit, *Fortuna*, *atque cepi omnisque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.* Praeclare, si Aristo Chius aut si Stoicus Zenon diceret, qui nisi quod turpe esset nihil malum duceret. Tu vero, Metrodore, qui omne bonum in visceribus medullisque condideris et definieris summum bonum firma corporis adfectione explorataque eius spe contineri, fortunae aditus interclusisti? Quo modo? Isto enim bono iam expoliari potes.

X. Atqui his capiuntur imperiti, et propter huiusmodi sen- **28** tentias istorum hominum est multitudo. Acute autem disputantis illud est, non quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit videre. Velut in ea ipsa sententia, quam in hac disputatione suscepimus, omnis bonos semper beatos volumus esse. Quos dicam bonos perspicuum est: omnibus enim virtutibus instructos et ornatos tum sapientis, tum viros bonos dicimus. Videamus qui dicendi sint beati. Equidem eos existimo, qui sint in bonis, nullo adiuncto malo: neque ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, subiecta notio est nisi secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio. Hanc adsequi virtus, si quicquam praeter **29** ipsam boni est, non potest. Aderit enim malorum, si mala illa ducimus, turba quaedam, paupertas ignobilitas humilitas, solitudo amissio suorum, graves dolores corporis, perdita valetudo, debilitas caecitas, interitus patriae exilium servitus denique. In his tot et tantis, atque etiam plura possunt accidere, potest esse

---

12. posses] GR; *possis* suspicatur Mo.; fortasse *ne posses*. — 16. eius spe] *eius* de La. et Wes. sent. addiderunt Ti. Ba.; libri omittunt. — 23. Quos dicam] de Man. et La corr. Tr. Kl. Ba.; GR *quod dicam; quid dicam* Or.

sapiens. Nam haec casus inportat, qui in sapientem potest incurrere. At si ea mala sunt, quis potest praestare semper sapientem beatum fore, cum vel in omnibus his uno tempore esse
30 possit? Non igitur facile concedo neque Bruto meo neque communibus magistris nec veteribus illis, Aristoteli, Speusippo, Xenocrati, Polemoni, ut cum ea, quae supra enumeravi, in malis numerent, idem dicant semper beatum esse sapientem. Quos si titulus hic delectat insignis et pulcher, Pythagora, Socrate, Platone dignissimus, inducant animum illa, quorum splendore capiuntur, vires valetudinem pulchritudinem, divitias honores opes contemnere, eaque, quae his contraria sunt, pro nihilo ducere; tum poterunt clarissima voce profiteri se neque fortunae impetu nec multitudinis opinione nec dolore nec paupertate terreri omniaque sibi in sese esse posita nec esse quicquam extra
31 suam potestatem quod ducant in bonis. Nunc et haec loqui, quae sunt magni cuiusdam et alti viri, et eadem quae volgus in malis et bonis numerare concedi nullo modo potest. Qua gloria commotus Epicurus exoritur, cui etiam, si dis placet, videtur semper sapiens beatus. Hic dignitate huius sententiae capitur, sed numquam id diceret, si ipse se audiret. Quid est enim quod minus conveniat quam ut is, qui vel summum vel solum malum dolorem esse dicat, idem censeat ‚Quam hoc suave est!' tum, cum dolore crucietur, dicturum esse sapientem? Non igitur ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia.

32 XI. A. Adducis me ut tibi adsentiar. Sed tua quoque vide ne desideretur constantia.

M. Quonam modo?

A. Quia legi tuum nuper quartum de Finibus. In eo mihi videbare contra Catonem disserens hoc velle ostendere, quod mihi quidem probatur, inter Zenonem et Peripateticos nihil praeter verborum novitatem interesse. Quod si ita est, quid est causae quin, si Zenonis rationi consentaneum sit satis magnam vim in

---

11. contraria sunt] ex codd. deterioribus Or. ceteri prob. Wes.; GR *contraria sint*. — 15. Nunc et haec loqui] de Wes. coni. Kl. Ba.; GR *Nec hunc et haec loqui*; *Namque et haec loqui* ex paucis codd. deterioribus Or.; *Neque enim* et post *ullo modo* de Be. coni. Tr.

virtute esse ad beate vivendum, liceat idem Peripateticis dicere? Rem enim opinor spectari oportere, non verba.

M. Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum et testificaris **33** quid dixerim aliquando aut scripserim. Cum aliis isto modo, qui legibus impositis disputant; nos in diem vivimus: quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus, itaque soli sumus liberi. Verumtamen, quoniam de constantia paulo ante diximus, non ego hoc loco id quaerendum puto, verumne sit quod Zenoni placuerit quodque eius auditori Aristoni, bonum esse solum quod honestum esset, sed, ni ita esset, num totum hoc beate vivere in una virtute recte poneret. Quare demus **34** hoc sane Bruto, ut sit beatus semper sapiens; quam sibi conveniat ipse viderit. Gloria quidem huius sententiae quis est illo viro dignior? Nos tamen teneamus ut sit idem beatissimus.

XII. Et si Zeno Citieus, advena quidam et ignobilis verborum opifex, insinuasse se in antiquam philosophiam videtur, huius sententiae gravitas a Platonis auctoritate repetatur, apud quem saepe haec oratio ursurpata est, ut nihil praeter virtutem diceretur bonum. Velut in Gorgia Socrates, cum esset ex eo **35** quaesitum, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret, ‚Haud scio' inquit: ‚numquam enim cum eo conlocutus sum.' Ain tandem? aliter id scire non potes? ‚Nullo modo.' Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere beatusne sit? ‚An ego possim, cum ignorem quam sit doctus, quam vir bonus?' Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? ‚Ita prorsus existimo, bonos beatos, inprobos miseros.' Miser ergo Archelaus? ‚Certe, si iniustus.' Videturne **36** omnem hic beatam vitam in una virtute ponere? Quid vero? in Epitaphio quo modo idem? Nam cui viro, inquit, ex se ipso apta sunt omnia, quae ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario pendere ex alterius eventis et errare coguntur, huic optume vivendi ratio comparata est.

---

10. ni ita esset, num totum hoc — recte poneret] scripsi partim de coni. Wo., qui *recte* omittit et *ponerent* praefert; vulgo cum libris *si ita — esset, tum ut totum hoc — poneret; poneretur* mavult Or.; *ni ita esset, tum ut hoc totum — poneret* Kl. — 22. Ain tandem? aliter] de nostra coni.; GR *an tu an aliter; ain tu?* [*an*] Or.; *ain tu? aliter* Bak.; *an tu* deleto altero *an* Tr. Kl. Ba.; *id* post *aliter* omittit G.

Hic est ille moderatus, hic fortis, hic sapiens, hic et nascentibus et cadentibus cum reliquis commodis tum maxime liberis parebit et oboediet praecepto illi veteri: neque enim laetabitur umquam nec maerebit nimis, quod *semper in se ipso omnem spem reponet*
37 *sui.* Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.

XIII. Unde igitur ordiri rectius possumus quam a communi parente natura? quae, quicquid genuit, non modo animal, sed etiam quod ita ortum esset e terra, ut stirpibus suis niteretur, in suo quidque genere perfectum esse voluit. Itaque et arbores et vites et ea, quae sunt humiliora neque se tollere a terra altius possunt, alia semper virent, alia hieme nudata, verno tempore tepefacta frondescunt: neque est ullum, quod non ita vigeat interiore quodam motu et suis in quoque seminibus inclusis, ut aut flores aut fruges fundat aut bacas omniaque in omnibus, quantum
38 in ipsis sit, nulla vi impediente perfecta sint. Facilius vero etiam in bestiis, quod his sensus a natura est datus, vis ipsius naturae perspici potest. Namque alias bestias nantis aquarum incolas esse voluit, alias volucres caelo frui libero, serpentis quasdam, quasdam esse gradientis: earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas, inmanis alias, quasdam autem cicures, nonnullas abditas terraque tectas. Atque earum quaeque suum tenens munus, cum in disparis animantis vitam transire non possit, manet in lege naturae. Et ut bestiis aliud alii praecipui a natura datum est, quod suum quaeque retinet nec discedit ab eo, sic homini multo quiddam praestantius; etsi praestantia debent ea dici, quae habent aliquam comparationem, humanus autem animus decerptus ex mente divina cum alio nullo nisi cum ipso
39 deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. Hic igitur si est excultus et si eius acies ita curata est, ut ne caecaretur erroribus, fit perfecta mens, id est absoluta ratio, quod est idem virtus. Et, si omne beatum est, cui nihil deest et quod in suo genere expletum atque cumulatum est, idque virtutis est proprium, certe omnes virtutis compotes beati sunt. Et hoc quidem mihi cum

4. semper in se ipso — sui] tanquam poetae verba de O. Ribbeckii sent. descripsit Ti.; *ipso* ex deterioribus libris Ba., *ipse* cum GR Or. Tr. Kl.; *reponit* cum Victorio Or. — 16. in ipsis sit] GR; *in ipsis est* de Halmii coni. Ba. — 30. caecarctur] GR; *caecetur* de Be. sent. Or.

Bruto convenit, id est, cum Aristotele, Xenocrate, Spensippo,
Polemone. Sed mihi videntur etiam beatissimi. Quid enim deest 40
ad beate vivendum ei, qui confidit suis bonis? aut qui diffidit
beatus esse qui potest? At diffidat necesse est qui bona dividit
tripertito. **XIV.** Qui enim poterit aut corporis firmitate aut
fortunae stabilitate confidere? Atqui nisi stabili et fixo et permanente bono beatus esse nemo potest. Quid ergo eiusmodi
istorum est? ut mihi Laconis illud dictum in hos cadere videatur;
qui glorianti cuidam mercatori, quod multas navis in omnem oram
maritimam dimisisset, *Non sane optabilis quidem ista*, inquit,
rudentibus apta fortuna. An dubium est quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata compleatur, si id possit amitti?
Nihil enim interarescere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum,
in quibus vita beata consistit. Nam qui timebit ne quid ex his
deperdat, beatus esse non poterit. Volumus enim eum, qui bea- 41
tus sit, tutum esse, inexpugnabilem, saeptum atque munitum, non
ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo. Ut enim innocens is
dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet, sic sine metu is
habendus est, non qui parce metuit, sed qui omnino metu vacat.
Quae est enim alia fortitudo nisi animi adfectio cum in adeundo
periculo et in labore ac dolore patiens tum procul ab omni metu?
Atque haec certe non ita se haberent, nisi omne bonum in una ho- 42
nestate consisteret. Qui autem illam maxume optatam et expetitam
securitatem — securitatem autem nunc appello vacuitatem aegritudinis, in qua vita beata posita est — habere quisquam potest, cui
aut adsit aut adesse possit multitudo malorum? Qui autem poterit
esse celsus et erectus et ea, quae homini accidere possunt, omnia
parva ducens, qualem sapientem esse volumus, nisi omnia sibi in
se posita censebit? An Lacedaemonii, Philippo minitante per litteras
se omnia, quae conarentur, prohibiturum, quaesiverunt, num se
esset etiam mori prohibiturus: vir is, quem quaerimus, non multo
facilius tali animo reperietur quam civitas universa? Quid? ad hanc

10. optabilis quidem ista] GR; *ista quidem* ex editt. vett. de Wes. sent. Ba. — 12. compleatur] de Wopkensii coni. Or. Kl.; *completur* de Be. sent. Tr. Ba.; GR *complectitur*. — 19. qui parce metuit] de nostra coni.; *qui parva metuit* cum GR Tr. Kl. Ba.; *qui parum metuit* Or.; *qui parvo metu est* Ti; *qui pauca metuit* suspicatur Ba. — 29. minitante] de Be. coni. Dav. ceteri; *minitanti* O.; GR *militanti*.

fortitudinem, de qua loquimur, temperantia adiuncta, quae sit moderatrix omnium commotionum, quid potest ad beate vivendum deesse ei, quem fortitudo ab aegritudine et a metu vindicet, temperantia cum a libidine avocet tum insolenti alacritate gestire non sinat? Haec efficere virtutem ostenderem, nisi superioribus diebus essent explicata.

43 **XV.** Cumque perturbationes animi miseriam, sedationes autem vitam efficiant beatam, duplexque ratio perturbationis sit, quod aegritudo et metus in malis opinatis, in bonorum autem errore laetitia gestiens libidoque versetur, cum omnia ea cum consilio et ratione pugnent; his tu tam gravibus concitationibus tamque ipsis inter se dissentientibus atque distractis quem vacuum, solutum, liberum videris, hunc dubitabis beatum dicere? Atqui sapiens semper ita adfectus est, semper igitur sapiens beatus est. Atque etiam omne bonum laetabile est, quod autem laetabile, id praedicandum et prae se ferendum, quod tale autem, id etiam gloriosum; si vero gloriosum, certe laudabile; quod laudabile autem, profecto etiam honestum; quod bonum igitur, id honestum.
44 At quae isti bona numerant, ne ipsi quidem honesta dicunt; solum igitur bonum, quod honestum; ex quo efficitur honestate una vitam contineri beatam. Non sunt igitur ea bona dicenda
45 nec habenda, quibus abundantem licet esse miserrimum. An dubitas quin praestans valetudine, viribus, forma, acerrumis integerrumisque sensibus, adde etiam, si lubet, pernicitatem et velocitatem, da divitias, honores imperia, opes gloriam: si fuerit is, qui haec habet, iniustus intemperans timidus, hebeti ingenio atque nullo, dubitabisne eum miserum dicere? Qualia igitur ista bona sunt, quae qui habeat miserrimus esse possit? Videamus ne, ut acervus ex sui generis granis, sic beata vita ex sui similibus partibus effici debeat. Quod si ita est, ex bonis, quae sola honesta sunt, efficiendum est beatum; ea mixta ex dissimilibus si erunt, honestum ex iis effici nihil poterit: quo detracto quid poterit beatum intellegi? Etenim quicquid est quod bonum sit, id

---

4. cum — avocet] corr. La.; GR *tum — avocet.* — 7. Cumque] de nostra coni.; GR *at quicumque;* vulgo *Atque* (vel *atqui*) *cum.* — 10. cum omnia ea] *ea* nos addidimus; GR *cum omnia* omisso *ea; quae omnia* de Be. coni. plerique; *quum haec* ex deterioribus libris Or. — 11. puguent] GR; *pugnant* (praegresso *quae omnia*) Ba.

expetendum est; quod autem expetendum, id certe adprobandum; quod vero adprobaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit necesse est; bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur ut, quod sit honestum, id sit solum bonum.

XVI. Quod ni ita tenebimus, multa erunt quae nobis bona 46 dicenda sint: omitto divitias, quas cum quivis quamvis indignus habere possit, in bonis non numero: quod enim est bonum, id non quivis habere potest; omitto nobilitatem famamque popularem stultorum inproborumque consensu excitatam; haec, quae sunt minima, tamen bona dicantur necesse est, candiduli dentes, venusti oculi, color suavis, et ea, quae Anticlea laudat Ulixi pedes abluens:

Lénitudo orátionis, móllitudo córporis;

ea si bona ducemus, quid erit in philosophi gravitate quam in volgi opinione stultorumque turba quod dicatur aut gravius aut grandius? At enim eadem Stoici *praecipua* vel *producta* dicunt, 47 quae bona isti. Dicunt illi quidem, sed iis vitam beatam compleri negant; hi autem sine iis esse nullam putant aut, si sit beata, beatissimam certe negant. Nos autem volumus beatissimam, idque nobis Socratica illa conclusione confirmatur. Sic enim princeps ille philosophiae disserebat: Qualis cuiusque animi adfectus esset, talem esse hominem; qualis autem homo ipse esset, talem eius esse orationem; orationi autem facta similia, factis vitam. Adfectus autem animi in bono viro laudabilis, et vita igitur laudabilis boni viri et honesta ergo, quoniam laudabilis. Ex quibus bonorum beatam vitam esse concluditur. Etenim pro 48 deorum atque hominum fidem! parumne cognitum est superioribus nostris disputationibus an delectationis et otii consumendi causa locuti sumus, sapientem ab omni concitatione animi, quam perturbationem voco, semper vacare, semper in animo eius esse placidissimam pacem? Vir igitur temperatus constans, sine metu sine aegritudine, sine alacritate futili sine libidine,

12. Anticlea] libri; *Euryclea* Or. — 15. ducemus] GR; *dicemus* Or. — 33. sine alacritate futili] dedi de Be. coni.; *s. alacritate ulla* cum GR Or. Tr. Kl. Ba; *s. alacr. illa* de Nissenii coni. Ti.

nonne beatus? At semper sapiens talis; semper igitur beatus. Iam vero qui potest vir bonus non ad id, quod laudabile sit, omnia referre, quae agit quaeque sentit? Refert autem omnia ad beate vivendum; beata igitur vita laudabilis; nec quicquam sine virtute laudabile; beata igitur vita virtute conficitur.

49 **XVII.** Atque hoc sic etiam concluditur. Nec in misera vita quicquam est praedicabile aut gloriandum nec in ea, quae nec misera sit nec beata. Et est in aliqua vita praedicabile aliquid et gloriandum ac prae se ferendum, ut Epaminondas:

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum,

ut Africanus:

A sole exoriente supra Maeotis paludes
Nemo est qui factis aequiperare queat.

50 Quod si est, beata vita glorianda et praedicanda et prae se ferenda est: nihil est enim aliud quod praedicandum et prae se ferendum sit. Quibus positis intellegis quid sequatur, et quidem, nisi ea vita beata est, quae est eadem honesta, sit aliud necesse est melius vita beata. Quod erit enim honestum, certe fatebuntur esse melius; ita erit beata vita melius aliquid, quo quid potest dici perversius? Quid? cum fateantur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, nonne fatendum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitam? Contrariorum enim contraria sunt
51 consequentia. Quo loco quaero quam vim habeat libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa, tantum praeponderare illam hanc lancem putet, ut terram et maria deprimat.

XVIII. Quid ergo aut hunc prohibet aut etiam Xenocratem illum gravissumum philosophorum, exaggerantem tantopere virtutem, extenuantem cetera et abicientem, in virtute non bea-

---

13. aequiperare] GR; *me aequip.* ex aliquot libris deterioribus et editt. vett. Or. — 14. Quod si est] *est* addidit Dav.; secuti sunt Or. Tr. Kl. Ba., omittunt GR. — 21. vim in virtute] ex cod. Bruxell. Or. Kl. Ba.; *vim virtutum* Tr.; *vim virtutem* GR. — 25. praeponderare illam hanc lancem] de nostra coni.; vulgo *propendere illam lancem*; GR *illam boni lancem*; *animi lancem* de Be. coni. Dav.; *bonorum animi lancem* Mo.; *propendere illam* omisso *boni lancem* Ba.

tam modo vitam, sed etiam beatissimam ponere? quod quidem
nisi fit, virtutum interitus consequetur. Nam in quem cadit ae- 52
gritudo, in eundem metum cadere necesse est: est enim metus
futurae aegritudinis sollicita expectatio; in quem autem metus,
in eundem formido timiditas, pavor ignavia; ergo ut idem vin-
catur interdum nec putet ad se praeceptum illud Atrei pertinere:

Proinde ita parent se in vita, ut vinci nesciant.

Hic autem vincetur, ut dixi, nec modo vincetur, sed etiam ser-
viet. Nos autem virtutem semper liberam volumus, semper in-
victam: quae nisi sunt, sublata virtus est. Atque si in virtute 53
satis est praesidii ad bene vivendum, satis est etiam ad beate.
Satis est enim certe in virtute, ut fortiter vivamus; si fortiter,
etiam ut magno animo, et quidem ut nulla re umquam terrea-
mur semperque simus invicti. Sequitur ut nihil paeniteat, nihil
desit, nihil obstet; ergo omnia profluenter, absolute, prospere;
igitur beate. Satis autem virtus ad fortiter vivendum potest;
satis ergo etiam ad beate. Etenim ut stultitia, etsi adepta est 54
quod concupivit, numquam se tamen satis consecutam putat, sic
sapientia semper eo contenta est, quod adest, neque eam um-
quam sui paenitet.

XIX. Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse
et eum quidem cum repulsa, si, cum sapiens et bonus vir, qualis
ille fuit, suffragiis praeteritur, non populus a bono consule potius,
quam ille a non bono populo repulsam fert; sed tamen utrum
malles te, si potestas esset, semel ut Laelium consulem an ut
Cinnam quater? Non dubito tu quid responsurus sis, itaque video 55
cui committam: non quemvis hoc idem interrogarem: respon-
deret enim alius fortasse se non modo quattuor consulatus uni
anteponere, sed unum diem Cinnae multorum et clarorum virorum
totis aetatibus. Laelius si digito quem attigisset, poenas dedis-
set; at Cinna collegae sui consulis Cn. Octavii praecidi caput
iussit, iussit P. Crassi. L. Caesaris, nobilissimorum hominum,

---

9. Nos autem] cum Dav. Tr.; GR *at nos autem; at nos* omisso *autem* Or. Kl. Ba. — 10. Atque] de Be. sent. Ba. prob. Wes.; *Atqui* cum GR ceteri. — 24. a non bono populo] nos coniecimus; GR *a bono populo; a vano pop.* cum codd. aliquot Or.; *a populo* de Madv. coni. Tr. Ba. — 31. consulis] de Bak. sent. secludit Ba. — 32. iussit, iussit] de nostra coni.; vulgo alterum *iussit* omittitur.

quorum virtus fuerat domi militiaequo cognita, M. Antonii, omnium eloquentissimi quos ego audierim, C. Caesaris, in quo mihi videtur specimen fuisse humanitatis, salis suavitatis leporis. Beatusne igitur qui hos interfecit? Mihi contra non solum eo videtur miser, quod ea fecit, sed etiam quod ita se gessit, ut ea facere ei liceret. Etsi peccare nemini licet, sed sermonis errore
56 labimur: id enim licere dicimus, quod cuique conceditur. Utrum tandem beatior C. Marius tum, cum Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit, paene altero Laelio — nam hunc illi duco simillimum —, an cum civili bello victor iratus necessariis Catuli deprecantibus non semel respondit, sed saepe: ‚*Moriatur?*' In quo beatior ille, qui huic nefariae voci paruit, quam is, qui tam scelerate imperavit. Nam cum accipere quam facere praestat iniuriam tum morti iam ipsi adventanti paulum procedere obviam, quod fecit Catulus, quam quod Marius, talis viri interitu sex suos obruere consulatus et contaminare extremum tempus aetatis.

57 **XX.** Duodequadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, cum quinque et viginti natus annos dominatum occupavisset. Qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam servitute oppressam tenuit civitatem! Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse eius in victu temperantiam in rebusque gerundis virum acrem et industrium, eundem tamen maleficum natura et iniustum. Ex quo omnibus bene veritatem intuentibus videri necesse est miserrimum. Ea enim ipsa, quae concupierat, ne tum quidem, cum
58 omnia se posse censebat, consequebatur. Qui cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus, etsi id quidem alius alio modo tradidit, abundaretque et aequalium familiaritatibus et consuetudine propinquorum, haberet etiam more Graeciae quosdam adulescentis amore coniunctos, credebat eorum nemini, sed iis, quos ex familiis locupletium servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam convenis et feris barbaris corporis custodiam committebat. Ita prop-

29. abundaretque et] ex codd. aliquot Or. Tr. Ba.; GR *abundaretque ei; et* omittit Kl. — 31. credebat] *credebat se* ex paucis codd. et editt. vett. Ern. prob. Be. — 32. locupletium] GR; *locupletum* Or.

ter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem quodammodo
ipse se incluserat. Quin etiam, ne tonsori collum committeret,
tondere filias suas docuit. Ita sordido atque ancillari artificio
regiae virgines ut tonstriculae tondebant barbam et capillum pa-
tris. Et tamen ab his ipsis, cum iam essent adultae, ferrum re-
movit instituitque ut caudentibus iuglandium putaminibus barbam
sibi et capillum adurerent. Cumque duas uxores haberet, Ari- 59
stomachen, civem suam, Doridem autem Locrensem, sic noctu ad
eas ventitabat, ut omnia specularetur et perscrutaretur ante. Et
cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset eiusque fossae
transitum ponticulo ligneo coniunxisset, cum ipsum, cum forem
cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque cum iu communibus
suggestis consistere non auderet, contionari ex turri alta solebat.
Atque is cum pila ludere vellet — studiose enim id factitabat 60
— tunicamque poneret, adulescentulo, quem amabat, tradidisse
gladium dicitur. Hic cum quidam familiaris iocans dixisset:
Huic quidem certe vitam tuam committis, adrisissetque adule-
scens, utrumque iussit interfici, alterum, quia viam demonstravisset
interimendi sui, alterum, quia dictum id risu adprobavisset. At-
que eo facto sic doluit, nihil ut tulerit gravius in vita: quem enim
vehementer amarat, occiderat. Sic distrahuntur in contrarias
partis inpotentium cupiditates: cum huic obsecutus es, illi est
repugnandum.

Quamquam hic quidem tyrannus ipse iudicavit quam esset 61
beatus. **XXI.** Nam cum quidam ex eius adsentatoribus, Da-
mocles, commemoraret in sermone copias eius opes, maiestatem
dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum,
negaretque umquam beatiorem quemquam fuisse, *Visne igitur*,
inquit, *o Damocle, quoniam te haec vita delectat, ipse eam de-
gustare et fortunam experiri meam?* Cum se ille cupere dixisset,
conlocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili
stragulo, magnificis operibus picto, abacosque compluris ornavit

3. sordido atque ancillari] ex cod. Marb. Kl.; GR *sordidoque ancillari; sordido ancillarique* cum Victorio Or. Tr. Ba., qui suspicatur *ancillari sordidoque*; *officio* pro *artificio* volebat Be. — 10. lecto] GR; *tecto* de Gesneri coni. Tr. — 22. obsecutus es] sic correxi vulgatam *obsecutus sis*. — 24. iudicavit] GR; *indicavit* de Be. coni. Or. — 29. eam] de priore Kl. sent. Ba.; vulgo *eandem*; GR *eadem*.

argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere eosque nutum illius intuentis diligenter
62 ministrare. Aderant unguenta coronae, incendebautur odores, mensae couquisitissimis epulis extruebantur: fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari saeta equina aptum demitti iussit, ut inpeuderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulcbros illos ministratores aspiciebat nec plenum artis argentum nec mauum porrigebat in mensam; iam ipsae defluebant corouae; denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius nihil esse ei beatum, cui semper aliqui terror inpendeat? Atque ei ue integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret, civibus libertatem et iura redderet: iis enim se adulescens inprovida aetate inretierat erratis eaque commiserat, ut salvus esse nou posset, si sanus esse coepisset.

63 **XXII**. Quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat, declaravit in Pythagoriis duobus illis, quorum cum alterum vadem mortis accepisset, alter, ut vadem suum liberaret, praesto fuisset ad boram mortis destinatam, *Utinam ego*, inquit, *tertius vobis amicus adscriberer!* Quam huic erat miserum carere consuetudine amicorum, societate victus, sermone omnino familiari, homini praesertim docto a puero et artibus ingenuis erudito, musicorum vero perstudioso; poëtam etiam tragicum accepimus — quam bonum, nihil ad rem: in hoc enim genere nescio quo pacto magis quam in aliis suum cuique pulchrum est: adhuc neminem cognovi poëtam — et mihi fuit cum Aquinio amicitia — qui sibi non optumus videretur; sic se res habet: te tua, me delectant mea —; sed ut ad Dionysium redeamus, omni cultu et victu humano carebat: vivebat cum fugitivis, cum faciuerosis, cum barbaris; neminem, qui aut libertate dignus esset aut vellet omniuo liber esse, sibi amicum arbitrabatur.

64 **XXIII**. Non ego iam cum huius vita, qua taetrius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis aut Archytae

---

19. mortis] GR; *morti* Tr. — 23. perstudioso] sic correxi; vulgo cum libris *perstudiosum*; Be. volebat *perstudioso, poetae etiam tragico, quam bono nihil ad rem;* post *perstudiosum* addit ex paucis libris *accepimus* Kl. — 24. tragicum accepimus] *accepimus* h. l. primum adieci. — 27. Aquinio] GR; *Aquino* Or.

vitam comparabo, doctorum hominum et plane sapientium: ex eadem urbe humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem. Cuius ego quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, saeptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. Ego autem, cum omnia con- 65
lustrarem oculis — est enim ad portas Agragentinas magna frequentia sepulcrorum —, animum adverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Atque ego statim Syracusanis — erant autem principes mecum — dixi me illud ipsum arbitrari esse quod quaererem. Inmissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Quo cum 66
patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma excsis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere.. Ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. — Sed redeat unde aberravit oratio. Quis est omnium, qui modo cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina, habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit quam illum tyrannum? Si vitae modum actionemque quaerimus, alterius mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur cum oblectatione sollertiae, qui est unus suavissimus pastus animorum, alterius in caede et iniuriis cum et diurno et nocturno metu. Age confer Democritum, Pythagoram, Anaxagoram: quae regna, quas opes studiis eorum et delectationibus antepones? Etenim quae pars optuma est in ho- 67
mine, in ea situm esse necesse est illud, quod quaeris, optumum. Quid est autem in homine sagaci ac bona mente melius? Eius bono fruendum est igitur, si beati esse volumus; bonum autem

9. Agragentinas] nos scripsimus; GR *agragianas; Agragantinas* vel *Acragantinas* volebat Camerarius; *Agraganas* La.; *Agragianas* reliquit Ba. prob. Wes.; *Achradinas* Or. Kl. Tr. — 10. animum adverti] GR; *animadverti* Or. — 14. multi] *tumuli* volebat Scheibius, *famuli* Lattmannus. — 19. Arpinate] GR ceterique, ut videntur, omnes; *Arpinati* de Wes. sent. Ba. — 25. in caede] *in* omittunt Ma. La. — ibid. iniuriis] *in iniuriis* ex duobus Oxoniensibus Ba.

mentis est virtus; ergo hac beatam vitam contineri necesse est. Hinc omnia, quae pulchra, honesta, praeclara sunt, ut supra dixi, sed dicendum idem illud paulo uberius videtur, plena gaudiorum sunt. Ex perpetuis autem plenisque gaudiis cum perspicuum sit vitam beatam existere, sequitur ut ea existat ex honestate.

68 **XXIV.** Sed ne verbis solum attingamus ea, quae volumus ostendere, proponenda quaedam quasi moventia sunt, quae nos magis ad cognitionem intellegentiamque convertant. Sumatur enim nobis quidam praestans vir optumis artibus isque animo parumper et cogitatione fingatur. Primum ingenio eximio sit necesse est: tardis enim mentibus virtus non facile comitatur; deinde ad investigandam veritatem studio incitato. Ex quo triplex ille animi fetus existet, unus in cognitione rerum positus et in explicatione naturae, alter in discriptione expetendarum fugiendarumque rerum et in ratione vivendi, tertius in iudicatione quid cuique rei sit consequens, quid repugnans, in quo inest omnis cum sup-
69 tilitas disserendi tum veritas iudicandi. Quo tandem igitur gaudio adfici necesse est sapientis animum cum his habitantem pernoctantemque curis! ut, cum totius mundi motus conversionesque perspexerit sideraque viderit innumerabilia caelo inhaerentia cum eius ipsius motu congruere certis infixa sedibus, septem alia suos quaeque tenere cursus multum inter se aut altitudine aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen et certa sui cursus spatia definiant — horum nimirum aspectus impulit illos veteres et admonuit, ut plura quaererent; inde est indagatio nata initiorum et tamquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta, quaeque cuiusque generis vel inanimi vel animantis, vel muti vel loquentis origo, quae vita, qui interitus quaeque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio, unde terra et quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria sustineantur, qua omnia delata

---

14. discriptione] cum GR Ba., vulgo *descriptione*. — ibid. fugiendarumque] cum GR La. et Dav. 1.; vulgo *fugiendarumve*. — 15. et in ratione vivendi] de Wes. coni. Ba; G *fugiendarumque ve rerum ne vivendi*, in R et *ve* et *ne vivendi* crasa sunt; vulgo verba omittuntur; *arteque bene vivendi* coni. O. Heinius. — ibid. iudicatione] de nostra coni.; R *iudicando ne*; vulgo cum G *iudicando* omisso *ne*. — 16. cum subtilitas] GR; *tum subtil.* Or. — 30. sustineantur] cum codd. aliquot Dav. Tr. Kl. Ba.; GR *sustineant; sustineat* cum Vict. et La. Or. — ibid. qua — gravitate] de Dav. coni. Tr. Ba.; *in qua — grav.* cum GR Or. Kl.; *in quam* — coni. La.

gravitate medium mundi locum semper expetant, qui est idem infimus in rutundo. **XXV.** Haec tractanti animo et noctes et 70 dies cogitanti existit illa a deo Delphis praecepta cognitio, ut ipsa se mens adgnoscat coniunctamque cum divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio compleatur. Ipsa enim cogitatio de vi et natura deorum studium incendit illius aeternitatem imitandi, neque se in brevitate vitae conlocatam putat, cum rerum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas videt, quibus ab aeterno tempore fluentibus in aeternum ratio tamen mensque moderatur. Haec ille intuens atque suspiciens vel potius omnis 71 partis orasque circumspiciens quanta rursus animi tranquillitate humana et citeriora considerat! Hinc illa cognitio virtutis existit, efflorescunt genera partesque virtutum, invenitur quid sit, quod natura spectet extremum in bonis, quid in malis ultumum, quo referenda sint officia, quae degendae aetatis ratio deligenda. Quibus et talibus rebus exquisitis hoc vel maxime efficitur, quod hac disputatione agimus, ut virtus ad beate vivendum sit se ipsa contenta. Sequitur tertia, quae per omnis partis sapientiae ma- 72 nat et funditur, quae rem definit, genera dispertit, sequentia adiungit, perfecta concludit, vera et falsa diiudicat, disserendi ratio et scientia. Ex qua cum summa utilitas existit ad res ponderandas tum maxime ingenua delectatio et digna sapientia. Sed haec otii. Transeat idem iste sapiens ad rem publicam tuendam. Quid eo possit esse praestantius, cum fidens prudentia utilitatem civium cernat, iustitia nihil in suam domum inde derivet, reliquis utatur tot tam variisque virtutibus? Adiunge fructum amicitiarum, in quo doctis positum est cum consilium omnis vitae consentiens et paene conspirans tum summa iucunditas e cotidiano cultus atque victus usu. Quid haec tandem vita desiderat quo sit beatior? cui refertae tot tantisque gaudiis fortuna

---

5. compleatur] cum GR Kl.; *completur* de Be. coni. Dav. Or. Tr. Ba. — 6. aeternitatem imitandi] de nostra coni.; *aeternitatis imitandi* cum GR Kl. Ba.; *aeternitatis imitandae* Or. Tr. prob. Wesenb. — 7. conlocatam] GR; *conlocatum* ex cod. Pithoeano Ba. prob. Wes. — 15. deligenda] vulgo; *diligenda* cum GR Ba. — 24. cum fidens prudentia] de nostra coni.; *cum contineri prudentia* cum GR Kl.; *contineri* cum La. et paucis libris delent Or. Ba., includit Tr. — 29. cultus atque victus usu] sic emendavi scripturam GR *cultu atque victurus;* vulgo *cultu atque victu.* — 30. cui refertae] de Ma. coni. Or. Tr. Ba; GR *cui rei refertae*; *rei* includit Kl.

ipsa cedat necesse est. Quod si gaudere talibus bonis animi, id est virtutibus, beatum est omnesque sapientes iis gaudiis perfruuntur, omnis eos beatos esse confiteri necesse est.

73 **XXVI.** A. Etiamne in cruciatu atque tormentis?

M. An tu me in viola putabas aut in rosa dicere? An Epicuro, qui tantummodo induit personam philosophi et sibi ipse hoc nomen inscripsit, dicere licebit, quod quidem, ut habet se res, me tamen plaudente dicit: ‚nullum sapienti esse tempus, etiam si uratur, torqueatur, secetur, quin possit exclamare: *Quam pro nihilo puto!*', cum praesertim omne malum dolore definiat, bonum voluptate, haec nostra honesta turpia inrideat dicatque nos in vocibus occupatos inanis sonos fundere neque quicquam ad nos pertinere nisi quod aut leve aut asperum in corpore sentiatur: huic ergo, ut dixi, non multum differenti a iudicio ferarum oblivisci licebit sui et tum fortunam contemnere, cum sit omne et bonum eius et malum in potestate fortunae, tum dicere se beatum in summo cruciatu atque tormentis, cum constituerit non
74 modo summum malum esse dolorem, sed etiam solum? Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem consuetudinemque patiendi, duritiam virilem, sed una se dicit recordatione adquiescere praeteritarum voluptatium, ut, si quis aestuans, cum vim caloris non facile patiatur, recordari velit sese aliquando in Arpinati nostro gelidis fluminibus circumfusum fuisse. Non enim video quomodo sedare possint mala praesentia praeteritae volup-
75 tates. Sed cum is dicat semper beatum esse sapientem, cui dicere hoc, si sibi constare vellet, non liceret, quidnam faciendum est iis, qui nihil expetendum, nihil in bonis ducendum, quod honestate careat, existumant? Me quidem auctore etiam Peripatetici veteresque Academici balbutire aliquando desinant aperteque et clara voce audeant dicere beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram.

---

6. qui tantummodo] sic cum G [1] Or. Tr. Ba.; R et G [2] *quia*, quod tuetur Kl. — 9. etiam si] GR; *et si* Or. — 21. duritiam virilem] quod ante additur in libris *praecepta fortitudinis* de mea sententia delevit Ti., inclusit Ba. — 22. voluptatium] GR Kl. prob. Wes.; *voluptatum* Or. Tr. Ba. — 23. sese] ex GR *esse* restituit Tr. Kl., ex Bruxell. recepit Ba.; *se* Or.

XXVII. Sint enim tria genera bonorum, ut iam a laqueis 76
Stoicorum, quibus usum me pluribus quam soleo intellego, rece-
damus, sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa
iaceant humi et tantummodo, quia sumenda sint, appellentur bona,
alia autem illa divina longe lateque se pandant caelumque con-
tingant: ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non bea-
tissimum etiam dixerim? Dolorem vero sapiens extimescet. Is
enim huic maxime sententiae repugnat: nam contra mortem no-
stram atque nostrorum contraque aegritudinem et reliquas animi
perturbationes satis esse videmur superiorum dierum disputatio-
nibus armati et parati; dolor esse videtur acerrumus virtutis ad-
versarius, is ardentis faces intentat, is fortitudinem, magnitu-
dinem animi, patientiam se debilitaturum minatur. Huic igitur 77
succumbet virtus, huic beata sapientis et constantis viri vita cedet.
Quam turpe, o di boni! Pueri Spartiatae non ingemescunt ver-
berum dolore laniati. Adulescentium greges Lacedaemone vidi-
mus ipsi incredibili contentione certantis pugnis, calcibus, unguibus,
morsu denique, cum exanimarentur prius quam victos se faterен-
tur. Quae barbaria India vastior aut agrestior? in ea tamen
gente primum ei, qui sapientes habentur, nudi aetatem agunt et
Caucasi nives hiemalemque vim perferunt sine dolore, cumque
ad flammam se adplicaverunt, sine gemitu aduruntur. Mulieres 78
vero in India, cum est cuius earum vir mortuus, in certamen
iudiciumque veniunt, quam plurumum ille dilexerit: plures enim
singulis solent esse nuptae; quae est victrix, ea laeta prosequen-
tibus suis una cum viro in rogum inponitur, illa victa maesta
discedit. Numquam naturam mos vinceret: est enim ea semper
invicta; sed nos umbris deliciis, otio languore desidia animum
infecimus, opinionibus maloque more delenitum mollivimus. Ae-
gyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutae mentes pravita-
tis erroribus quamvis carnificinam prius subierint quam ibim aut
aspidem aut felem aut canem aut crocodilum violent, quorum
etiam si inprudentes quippiam fecerint, poenam nullam recusent.
De hominibus loquor: quid bestiae? non frigus, non famem, non 79

6. ea qui adeptus est] *ut*, quod ante haec verba additur in GR. delevimus de La. et Wes. sententia, includunt Or. Tr. Kl. Ba. — 11. virtutis] de Wes. sent. Ti. Ba.; *virtuti* cum GR Tr. Kl.

montivagos atque silvestris cursus lustrationesque patiuntur? non pro suo partu ita propugnant, ut volnera excipiant, nullos impetus, nullos ictus reformident? Omitto quae perferant quaeque patiantur ambitiosi honoris causa, laudis studiosi gloriae gratia, amore incensi cupiditatis. Plena vita exemplorum est.

80 **XXVIII.** Sed adhibeat oratio modum et redeat illuc, unde deflexit. Dabit, inquam, se in tormenta vita beata, nec iustitiam, temperantiam in primisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosecuta, cum tortoris os viderit, consistet virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis resistet extra fores, ut ante dixi, limenque carceris. Quid enim ea foedius, quid deformius sola relicta, a comitatu pulcherrimo segregata? quod tamen fieri nullo pacto potest: nec enim virtutes
81 sine beata vita cohaerere possunt nec illa sine virtutibus. Itaque eam tergiversari non sinent secumque rapient ad quemcumque ipsae dolorem cruciatumque ducentur. Sapientis est enim proprium nihil quod paenitere possit facere, nihil invitum, splendide constanter, graviter honeste omnia, nihil ita expectare quasi certo futurum, nihil cum acciderit admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur, omnia ad suum arbitrium referre, suis stare iudiciis. Quo quid sit beatius mihi certe in mentem venire
82 non potest. Stoicorum quidem facilis conclusio est, qui cum finem bonorum esse senserint congruere naturae cumque ea convenienter vivere, cum id sit in sapientis situm non officio solum, verum etiam potestate, sequatur necesse est ut, cuius in potestate summum bonum, in eiusdem vita beata sit. Ita fit semper vita beata sapientis. Habes quae fortissime de beata vita dici putem et, quomodo nunc est, nisi quid tu melius attuleris, etiam verissime.

XXIX. A. Melius equidem adferre nihil possum, sed a te impetrarim lubenter, ut, nisi molestum sit, quoniam te nulla vincula impediunt ullius certae disciplinae libasque ex omnibus quodcumque te maxime specie veritatis movet, quod paulo ante Peri-

7. Dabit, inquam] GR; *Dabit, dabit, inquam*, Or. — 12. a comitatu] *a* addunt cum La. Kl. Ba. prob. Wes., omittunt cum GR Or. Tr. — 24. in sapientis] de La. sent. Ba.; *in sapiente* cum GR Or. Tr. Kl. — 31. nisi molestum sit] GR; *nisi mol. est* de Halmii sent. Ba.

pateticos veteremque Academiam hortari videbare, ut sine retractatione libere dicere auderent sapientis esse semper beatissimos, id velim audire, quemadmodum his putes consentaneum esse id dicere. Multa enim a te contra istam sententiam dicta sunt et Stoicorum ratione conclusa.

M. Utamur igitur libertate, qua nobis solis in philosophia 83 licet uti, quorum oratio nihil ipsa iudicat, sed habetur in omnis partis, ut ab aliis possit ipsa per sese nullius auctoritate adiuncta iudicari. Et quoniam videris hoc velle, ut, quaecumque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus, tamen virtus satis habeat ad vitam beatam praesidii, quod quidem Carneadem disputare solitum accepimus, sed is, ut contra Stoicos, quos studiosissime semper refellebat et contra quorum disciplinam ingenium eius exarserat, nos illud quiete et cum pace agemus. Si enim Stoici finis bonorum recte posiverunt, confecta res est: necesse est semper beatum esse sapientem. Sed quaeramus unamquamque reli- 84 quorum sententiam, si fieri potest, ut hoc praeclarum quasi decretum beatae vitae possit omnium sententiis et disciplinis convenire.

XXX. Sunt autem haec de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae. Primum simplices quattuor: nihil bonum nisi honestum, ut Stoici; nihil bonum nisi voluptatem, ut Epicurus; nihil bonum nisi vacuitatem doloris, ut Hieronymus; nihil bonum nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maxumis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat. Haec igitur simplicia, illa mixta: tria genera bonorum, maxuma animi, secunda corpo- 85 ris, externa tertia, ut Peripatetici nec multo veteres Academici secus; voluptatem cum honestate Dinomachus et Callipho copulavit, indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit. Hae sunt sententiae, quae stabilitatis aliquid habeant: nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli nonnullorumque aliorum evanuerunt. Hi quid possint optinere videamus omissis Stoicis, quorum satis videor defendisse sententiam. Et Peripateticorum quidem expli-

14. nos illud quiete et] de nostra coni.; GR *nos illud quidem; nos illud idem* de Bu. coni. Tr. Kl.; *nos quidem illud* de Wes. coni. Ba. — 15. posiverunt] Kl. Ba.; GR *possiverunt; posuerunt* Or. Tr. — 19. haec] cum GR Kl. Ba; *hae* Or. Tr. — 22. doloris] omittunt GR. — 23. bonis] includi vult Wes.

cata causa est: praeter Theophrastum et si qui illum secuti inbecillius horrent dolorem et reformidant, reliquis quidem licet facere id, quod fere faciunt, ut gravitatem dignitatemque virtutis exaggerent. Quam cum ad caelum extulerunt, quod facere eloquentes homines copiose solent, reliqua ex conlatione facile est conterere atque contemnere. Nec enim licet iis, qui laudem cum dolore petendam esse dicunt, negare eos esse beatos, qui illam adepti sint. Quamquam enim sint in quibusdam malis, tamen
86 hoc nomen beati longe et late patet. **XXXI.** Nam ut quaestuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur, non, si altera semper omni damno, altera omni tempestatis calamitate semper vacat, sed si multo maiore ex parte extat in utraque felicitas, sic vita non solum si undique referta bonis est, sed si multo maiore et gra-
87 viore ex parte bona propendent, beata recte dici potest. Sequetur igitur horum ratione vel ad supplicium beata vita virtutem cumque ea descendet in taurum Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone auctoribus, nec eam minis, blandimentis corrupta deseret. Eadem Calliphontis erit Diodorique sententia, quorum uterque honestatem sic complectitur, ut omnia, quae sine ea sint, longe retro ponenda censeat. Reliqui habere se videntur angustius, enatant tamen, Epicurus, Hieronymus, et si qui sunt qui desertum illud Carneadeum curent defendere. Nemo est enim quin eorum bonorum animum putet esse iudicem eumque condocefaciat, ut ea, quae bona malave videantur, possit
88 contemnere. Nam quae tibi Epicuri videtur, eadem erit Hieronymi et Carneadis causa et hercule omnium reliquorum. Quis enim parum est contra mortem aut dolorem paratus? Ordiamur ab eo, si placet, quem mollem, quem voluptarium dicimus.

---

4. extulerunt] de Madv. sent. Ti. Kl. Ba.; *extulerint* cum GR Or. — 7. petendam] GR; *expetendam* vult Bak. — ibid. dicunt — sint] de Bak. corr. Ba.; vulgo *dicant — sunt* cum GR; *sint* voluerat iam Ern. — 11. omni tempestatis] correxit Ursinus; GR *omnis tempestatis*. — 17. minis blandimentis] scripsi prob. O. Heinio; GR *minimis blandimentis*; *minis aut blandimentis* de Be. coni. Or. Ba.; *minis [aut] blandimentis* Kl; *minis [blandimentis]* Tr; Wesenb. coni. *minis nec blandimentis*. — 22. illud Carneadeum] de Bak. coni. Ti. Ba.; GR *illum Carneadeum*; vulgo *illum Carneadem*. — ibid. Nemo est enim quin eorum bonorum] de La. coni. Ti; GR *qui eorum*; *nemo est enim eorum, quin bonorum* de Ern. coni. Or. Kl. Ba., prob. Wes.; *quin [eorum] bonorum* Tr.; *quin verorum bonorum* suspicatur Be.

Quid? is tibi mortemne videtur aut dolorem timere? qui eum diem, quo moritur, beatum appellat maxumisque doloribus adfectus eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat, nec haec sic agit, ut ex tempore quasi effutire videatur? De morte enim ita sentit, ut dissoluto animante sensum extinctum putet, quod autem sensu careat, nihil ad nos id iudicet pertinere. Item de dolore certa habet quae sequatur, cuius magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate. Quid tandem? **89** isti grandiloqui contra haec duo, quae maxime angunt, melius se habent quam Epicurus? An ad cetera, quae mala putantur, non et Epicurus et reliqui philosophi satis parati videntur? Quis non paupertatem extimescit? neque tamen quisquam philosophorum. **XXXII.** Hic vero ipse quam parvo est contentus! Nemo de tenui victu plura dixit. Etenim quae res pecuniae cupiditatem adferunt, ut amori, ut ambitioni, ut cotidianis sumptibus copiae suppetant, cum procul ab his omnibus rebus absit, cur pecuniam magnopere desideret vel potius cur curet omnino? An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates **90** philosophi facere non poterunt? Illius epistula fertur his verbis: ,Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictui est Scythicum tegimen, calciamentum solorum callum, cubile terra, pulpamentum fames, lacte, caseo, carne vescor. Quare ut ad quietum me licet venias. Munera autem ista, quibus es delectatus, vel civibus tuis vel dis inmortalibus dona.' Omnes fere philosophi omnium disciplinarum, nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsit, eodem hoc animo esse potuerunt. Socrates, in pompa **91** cum magna vis auri argentique ferretur, *Quam multa non desidero!* inquit. Xenocrates, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxuma, abduxit legatos ad cenam in Academiam, iis apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu. Cum postridie rogarent eum, cui numerari iuberet, *Quid? vos hesterna,* inquit, *cenula non intellexistis me pecunia non egere?* Quos

1. aut dolorem] ex cod. Vindob. Ti. Ba.; vulgo cum GR *an dolorem; isne tibi mortem aut dolorem* Ti.; *is tibi mortemne* libri. — 8. Quid tandem?] ex Nonio restitui; vulgo cum GR *Qui tandem isti* etqs. — 16. ab his] cum GR Ba.; vulgo *iis*. — 19. poterunt] ex codd. deterior. La. Or. Tr.; *potuerunt* cum GR Kl. Ba. prob. Wes. — 26. detorsit] nos correximus; vulgo *detorsisset*.

cum tristiores vidisset, xxx minas accepit, ne aspernari regis li-
92 beralitatem videretur. At vero Diogenes liberius, ut Cynicus,
Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset, *Nunc quidem
paululum*, inquit, *a sole*. Offecerat videlicet apricanti. Et hic
quidem disputare solebat quanto regem Persarum vita fortunaque
superaret; sibi nihil deesse, illi nihil satis umquam fore; se
eius voluptates non desiderare, quibus numquam satiari ille posset,
suas eum consequi nullo modo posse.

93 **XXXIII**. Vides, credo, ut Epicurus cupiditatum genera di-
viserit, non nimis fortasse suptiliter, utiliter tamen, partim esse
naturales et necessarias, partim naturales et non necessarias,
partim neutrum; necessarias satiari posse paene nihilo: divitias
enim naturae esse parabiles; secundum autem genus cupiditatum
nec ad potiendum difficile esse censet nec vero ad carendum;
tertias, quod essent plane inanes neque necessitatem modo, sed
94 ne naturam quidem attingerent, funditus eiciendas putavit. Hoc
loco multa ab Epicureis disputantur eaeque voluptates singillatim
extenuantur, quarum genera non contemnunt, quaerunt tamen
copiam. Nam et obscenas voluptates, de quibus multa ab illis
habetur oratio, facilis, communis, in medio sitas esse dicunt, eas-
que si natura requirat, non genere aut loco aut ordine, sed forma,
aetate, figura metiendas putant, ab iisque abstinere minime esse
difficile, si aut valetudo aut officium aut fama postulet; omnino-
que genus hoc voluptatum optabile esse, si non obsit, prodesse
95 numquam. Totumque hoc de voluptate sic ille praecipit, ut volup-
tatem ipsam per se, quia voluptas sit, semper optandam et expeten-
dam putet, eademque ratione dolorem ob id ipsum, quia dolor sit,
semper esse fugiendum: itaque hac usurum compensatione sapientem,
ut et voluptatem fugiat, si ea maiorem dolorem effectura sit, et dolo-
rem suscipiat maiorem efficientem voluptatem, omniaque iucunda,
quamquam sensu corporis iudicentur, ad animum referri tamen;
96 quocirca corpus gaudere tam diu, dum praesentem sentiret volupta-
tem, animum et praesentem percipere pariter cum corpore et prospi-

18. non contemnunt] cum libris Or. Ba.; *non* de Madv. coni. delet Tr., includit Kl.; Be. coni. *nec* (vel *non*) *quaerunt tamen copiam*. — 26. et expetendam] ex uno alterove libro deter. Dav.; GR omittunt *et*; *expetendamque* Or. Ba.; *optandam* includit Tr., *et* Kl. — 29. ut et] de Or. sent. Tr. Kl. Ba; *ut* omittunt GR; *ut* omisso *et* in textu Or.

cere venientem nec praeteritam praeterfluere sinere; ita perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore semper, cum expectatio speratarum voluptatum cum perceptarum memoria iungeretur.

XXXIV. Atque his similia ad victum etiam transferuntur, 97
extenuaturque magnificentia et sumptus epularum, quod parvo cultu natura contenta sit. Etenim quis hoc non videt, desideriis omnia ista condiri? Darius in fuga cum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit umquam se bibisse iucundius. Numquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolemaeus ederat; cui cum peragranti Aegyptum comitibus non consecutis cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. Socratem ferunt, cum usque ad vesperum contentius ambularet quaesitumque esset ex eo quare id faceret, respondisse se, quo melius cenaret, opsonare ambulando famem.
Quid? victum Lacedaemoniorum in philitiis nonne videmus? Ubi 98
enim tyrannus cenavisset Dionysius, negavit se iure illo nigro, quod cenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat, *Minime mirum: condimenta enim defuerunt. Quae tandem?* inquit ille. *Labor in venatu, sudor cursus ad Eurotam, fames sitis. His enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.* Atque hoc non ex hominum more solum, sed etiam ex bestiis intellegi potest, quae, ut quicquid obiectum est, quod modo a natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius.
Civitates quaedam universae, more doctae, parsimonia delectan- 99
tur, ut de Lacedaemoniis paulo ante diximus. Persarum a Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam praeter nasturcium. Quamquam si quaedam etiam suaviora natura desideret, quam multa ex terra arboribusque gignuntur cum copia facili tum suavitate praestantia! Adde siccitatem, quae consequitur hanc continentiam in victu, adde integritatem vale-
tudinis; confer sudantis, ructantis, refertos epulis tamquam opimos 100
boves; tum intelleges, qui voluptatem maxime sequantur, eos

---

3. **cum perceptarum**] *cum* de Madv. coni. addidit Ba., vulgo cum GR *memoria*; alii *memoriae*. — 5. **extenuaturque**] GR; *extenuanturque* Or. — 19. **sudor cursus ad Eurotam**] comma delevi; vulgo *sudor, cursus ad Eurotam* de Be. coni.; *cursus ab Eurota* cum GR Mo. — 20. **his enim — condiuntur**] deleri vult Bak. — 29. **cum copia**] GR; *tum copia* Or. — ibid. **praestantia**] GR; *praestanti* de La. coni. Ba. prob. Wes.

minime consequi, iucunditatemque victus esse in desiderio, non in satietate. **XXXV.** Timotheum, clarum hominem Athenis et principem civitatis, ferunt, cum cenavisset apud Platonem eoque convivio admodum delectatus esset vidissetque eum postridie, dixisse: *Vestrae quidem cenae non solum in praesentia, sed etiam postero die iucundae sunt.* Quid? quod ne mente quidem recte uti possumus multo cibo et potione completi? Est praeclara epistula Platonis ad Dionis propinquos, in qua scriptum est his fere verbis: ‚Quo cum venissem, vita illa beata, quae ferebatur, plena Italicarum Syracusiarumque mensarum, nullo modo mihi placuit: bis in die saturum fieri nec umquam pernoctare solum ceteraque, quae comitantur huic vitae, in qua sapiens nemo efficietur umquam, moderatus vero multo minus. Quae enim natura tam mirabiliter
101 temperari potest?' Quomodo igitur iucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapalli, opulentissimi Syriae regis, error adgnoscitur, qui incidi iussit in busto:

Haec habeo, quae edi quaeque exaturata libido
Hausit; at illa iacent multa et praeclara relicta.

‚Quid aliud', inquit Aristoteles, ‚in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? haec habere se mortuum dicit, quae ne vivus quidem
102 diutius habebat quam fruebatur.' Cur igitur divitiae desiderentur, aut ubi paupertas beatos esse non sinit? Signis, credo, tabulis studes. Si quis est qui his delectetur, nonne melius tenues homines fruuntur quam illi, qui iis abundant? Est enim earum rerum omnium nostra in urbe summa in publico copia. Quae qui privatim habent, nec tam multa et raro vident, cum in sua rura venerunt; quos tamen pungit aliquid, cum illa unde habeant recordantur. Dies deficiat, si velim paupertatis causam defendere. Aperta enim res est et cotidie nos ipsa natura admonet quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus.

20. haec habere—fruebatur] Aristotele tribuenda esse vidit Wes. — 22. Signis, credo, tabulis studes] de nostra coni.; *et studes* malit Ba.; GR *signis, credo, tabulis, ludis*; *signis, credo, et tabulis* omisso *ludis* voluit Wes.; *tabulis indiges* Bak.; *tabulis stupes* O. Heinius. — 25. nostra in urbe] scripsi cum editt. vett.; G[1] *nostrae urbe; nostra urbe* cum R Or. Kl.; *in nostra urbe* de Wo. coni. Tr. Ba. — 26. privatim] corr. La.; *privati* cum GR Tr. Kl. — 28. deficiat] cum G Kl. Ba. prob. Wes.; *deficiet* cum R Or. Tr.

XXXVI. Num igitur ignobilitas aut humilitas aut etiam 103 popularis offensio sapientem beatum esse prohibebit? Vide ne plus commendatio in volgus et haec, quae expetitur, gloria molestiae habeat quam voluptatis. Leviculus sane noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae, ut mos in Graecia est, insusurrantisque alteri: *Hic est ille Demosthenes.* Quid hoc levius? At quantus orator! Sed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipse secum. Intelle- 104 gendum est igitur nec gloriam popularem ipsam per sese expetendam nec ignobilitatem extimescendam. *Veni Athenas*, inquit Democritus, *neque me quisquam ibi adgnovit.* Constantem hominem et gravem, qui glorietur a gloria se afuisse! An tibicines iique, qui fidibus utuntur, suo, non multitudinis arbitrio cantus numerosque moderantur: vir sapiens multo arte maiore praeditus non quid verissimum sit, sed quid velit volgus exquiret? An quicquam stultius quam, quos singulos sicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare esse universos? Ille vero nostras ambitiones levitatesque contemnet honoresque populi etiam ultro delatos repudiabit; nos autem eos nescimus, antequam paenitere coepit, contemnere. Est apud Heraclitum physicum 105 de principe Ephesiorum Hermodoro: universos ait Ephesios esse morte multandos, quod, cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sint: *Nemo de nobis unus excellat: sin quis extiterit, alio in loco et apud alios sit.* An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt? Quid? Aristides — malo enim Graecorum quam nostra proferre — nonne ob eam causam expulsus est patria, quod praeter modum iustus esset? Quantis igitur molestiis vacant qui nihil omnino cum populo contrahunt! Quid est enim dulcius otio litterato? iis dico litteris, quibus infinitatem rerum atque naturae et in hoc ipso mundo caelum, terras, maria cognoscimus.

XXXVII. Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia 106 quid relinquitur quod extimescendum sit? Exilium, credo, quod in maxumis malis ducitur. Id si propter alienam et offensam populi voluntatem malum est, quam sit ea contemnenda ac le-

11. ibi] uncis inclusit Or. — 35. ac levicula] sic correxi GR scripturam *contemnenda sicuta;* vulgo omittitur *sicuta* vel, quod in deterioribus libris est, *sicuti; contemnenda sapienti* vult O. Heinius.

vicula, paulo ante dictum est. Sin abesse patria miserum est, plenae miserorum provinciae sunt, ex quibus admodum pauci in
107 patriam revertuntur. — At multantur bonis exules. Quid tum? parumne multa de toleranda paupertate dicuntur? Iam vero exilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum tandem a perpetua peregrinatione differt? in qua aetates suas philosophi nobilissimi consumpserunt, Xenocrates Crantor, Arcesilas Lacydes, Aristoteles Theophrastus, Zeno Cleanthes, Chrysippus Antipater, Carneades Clitomachus, Philo Antiochus, Panaetius Posidonius, innumerabiles alii, qui semel egressi numquam domum reverterunt. At est non sine ignominia. Eamne attingere sapientem? de sapiente enim haec omnis oratio est, cui iure id accidere non possit: nam iure exulantem consolari
108 non oportet. Postremo ad omnis casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quae secuntur in vita, ut, quocumque haec loco suppeditetur, ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest:

Patria est, ubicumque est bene.

Socrates quidem cum rogaretur cuiatem se esse diceret, ‚Mundanum' inquit. Totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Quid T. Albucius? nonne animo aequissimo Athenis exul philosophabatur? cui tamen illud ipsum non accidisset, si in re
109 publica quiescens Epicuri legibus paruisset. Qui enim beatior Epicurus, quod in patria vivebat quam quod Athenis Metrodorus? aut Plato Xenocratem vincebat aut Polemo Arcesilam, quo esset beatior? Quanti vero ista civitas aestimanda est, ex qua boni

---

1. abesse patria] GR; *a patria* vett. editt. ante Gebhardum prob. Wes. — 6. quantum tandem a] sic correxit Dav. scripturam GR *quantum damna* prob. Wes.; *quantum demum* Or. Tr. — 10. Panaetius, Posidonius] de O. Heinii coni.; vulgo *Panaetius* collocatur post Carneadem. — 11. At est non sine ignominia. Eamne attingere sapientem?] de nostra coni.; libri fere optimi *At enim sine ignominia afficere sapientem;* Or. coni.: *At enim sine ignominia. Ignominia poterit afficere sapientem?;* Ma.: *At enim non erit sine ignominia. Ignominia afficere poterit sapientem?;* Be.: *At enim non sine ignominia. Ignominia afficere poterit sapientem?* aut *At est in nomine ignominia. An ea afficere poterit sap.?;* Wes.: *An potest ignominia afficere sap.? — At enim sine ignominia ** afficere sapientem* Tr. Kl. Ba. — 16. suppeditetur] cum GR Ti. Ba.; *suppeditet* ex aliis codd. Or. Tr. Kl.

sapientesque pelluntur? Damaratus quidem, Tarquinii nostri regis
pater, tyrannum Cypselum quod ferre non poterat, fugit Tarqui-
nios Corintho et ibi suas fortunas constituit ac liberos procrea-
vit. Num stulte anteposuit exilii libertatem domesticae servituti?
XXXVIII. Iam vero motus animi, sollicitudines aegritudinesque **110**
oblivione leniuntur traductis animis ad voluptatem. Non sine
causa igitur Epicurus ausus est dicere semper in pluribus bonis
esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus. Ex quo effici
putat ille, quod quaerimus, ut sapiens semper beatus sit. Etiamne, **111**
si sensibus carebit oculorum, si aurium? Etiam. Nam ista ipsa
contemnit. Primum enim horribilis ista caecitas quibus tandem
caret voluptatibus? cum quidam etiam disputent ceteras volupta-
tes in ipsis habitare sensibus, quae autem aspectu percipiantur,
ea non versari in oculorum ulla iucunditate, ut ea, quae guste-
mus olfaciamus, tractemus audiamus, in ea ipsa, ubi sentimus,
parte versentur: in oculis tale nihil fit: animus accipit quae vi-
demus. Animo autem multis modis variisque delectari licet, etiam
si non adhibeatur aspectus. Loquor enim de docto homine et
erudito, cui vivere est cogitare. Sapientis autem cogitatio non
ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. Etenim si **112**
nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti similis adimat?
Nam illud Antipatri Cyrenaici est id quidem paulo obscenius,
sed non absurda sententia est: cuius caecitatem cum mulierculae
lamentarentur, *Quid agitis?* inquit. *an vobis nulla videtur volup-
tas esse nocturna?* Appium quidem veterem illum, qui caecus annos
multos fuit, et ex magistratibus et ex rebus gestis intellegimus
in illo suo casu nec privato nec publico muneri defuisse. C. Drusi
domum compleri a consultoribus solitam accepimus: cum quorum
res esset sua ipsi non videbant, caecum adhibebant ducem. Pueris
nobis Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat nec
amicis deliberantibus deerat et Graecam scribebat historiam et
videbat in litteris. **XXXIX.** Diodotus Stoicus caecus multos **113**
annos nostrae domi vixit. Is vero, quod credibile vix esset,
cum in philosophia multo etiam magis adsidue quam antea ver-

---

22. id quidem] *id* adieci. — 28. a consultoribus] GR; *a* omittit Or. — 32. videbat] GR; *vivebat* volebat Be. — 33. vix esset] GR; *vix est* de Bak. coni. Ti.

saretur et cum fidibus Pythagoreorum more uteretur, cumque ei libri noctes et dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat, tum quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae munus tuebatur verbis praecipiens discentibus, unde quo quamque lineam scriberent. Asclepiadem ferunt, non ignobilem Eretricum philosophum, cum quidam quaereret, quid ei caecitas attulisset, respondisse, puero ut uno esset comitatior. Ut enim vel summa paupertas tolerabilis sit, si liceat quod quibusdam Graecis cotidie, sic caecitas ferri facile possit, si non desint subsidia vale-
114 tudinum. Democritus luminibus amissis alba scilicet discernere et atra non poterat; at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat et sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri etiam animi aciem aspectu oculorum arbitrabatur, et cum alii saepe quod ante pedes esset non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret. Traditum est etiam Homerum caecum fuisse. At eius picturam, non poësim videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, quae acies, quod remigium, qui motus hominum qui ferarum non ita expictus est,
115 ut quae ipse non viderit nos ut videremus effecerit? Quid ergo? aut Homero delectationem animi ac voluptatem aut cuiquam docto defuisse umquam arbitramur, aut, ni ita se res haberet, Anaxagoras aut hic ipse Democritus agros et patrimonia sua reliquissent, huic discendi quaerendique divinae delectationi toto se animo dedissent? Itaque augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poëtae, numquam inducunt deplorantem caecitatem suam. At vero Polyphemum Homerus, cum inmanem ferumque finxisset, cum ariete etiam conloquentem facit eiusque laudare fortunas, quod qua vellet ingredi posset et quae vellet attingere. Recte hic quidem: nihilo enim erat ipse Cyclops quam aries ille prudentior.

116 **XL.** In surditate vero quidnam est mali? Erat surdaster M. Crassus, sed aliud molestius, quod male audiebat, etiam si,

---

16. **in infinitatem**] sic cum vetustissimis editt. et codd. aliquot La. ceteri; *in* omittunt GR. — 18. **poesim**] corr. Wes; vulgo *poesin* cum GR. — 26. **dedissent**] GR; *dedidissent* Or. — 30. **attingere**] sic cum codd. aliquot Ma. Or. Kl. Ba.; *attingeret* cum GR Tr.; *attingere. Et recte hic quidem.* La. prob. Wes.

ut mihi videbatur, iniuria. Epicurei nostri Graece fere nesciunt nec Graeci Latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi, omnes denique nos in iis linguis, quas non intellegimus, quae sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. At vocem citharoedi non audiunt. Ne stridorem quidem serrae tum, cum acuitur, aut grunditum, cum iugulatur, suis, nec, cum quiescere volunt, fremitum murmurantis maris. Et si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, antequam hi sint inventi, multos beate vixisse sapientes; deinde multo maiorem percipi posse legendis his quam audiendis voluptatem. Tum ut paulo ante cae- 117 cos ad aurium traducebamus voluptatem, sic licet surdos ad oculorum: etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret.

Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit, prematur etiam doloribus acerrumis corporis. Qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem; sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent, quam ut causa tanta sit cur ferantur, quid est tandem, di boni, quod laboremus? Portus enim praesto est, quoniam mors ibidem est, aeternum nihil sentiendi receptaculum. Theodorus Lysimacho mortem minitanti, *Magnum vero,* inquit, *effecisti, si cantharidis vim consecutus es.* Paulus Persi deprecanti ne in triumpho duceretur, *In tua id* 118 *quidem potestate est.* Multa primo die, cum de ipsa morte quaereremus, non pauca etiam postero, cum ageretur de dolore, sunt dicta de morte: quae qui recordetur, haud sane periculum est ne non mortem aut optandam aut certe non timendam putet. **XLI.** Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis optinetur: *Aut bibat,* inquit, *aut abeat.* Et recte: aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat. Sic iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Haec eadem, quae Epicurus, totidem verbis dicit Hieronymus.

---

1. Epicurei nostri] libri fere omnes; de Dav. coni. delent *Epicurei* Tr. Ba., includit Or. — 3. omnes denique nos] de nostra coni.; GR *omnesque id nos;* delent *id* Tr. Ba., includit Or., tuetur Kl. incluso v. *surdi; omnesque item* de Ma. coni. La. prob. Wes. — 17. causa tanta] de nostra coni.; vulgo *tanta* abest. — 19. ibidem] GR; uncis includunt Or. Tr. Kl. — 22. Persi] GR; *Persae* Or. — 28. optinetur] GR; *obtinet* Dav. Or. Tr.

119 Quod si ii philosophi, quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat, omneque, quod honestum nos et laudabile esse dicimus, id illi cassum quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant, tamen semper beatum censent esse sapientem, quid tandem a Socrate et Platone profectis philosophis faciendum iudicas? Quorum alii tantam praestantiam in bonis animi esse dicunt, ut ab his corporis et externa obscurentur; alii autem haec ne bona quidem ducunt, in animo reponunt omnia.
120 Quorum controversiam solebat tamquam honorarius arbiter iudicare Carneades. Nam cum quaecumque bona Peripateticis, eadem Stoicis commoda viderentur, neque tamen Peripatetici plus tribuerent divitiis, bonae valetudini, ceteris rebus generis eiusdem quam Stoici, cum ea re, non verbis ponderarentur, causam esse dissidendi negabat. Quare hunc locum ceterarum disciplinarum philosophi quemadmodum optinere possint ipsi viderint; mihi tamen gratum est, quod de sapientium perpetua bene vivendi facultate dignum quiddam philosophorum voce profitentur.

121 Sed quoniam mane est eundum, has quinque dierum disputationes memoria comprehendamus. Equidem me etiam conscripturum arbitror — ubi enim melius uti possumus hoc cuicuimodi est otio? — ad Brutumque nostrum hos libros alteros quinque mittemus, a quo non modo impulsi sumus ad philosophiae scriptiones, verum etiam lacessiti. In quo quantum ceteris profuturi simus non facile dixerim; nostris quidem acerbissimis doloribus variisque et undique circumfusis molestiis alia nulla potuit inveniri levatio.

---

4. tamen] de La. coni. Tr.; *et tamen* GR; *ei tamen* de Wes. coni. Kl. Ba.; *et* includit Or. — 6. iudicas] de nostra coni.; *vides* GR; *putes* Or.; *putas* de Mad. coni. Tr. Kl. Ba. — 7. obscurentur] cum codd. aliquot et editt. vett. Or. Tr. Kl. Ba.; GR *observant; obruantur* de Be. coni. Dav. 2. — 13. dissidendi] ex paucis codd. et editt. vett. prob. Be. Or. Tr. Ba; GR *desiderandi; discrepandi* Kl. — 22. philosophiae] ex Nonio Tr. Kl.; *philosophas* cum GR^1 Or. Ba.; *philosophicas* cum codd. plerisque editt. vett. — 24. simus] ex R^2 Ba; ex vett. quibusdam editt. Or. ceteri; libri *sumus*. — ibid. dixerim] ex G Ba.; vulgo *dixerimus*.

Codex Gudianus 294
cum
huius editionis contextu conlatus.

Duas codicis manus sic distinxi, ut quod eodem atramento correctum est, *a* littera, quod diverso, *b* littera significarim; si non constabat, utrius manus esset, ? addidi. — Ubi mea conlatio differt ab Halmiana, parenthesi adieci *sic*. Nihil fere omisi nisi, cum notari nihil intererat, vel ę (ae) et e vel c et t vel i et l permutata.

Liber I.

1. 2 retuli (*alibi* rettuli) 24 archilocus h *superscr. a*
2. 1 CCCCX *sillabam* uf *inter* C *et* X *superscr. a* 2 gaio *ibid.* claudo i *superscr. a* 3 cōſ *pro* consulibus 5 enim *omittit* 8 marco 11 nec tamen sic 19 graecis *ibid.* temistoclesque 20 annos *ibid.* liram 24 ad nos 29 catonem *pro* Carbonem
3. 3 possimus *corr. a in* possumus 7 it *corr. a in* id 15 scientiae copia 16 commotus *pro* cum motus *ibid.* socratis *pro* Isocratis *ibid.* rethoris, *ut fere semper* *ibid.* dicere *omisso* docere 22 dedimus *pro* inpendimus *ibid.* scolas, *ut plerumque* 24 cumplures *corr. a. in* complures *ibid.* possim 26 lubebam *pro* iubebam 27 at id 28 scolas 29 his, *sed* h *puncto infra et supra notavit a* (*sic*) *ibid.* audiri
4. 4 hisne *et deinde* his 8 hi *bis* 9 *post* miseri *interrogationis signum additum* 24 tantulus *pro* Tantalus 25 sisyphius 33 ante haec *corr. b* (?) *in* an tu haec
5. 3 *deest* M. 4 *deest* A. 6 *deest* M. *ibid.* dissenentium *corr. b* (?) *in* dissonantium *pro* disserentium 8 *pro* A. *habet* M. 9 *deest* M. 11 prossus 12 hi *pro* ii 15 *deest* M. 16 *deest* A. 19 A. Quid tandem? M. quem esse 21 tum *addit ante* eum 24 deest A. *ibid. deest* M. *ante* Crassum *ibid.* illa ſ *superscr. a* 25 Gn. *pro* Cn. 27 *hinc deficiunt personarum indicia*

6. 4 recordare 11 catilini 12 sepulchra, *ut semper, quod notare posthac supersedeo* 22 alios et *pro* alio, si 32 ecqui *pro* ecquid 33 conditione, *ut fere*

7. 5 epicarmi h *superscr. a* 10 epicarmi 12 estimo 13 adnosco g *superscr. a* *ibid.* graeco *corr. a in* graecū *ibid.* et quoniam 16 *desunt verba* sed etiam maiora molior 19 *desunt verba* nihil est 22 idē *pro* id est 29 babeo *pro* aveo 31 te *superscr. a* (?) 32 non me, *sed primo ductu* m *litterae punctis notato* (*sic*) *pro* non

8. 7 hi *pro* ii 9 paratimus *pro* parati sumus, *sed* su *superscr. a.* 12 putant 16 *verba* aut ubi — cor ipsum animus *in margine inferiore addidit a* 17 *h. l.* vaecordes a *littera puncto notata* (*sic*) 20 sufusum f *superscr. a* 25 nomen *pro* nomina 29 multi *pro* nonnulli 31 armonia

9. 4 verum *pro* ullum 5 pytagorae 6 animam 7 separare *pro* ei parcere 8 suis *omittit* 9 dicearcus h *superscr. a et sillabas* archus *repetitas confodit* 10 chorinthi *ibid.* dictorum *pro* doctorum 11 disputatium n *superscr. a* pthiotam 22 cōplexus n *littera erasa* (*sic*) 23 esset, e qua, *sed* e *praepositio tribus punctis supra notata et in margine eadem manu* ∴de *scriptum, ut non liqueat utrum* esse de *an* esset de *voluerit* (*sic*) 25 agi n *superscr. a* 28 endelecheian *ibid.* appellant n *littera confossa et punctis notata*

10. 3 *h. l.* rotundis 7 diudicare (*sic*) v *super tertium* i *scr. a* 9 possit *corr. a in* posset 16 aut *ante* sanguis *superscr. a* 17 tempore *pro* corpore 32 *h. l.* immortalitate, *multo saepius* inmort., *quod non iam notabo*

11. 5 concessimus con *sillaba in rasura* 10 potes *corr. ex* potest t *eraso* 11 *h. l.* obtenebis 12 me *pro* ne 17 ab ortu *pro* a primo ortu 18 cercebant n *super alterum* c *scr. a* 19 priscis *pro* in primis 21 idquae *confossa* a *littera* (*sic*) 22 cerimoniis (*alibi* caerim.) 24 inexpiabile 28 et permaneret tamen 29 diis *ibid.* fame *pro* famae 32 fame

12. 1 inhocadmi *scripto* c *super* a *pro* Ino Cadmi 5 ex his 6 dii *ibid.* nobis *pro* a nobis 7 reppericntur, *ut saepe* *ibid.* demonstrantur *corr. a ex* demonstrentur 10 tractare coepissent *ibid.* phisica 12 cognoverunt 13 hisque 16 tam fit *pro* tam sit 18 diis 20 consensus efficit

13. 2 maxume 3 ait *omisso* ille *ibid.* in sine phebis 6 conseret *pro* non seret 21 in *ante* mentibus *superscr. a* 23 *h. l.* exsistit *ibid.* quod, *sed* d *punctis notatum* 25 principus ib *superscr. a* *ibid.* quod *corr. a in* quid 28 pinxit *pro* pauxit 29 ab his 31 *verba* decoret nec funera fletu faxit *omittit*

14. 1 putas *pro* poëtas 3 nomen *omittit* 4 his 8 arbitrabimur 15 ingnoratio 17 hisque 18 raeliquam 20 con-

sensu *pro* consessus 30 necyia *ibid.* nepsyomantia 31 vicia *pro* vicinia

15. 1 apertae hostio 2 alte *pro* altae *ibid.* salso sanguine *ibid.* imagines mortuorum 6 revocare 8 quot litteris exstet 9 syrus 13 disciplina 16 discriptionibus 18 dedicisse 26 eodem ipso

16. 3 centron 5 umida h *superscr. a* 7 mari 8 ille superioris 9 calestem 13 spiritales 14 quidam sit *ibid. h. l.* subtiliter 15 non nominata magis quam non intellecta 16 integriore *corr. a in* integriora 17 animus *pro* dabimus *ibid.* veta *pro* vegeta 26 harmonian

17. 2 si *superscr. a* 4 videri *omittit* 8 ab his 9 callidior *altero* l *eraso* 13 Accidit 15 certe *omittit* 18 umidum h *superscripto, sed rursus eraso* 20 iunctus 22 Cum *pro* Tum 26 hisdem *ibid.* sustentatur n *superscr. a* 28 his

18. 4 patriam 8 se *omittit* 10 dilecti 13 lybiamque 15 licebat *corr. a in* licebit 23 *h. l.* intelligi 26 qui quod *ibid.* disimillimas 34 *h. l.* intersepta

19. 11 letio nubila (*sic*) 13 *h. l.* intelligi 17 loetabile 19 pytagorae *ibid.* ut enim veram rationem, *sed v.* veram *punctis notavit a* 24 dampnatos *ibid.* mortae, *sed* a *confodit ead. m.* 25 his 26 compraehendere 28 ut *pro* aut 29 uno *pro* vivo

20. 2 nisi enim *pro* si enim 3 et deum ipsum et divinum animum 4 dicearchus 13 *h. l.* quidquid 10 tributum a deo sit hoc se ipsum posse cognoscere 20 de re. p. 21 et *addit ante* aeternum 22 alicunde 29 nec *eraso* c 30 nec se *omisso* ex

21. 2 vel concidat *pro* ut non concidat 3 necesse est *ibid.* qua primo *omisso* a 7 citetur 9 se ipsam semper moveat 10 plebei *ibid.* hi 14 illum *pro* illud 18 sim passus 26 nihil esse et, *sed alterum* e *in* esse *punctis notatum et duae voces linea iunctae* (*sic*) 27 naturam 29 *h. l.* appeteret 30 sed *omittit*

22. 2 respondit 8 respondem *pro* respondentem 11 ennoias 15 esset *pro* esse *ibid.* quale *EIΔEAN* 17 adnoscere g *superscr. a* 20 colligit 23 illud quod 24 naturam *pro* natam *ibid. CIMΩNIΔHC* 25 quanta his h *eraso* *ibid.* pyrro 26 ceineas *ibid.* carmadas 27 secpsius 28 omnium *pro* hominum

23. 1 anima sit ignisve 3 possem *ibid.* eum iurarem esse divinum 8 tamquam *litterae* āquā *in rasura* 10 *h. l.* intelligi 17 quid *ante* qui *omittit* 22 institutiones 27 tum ea *pro* cum ea 29 animus *pro* animo 32 spheram *ibid.* timeo

24. 3 sphera 16 enim *superscr. a* 18 quidem *omittit ibid.* intelligi potes 18 lactare 22 fierit 24 qui *pro* quidem 27 *h. l.* humore 30 his ipsis verbis 31 hoc *pro* sic

25. 2 *h. l.* humidum 6 sola *pro* tota *ibid.* inde, v *superscr. a* (uude) 11 *h. l.* intelligi 17 abeo h *superscr. a ibid.* ne is quidem 20 fortasse quamquam *sic conlocata* 22 modum *correxit b in* motum 28 temperationum 30 notantem et significantem 33 noeturnaque

26. 1 cultam 5 antixoona 15 ęaeli ac deorum eorum cultorem 18 his 21 non videas ut deum *in margine inferiore adscripsit b* (?) 22 agnoseis d *superscr. a* 23 omniaque 27 et natura *pro* ei natura

27. 2 ne interire *omisso* quidem 3 dirceptus 4 iunetione *pro* coniunctione 5 aductus 15 toto 15 velut domesticis vitiis 17 concoepissent *ibid.* his 20 ab his 21 his 27 quo his *pro* quod iis 31 reverteus

28. 1 iu rate *pro* ratis *ibid.* oratio *pro* ratio 5 tum *pro* tunc 11 voluptate a *praepositionem superscr. a* 14 in quantum *pro* iuquam tum *ibid.* avocamus 15 cogitamus ta *litterae confossae* 16 necquicquam *pro* eequidnam *ibid.* emori *pro* est mori 17 mihi eredidis iungamusque 22 ut hi 24 si liberetur 29 certe sed *pro* certe sit

29. 2 ulla uti *pro* ulla ullius 7 contempnit, *ut saepe ibid.* accerrume 8 *h. l.* immortalitatem 9 mitylenis 12 non (ũ) *in rasura* 13 si ista sit 15 animis *pro* uimis 18 si minus *pro* simus 26 ideirco non dant *pro* id vero non dent

30. 2 *h. l.* affert 7 dicautur 8 partibus his 9 quas his *pro* quas is 11 rationis, e *super* i *scripsit a* 12 *h. l.* exstat 14 *h. l.* obtundant 17 adhibitum *correxit b in* ad habitum 18 in his 19 faciant 20 nascatur *ibid.* similitudines *pro* dissimilitudines

31. 5 democritici 7 an quoniam *pro* an quod 9 et falsum *pro* sed falsum 12 omnibus his 19 ecquidem 20 phtolomeo 21 scolis *ibid.* quo multi his auditis 23 theombrotum *ibid.* accedisset 25 helesiae *ibid.* *AIOKAPTEPON corr. in AITOKAPTEPON* *ibid.* quod *pro* quo 27 id *pro* idem 28 quam ille *superscr. b.*

32. 1 *h. l.* solatiis 4 honoratus 5 quibus *omisso* e 16 inflamari 19 ista vel *pro* ista vi 25 fortuna, tum *superscr. b* (?) 26 discessis, set *superscr. a* (?) 28 relinquisset

33. 1 omues auctoribus *ibid.* possiderentur *pro* obsiderentur 6 ut *pro* aut 7 sint *ex* sunt *corr. rasura* (*sic*) *ibid.* certe 17 num aut si 18 sit quid dixerit *pro* id quis dixerit 20 praemendum 21 arguendum *pro* argumentum 23 *h. l.* suspicio (*litterae ici in rasura sunt*) 30 Ea re *omittit*

34. 1 *h. l.* intelligi 3 *h. l.* subtiliter 5 nec carere qui-

dem 9 concurrerint 10 lucius 12 pirrho 14 geminium *ibid.* Latina *pro* Litana 15 gracum *ibid.* ne, *sed littera, ut videtur,* u (neu) *deleta* 17 Ad *corr. in* At 19 odium, os *superscr. a* 25 hyppocentaurum 30 urbem nostram

35. 1 ut posteritatem 3 animam 5 etiam *bis scriptum, sed alterum confossum* 6 Natura vero se sic habet 18 curet autem 20 in *ante* eius *omittit* 22 ad ea 25 *h. l.* conditione 26 quaerendum 29 ad id 31 sepius

36. 1 autem *superscr. a* 2 et acta *pro* exacta 4 hominis 5 quae ve, ro *super* ve *scr. a* 10 auita *pro* ita aut 13 hora VIIJ 15 Confert 18 Contempnamus 19 *h. l.* inponam 22 *post* ponamus *addit* iussu tyrannorum *ibid.* molestissimis *pro* mollissimis 23 caldeorum 24 mus, su *superscr. a* (sumus) 28 Qua me 32 quod sonitu *ibid.* aridens d *superscr. a*

37. 1 in *ante* conviviis *omittit* 3 qui *pro* cui 4 mortem meam 6 Vadit enim in 7 paucis pos, t *litteram superscr. a* 8 ΘΗΡamenΗC 15 placlatissimam *sive* pladatissimam 16 *h. l.* dii *ibid.* repperiri 17 si *ante* similis *omittit* 23 Aiacem *pro* Aeacum *ibid.* convenere *corr. in* convenire *ead. m.* *ibid.* iuste cum fide 25 museo 28 palaedem m *superscr. a* 29 iniquorum ventos 32 hi *pro* ii

38. 4 his *pro* iis 5 condempnatus 8 *h. l.* dii 10 aut *pro* haud *ibid.* mallim (*alterum* l *in rasura*) 15 intellegamus quae, *sed* a *puncto notatum* 17 miseriae *omittit* 18 socratem et aut theramenem 19 lacedemonius 22 contempnisne 23 lygurgi 28 saepe *superscr. a* 30 lacedemonii *ibid.* thermopilis *ibid.* in quo *pro* in quos 34 Semidam *pro* Leonidas *ibid.* ducit *rasura corr. in* dicit *ibid.* pergite *pro* prandete *ibid.* lacedemonii

39. 2 lygurgi 7 morte 9 cyreneum 15 dificilem *alterum* f *superscr. a* *ibid.* his *pro* iis 22 me *pro* mei 23 natus ne *litteras superscr. a* *ibid.* videtur 24 me *superscr. a* *ibid.* nemo vestrum *bis scriptum, sed altero loco confossum* 26 et is quidem *pro* si quidem *ibid.* idem *omittit* 29 Quid poteris 31 lamsaci *ibid.* moretur

40. 8 meret 10 curro 13 hectorem 16 suspenso 17 age *omittit* 18 praessisset (*sic*) *pro* pressis et 25 semiassi reis 27 septenarios 29 poeniuntur v *super* oe *scripsit a* *ibid. h. l.* exsecratur

41. 5 omnia *pro* omni 6 quam essent 7 sentirent *ibid.* sed *omittit* 12 *ante* erudierit *sillabae* crudi *erasae* 13 opinionis *ibid.* animadvertam *littera, ut videtur* ı, *inter* m *et* a *erasa* 18 supplicos *pro* publicos 21 *h. l.* colligit *ibid.* crysippus 23 contempnendus 27 id *superscr. a*

42. 5 summis *pro* suis 6 habent n *eraso* 7 expectatur *ibid.* Igitur *omittit* 10 publi, cae *superscr. a* 12 Salaminam

ibid. salamini 13 tropei h *superscr. a* (*sic*) *ibid.* bootia *ibid.* quae *pro* quam 14 luctricae e *superscr. a* *ibid.* desseret 18 anima *ibid.* refert *pro* res feret 21 tam *superscr. a* 23 olimpionices 28 *h. l.* tres

43. 1 *h. l.* suspicio 2 iu his 7 ratione *pro* oratione 9 rethorum 10 iam *superscr. a* 13 habeo *pro* aveo 16 argiae *ibid.* binoto *pro* Biton 18 statutum *pro* statum 19 iuvenis hi 20 vestae, *sed a puncto notatum* 22 praecata *ibid.* ut illis 25 praecatione 26 apolloni 31 *h. l.* dii *ibid. h. l.* caeteros

44. 5 humaua 7 omnes *ibid. h. l.* exsequi 8 terinaneum 9 helysium *ibid.* maeret 10 sichomantium 13 laeto 15 *h. l.* diis immortalibus 16 Alchidamus — rethor 17 constet 18 rationis 19 *h. l.* colliguntur 20 clare *ibid.* mortis 21 gloriose rethoribus *ibid.* beate 22 erectheo *ibid.* cupidae 23 Codrum *pro* et Codro 26 pretermittitur *ibid.* quidem *pro* qui item 28 iubet *pro* iubens *ibid.* propriora' 29 est *omittit*

45. 6 nostri *omittit* 7 peremit 8 conhibentem *pro* coniventem 15 Merorem 19 plene in uostram 22 *h. l.* diis immortalibus 28 sine reflantibus 32 qui idem *pro* quidem

46. 2 quos *pro* quot 4 omni philosophia

Liber II.

46. 4 nil, hi *superscr. a* 5 in *omittit* 8 ut *ante* Neoptolemi *superscr. b* 10 sed non tantos 12 libereutur

47. 3 orendum h *et* r *litteras superscr. a* 4 conparat (*sic*) 11 obruereutur ru *in rasura a* 13 exortus *ibid.* his ipsis 14 quid, *alterum* i *superscr. a* (qui id) 21 a *omittit* 23 ortensio h *superscr. a* *ibid.* achademia, *ut fere semper* *ibid.* acurate c *superscr. a* 24 achademicis *ibid. h. l.* quatuor 29 ortor h *superscr. a* 30 graecia *ibid.* praeferant *pro* traferant 32 maiores, maio *in rasura a* (*sic*) 34 senescat rebus

48. 3 Quod hi 6 qui *superscr. a* 7 ad *omittit* 8 refelle *corr. in* refelli *ead. m.* 9 iracondia v *super* o *scripsit a* 14 confluxerunt 15 adibita h *superscr. a* 17 apellari p *superscr. a* 18 coutempno 22 hi *ibid.* ne *omittit* 24 quidem *pro* qui idem 29 hi 31 id *superscr. a*

49. 2 disserendi *ultima sillaba in rasura a* 4 iuveuire (*sic*) 5 ercitatio ex *superscr. a* *ibid.* qua *corr. ex* quia i *eraso* (*sic*) 7 rethorum 9 datum d *in rasura b* (?) 10 in eo

11 meridie 12 achademiam 13 disputumque ta *superscr. a* 15 inductus *pro* ductus 18 mei nimis 19 cogitantis 26 *h. l.* conplexa

50. 1 *h. l.* obtemperet *ibid.* ipsi 4 libidinem v *super* e *scripsit a* 7 habere 10 *h. l.* vult 13 est *superscr. a* 17 illud ac inprobe *pro* illud Accii: Probae 20 adque *corr. in* atque (*sic*) *ibid.* ut *superscr. a* 25 mundat his 26 *in margine personarum indicia habet*: l. 26 M, l. 28 A, l. 29 M, l. 30 A, *sed post* equidem *addit in textu* M, l. 32 A 29 decus *pro* dedecus 30 quidem *pro* equidem 32 esse *pro* esset

51. 1 recussandus *priore* s *eraso* 10 eri, h *superscr. a ibid.* si, c *superscr. a* 14 aristiphus 17 hieronimus *ibid.* secutus *deest* 18 preter *prius* r *in rasura a* 19 pyrronem *ibid.* quo modo *pro* quod modo 21 se *pro* scilicet 22 dicere *ibid.* depellere 25 summ, v̄ (um) *superscr. a* 29 sed *corr. ex* set 30 et si quis est

52. 7 ad id 12 ut sis 15 si forte *pro* si fortis est 19 dolorũ (ũ *in rasura a*) *ibid.* heiulantem (h *in rasura a*) 20 consolabantur 23 *h. l.* tetros 24 expecteus c *eraso* 25 qui (*littera, ut videtur*, s *erasa*) 26 sublim‿o i *eraso* (*sic*) 30 ita *in rasura a*

53. 1 trachinis 2 tentauri *ibid.* tonicam v *super* o *scripsit a* 3 at ille 7 eristeus v *inter* e *et* r *superscr. a* (*sic*) 9 hae, c *superscr. a* 11 aurit 13 si, c *superscr. a* *ibid.* orribili h *superscr. a* 14 interimor 15 ostilis h *superscr. a* 16 Gigantium 18 manitas im *superscr. a* 20 peragans r *superscr. a* *ibid.* icferitatem *ibid.* expulit 21 feminea *pro* feminae *ibid.* interenor m *super* n *scripsit b* 27 misere, re *superscr. a* *ibid.* miseras i *superscr. a* 30 sic feminata

54. 4 choruscam 8 nemaeus 10 taetra *littera post* a *erasa* 11 Plauit ca *inter* a *et* u *superscr. a* (*sic*) 16 obtutum 18 coepit 20 intolleranter *ibid.* escylus 24 clucet 25 eum *pro* et hunc 26 penasquae *pro* poenasque 27 facto c *littera erasa*

55. 1 Victmnque 3 ippiter v *superscr. a* 4 mulcebri 6 solertia *alterum* l *superscr. a* 7 tranverberatus s *superscr. a* *ibid.* incolo *in rasura a* 11 iecor 12 advolans 15 tetros 16 hunc *ibid.* maesti *littera post* i *erasa* 17 Qui *ibid.* uiu‿um *littera, ut videtur*, i *erasa* 19 voluere (*sic*) *pro* volucrem 20 vidi ius, *in margine eadem manus habet* vel viduus 23 adque *corr. in atque* (atque) 24 clades cl *in rasura a* 30 aguosco d *superscr. a* 34 anthenis n *eraso* *ibid.* scolis h *superscr. a*

56. 3 ab his 4 hac *pro* ac *ibid.* dyonisio 6 proprium nrī (*sic*) 9 *prius* Graecis *omittit* 16 dicuntur v *super* i *scripsit a* (*pro* eiciuntur) *ibid.* fixit n *superscr. a* 18 haec et a pueritia *ibid.* et discimus *pro* ediscimus 20 petis o *super-*

scr. a (poetis) 23 dedecus, ec *in rasura a* *ibid.* Rogo 25 qua maxumum 26 Quis igitur Epicurum seqnitur dolor 28 quod, *sed* d *confodit a*

57. 6 decepis 9 inquid *corr. a in* inquit (*sic*) 12 necne doleam nihil *in rasura a* 16 apellamus *alterum* p *superscr. a* 18 tollerarique, *sed prius* l *puncto notatum* 19 *post* gloriantem *addit* dum 20 onestum h *superscr. a* 22 aspernatur 27 furtunae *ibid.* ne malum quidem 28 illum v *super* i *scripsit a* *ibid.* nec si *ibid.* quidem *post* unum *omittit* *ibid.* sunt *pro* erunt 30 nihil est plane dolor *in margine superiore addidit a* 31 lamentare 32 dolere *ibid.* tum *pro* dum *ter*

58. 1 adherit h *eraso* *ibid.* intueris *pro* intuens 2 ductione in *superscr. a* 3 contempnendus 5 temere *omittit* 7 enontiante v *super* o *scripsit a* 8 relinquentẽ (*sed videtur signum interrogationis esse*) 9 magnitudini *extremum* i *in rasura a* *ibid.* gravitate 11 audiens 13 sepeliendos v *super* o *scripsit a* 14 si quis *ibid.* relinquam, *sed* u *eraso* 19 philotetam e *superscr. a* *ibid.* discere *pro* discedere 21 in lecto umido (umi *sillabae in rasura a*) 23 multum 26 exorna us, m *inter* a *et* u *superscr. a littera, ut videtur,* r *erasa* 27 sumus, su *sillaba in rasura a* 29 resiste, iste *sillabae in rasura a* 30 sive Iuppiter *omittit*

59. 1 lygurgi 2 correndo v *super* o *scripsit a* 5 quorum uno modo 10 differt *pro* differunt (ert *sillaba in rasura a*) 13 graeculli (*sic*) *pro* Graeci illi 16 habundare h *eraso* 20 dolorem 21 efficiat *ibid.* illi quae *ibid.* puplicarum *pro* publicarum 23 Sparciatae 27 palaestra, *sed priore* a *confosso* *ibid.* eurota 28 militia in studio est

60. 3 Militiam *pro* In militia 4 iter *omittit* *ibid.* admodum ad tibiam 5 anapestis 8 scutum *duabus litteris inter* s *et* c *et inter* t *et* u *erasis* (s cut‿um); *videtur* sicut eum *vel* sicut eum *fuisse* *ibid.* onere *in rasura a* 9 laceratos *altero* a *eraso* 11 si usus foret 14 adduc *alterum* d *in rasura a* (*videtur* adhuc *fuisse*) 16 tyronum 17 contempnere 21 medicũ modo, cũ mo *sillabae in rasura a* 22 E. *omittit* *ibid.* inquit, t *in rasura a* 28 aesculapii 29 P. *omittit* *ibid.* cyrypylus *ibid.* hic quidem ẽ *ibid.* hominem *pro* heu 31 luctũ *ibid.* continnatus

61. 1 adferat 2 quur *pro* cur 3 E. *omittit* *ibid.* exitum i *superscr. a* 6 cubiculi 7 vidimus *pro* vidi minus 9 P *et* 10 E *omittit* 10 haec fari *pro* ecfari 12 alliga 14 haectoris 17 hae, c *superscr. a* 19 exercitationis loqnor nondum de ratione *eadem manus in margine superiore addidit* 21 tridium *ibid.* athletae *media sillaba in rasura a* *ibid.* iovem *bis habet* 22 inplorabit *ibid.* se *omittit* 24 in nive in montibus *ibid.* inde *pro* vide 25 ingemescunt *corr. a in* ingemiscunt *ibid.* quibus *superscr. a* 26 consolatus

62. 2 plaga 5 his *pro* iis *ibid. post* se *littera erasa* 6 gradiator *ibid. h. l.* vultum 13 adhuc *pro* haud 15 poterit i *puncto notavit et* a *superscr. a* 20 interpellaem 24 permauentibus 27 eius (eĩ) *pro* aio *ibid.* tollerabilem, *sed alterum* l *puncto notatum* (*sic*) 28 adtiugam, *sed* d *in* t *mutavit b* (*sic*) *ibid.* qđ, *sed* đ *puncto notavit et* vo *superscr. b* 30 magua animorum 31 tolleranter

63. 2 atquiu 4 uana, *sed prius* a *confossum* *ibid.* nominate suut (*sic*) *ibid.* apellata 9 quaereutes, *sed litteras* utes *punctis notavit et* s *superscr. b* 12 monet et, *sed* et *punctis notavit b* *ibid.* negglego, *sed prius* g *puncto notav. b* *ibid.* inquid, *sed* d *puncto notav. et* τ *superscr. b; eodem modo l.* 14 15 iterandum *ibid.* ista 16 *h. l.* intelligo *ibid.* brevi 17 qđ, *sed* đ *puncto not. et* vo *superscr. b* *ibid.* contempno 19 philoctatae, *corr. b in* philoctaetae 21 summis, v *super* i *scripsit b* *ibid.* capud, τ *super* d *scr. b* 23 inquid, *corr. b ut* l. 12 *et* 14 28 quicum plures *pro* qui complures 30 sciat, *sed* t *punctis not. et lineolam super* a *duxit b* 31 brevem in tempore *ibid.* prosus, r *superscr. b* 32 cogamus, que *superscr. b* (?) 33 querenda *ibid.* maxsumum, *sed* s *punctis notav. b* 34 dixerit *radendo corr. ex* duxerit

64. 3 ab his 7 Tume *corr. b in* Tune *ibid.* olymphiae 10 et *post* constauter *superscr. b* 12 multumetu *corr. b in* multi metu *ibid.* atatãmultis *pro* a tam multis 13 pitiatur, a *super prius* i *scr. b* 17 utar (r *in rasura*) 18 homine *ibid.* optimum, u *super* i *scr. b* 19 perfectum, *corr. b in* profectum 21 onesto 22 tetrum *ibid.* nil *altero loco* 25 dedecorē ali *corr. b in* dedecore mali *ibid.* utute, t *superscr. b* (ut tute) 27 duos, *sed* s *puncto notatum* *ibid.* insite, c *superscr. b* 33 senile sed aliud *pro* si nihil esset aliud *ibid.* presto 34 connexa

65. 2 *h. l.* obedire 8 adac *corr. b in* acad *pro* atque 11 lamentator 12 pocius *corr. b in* potius 13 peditentim (*extremam litteram* ĩ *corr. b, ut videtur, ex* ẽ) *ibid.* inquid d *confod. et* t *superscr. b* *ibid.* ite et *pro* et *ibid.* nisi, v *super* ı *scripsit b* 18 fuerunt *corr. b in* ferunt (*sic*) 19 dubitarunt 21 ictu *ibid.* poenae *pro* paeue 22 consuetus 24 ferrendi 25 adque *corr. b in* atque 27 retinete ne, *bis* te *superscr. b* (retinete teuete) *ibid.* opprimite 29 lico i *addidit b* (ilico) *ibid.* desint i *superscr. b* 31 mittitte *alterum* t *confod. b* *ibid.* atrectatu

66. 1 ut *corr. b ex* et *ibid.* sedeatus e *confod. b* (sedatus) 5 additis v *superscr. a* (additus) 7 pudens r *superscr. b* 8 in quo viro 9 videmus 10 futuris v *superscr. b* 12 filis i *superscr. a* 13 suscitabitur 17 obversetur *ibid.* honeste vero 18 consscins *prius* s *puncto not. b* 19 de naxarco h *superscr. a* (*sic*) *ibid.* democricio *ibid.* cyrri 20 timocreontis 21 nequae recussavit *prius* s *expunxit b* (*sic*) *ibid.* callanus 22

natus *extrema littera recentior* 23 dolore *corr. b in* dolere 26 mollicia 27 G Marius 28 alligari 29 p̃tea (postea)

67. 4 pacientia 8 hac timidus h *conf. et expunx. b* 9 ob eam causam 11 se *superscr. b* *ibid.* examinati lacent 14 simille e *in* i *corr. et* me *superscr. b* 15 praessum 16 remissio, no *superscr. b* 17 persequentis 19 maximi *corr. b. in* maxume 20 muliebriter ne *pro* muliebriterve (*sic*) 24 nec ingemescit 27 adlaetae *pro* athletae *ibid.* pugilles *alterum* l *expunx. b* 28 ingemescent 29 profunda, deu *superscr. b*

68. 1 le, ge *superscr. b* (lege) *ibid.* dieceret 8 quae quidem *ibid.* gimitus *corr. b in* gemitus 9 adferent 10 turpe 14 eadem 15 de *superscr. b* 16 opmittamus, *sed* p *punctis not. et conf. b* 21 sumus, *sed prius* u *expunx. et* ı *superscr. b* 22 at *ante* veram *corr. b in* ad *ibid.* adque *corr. b in* atque 23 proelis i *superscr. a* *ibid.* viro *corr. b in* viri 25 videbat n *superscr. b* 27 met, ṽ *superscr. b* (metum) *ibid.* mobilitas *corr. b in* nobilitas 28 epaminoundã *extremam litteram correxit b* 29 lacedemoniis 34 dionisius *ibid.* a zeno, ne *superscr. a*

69. 1 deductus 3 tum *pro* cum *ibid.* cleantes *ibid.* condiscipulis *corr. b in* condiscipulus 5 Qui cum tanto opere 6 si *omittit* *ibid.* tamen *pro* tantum 7 consumsi 8 tunc clehantem 9 epigoneis 11 amphiare 13 nr̃t (*sic*) possidonius 14 secum *pro* se, cum 15 possidonium 19 dixsisset 20 inquid *corr. a in* inquit *ibid.* necomitam t *superscr. a* (*pro* nec committam) 24 sepae *pro* saepe *ibid.* dixsisse 26 contempno *pro* contentendo, *sed spatio relicto et puncto posito* *ibid.* ficunt *pro* fiunt 27 ut *pro* et 28 magnos honos *ibid.* ab his 30 potessunt *corr. b in* petessunt

70. 2 cucurrerunt *ibid.* hi qui *ibid.* ad *ante* haec *additum expunxit b* 3 colligebant 4 xenofontem 5 esse *ante* aeque *addit* 7 haec *corr. b in* hoc *ibid. h. l.* vulgus *ibid.* insipientium *corr. ex* insipientum *duabus manibus* *ibid.* valet, a *superscr. b* 8 videri 9 iudicio *corr. b ex* iuditio 11 luditio 12 iuditio *extremam litteram corr. b ex* ũ, *ut videtur* 15 animi *post* altissimam *addit* 16 contempnendis *ibid.* dolorem, em *expunxit et* ibus *superscr. b* 18 sed tamen, d *confod. b* 24 dixisse, e *superscr. b* (dixi esse) 25 sepe 26 pp̃t *pro* propter *bis* 32 non quaeunt *pro* non queunt *ibid.* Gretia, a *punctis not. et confod. b*

71. 4 videas, vi *ex correctione b* 6 sic quicquid, *sed* c *vocis* sic *punctis not. b* 7 apellari 8 unusquam t *superscr. b* (ut nusquam) 13 contempnamus 14 esterna h *superscr. a* 15 si *omittit* 16 presto *ibid.* metymnaeum 17 ille neptunii *ibid.* cursus s *expunx. et* r *superscr. b* 19 omitas *pro* omittat *ibid. h. l.* urguentibus 20 tanti non sint *ibid.* quo sint *littera*

inter n *et* t *erasa* *ibid.* ut *pro* tu 25 sic enim duximus *pro* sic animum induximus 29 optimis *corr. b in* optumis

---

Liber III.

72. 3 eius atque 4 desidera *pro* desiderata 6 pliribus *corr. b in* pluribus 7 iudicatus t *expunx. et* m *superscr. b* 11 aut erat 12 ratione hac doctrina, *sed* h *expunx. et conf. a* *ibid.* requiret, re *superscr. a* 13 depratis, va *superscr. a* 14 unusquam t *superscr. b* (ut nusquam) 15 semita *pro* semina *ibid.* adholescere, h *confod. b* *ibid.* licetret, *sed prius* t *expunctum* 18 poene 19 nutriscis, *sed* s *punctis not. b* 20 reddit idem *pro* redditi dein 21 opinio, ni *superscr. b* *ibid.* confirmata

73. 1 inherescunt *ibid.* penitus *corr. b ex* punitus 2 accessit *omittit* 4 naturam invidisse 6 prestantius 7 obtumus 8 una *ibid.* inquirit 10 glorie 12 excellente 13 gloriae *addit post* imago 14 rectae factorum 17 forme e *puncto not. et* ã *superscr. b* 20 everterent *ibid.* Adque *corr. b in* Atque 22 Quidque *pro* quid? qui 24 contigit, n *superscr. b* (*sic*) *ibid.* his *ibid.* nulla, ne *superscr. b* 26 an quod — corporis *in margine inferiore addidit b*

74. 2 solicitant *alterum* l *superscr. b* 3 pati *pro* poti 4 obmittam b *confod. b* 9 omnis *ibid.* passi sunt *ibid.* convalescunt, u *expunx. et* a *superscr. b* 16 ortensio 18 eaque *pro* ea quae (*sed scriptum* eaq.) 21 incademiam a *superscr. b* (in academ.) 22 aliquid *corr. b in* aliquē 23 quid adherant, *sed* d *et* h *confod. b* 26 libidines *superscr. b* 27 pathe 30 obtemperantis 32 usitate *corr. b ex* uisitate

75. 3 differt, ert *sillaba in rasura b* 4 tibine, *sed* ne *punctis not. b* 5 ammirari 7 socrantem, *sed* n *expunx. et confod. b* 9 quoniam, *sed* i *confossum* 11 idē *pro* id est *ibid.* et aegrotum animum 16 Nostri *omittit* *ibid.* enim *post* sanitatem *addit* 19 possit 20 ille, ud *super* e *scrips. b* 23 senisse 24 Qus (*sic*) ı *superscr. b, ut incertum sit,* quine *an* quis *voluerit* 31 reperitur, e *superscr. a*

76. 3 nulla 4 *h. l.* affecti *ibid.* insani, os *super* i *scrips. b* 6 hecfrenati, *sed* h *conf. b* 7 iracondia u *super* o *scrips. a bis* 9 non sint 10 Graecia, *sed* a *expunx. et confod. b* 11 manian *ibid.* appellant *ibid.* ipsa *pro* ipsam 15 melancholian *ibid.* hac non, *sed* h *confossum* 16 saepae, *sed alterum* a *expunctum* *ibid.* vel timore *superscr. a* *ibid.* dolorem', *sed*

m *punctis notatum* 20 esse incipit *pro* escit *ibid.* stultitia *ibid.* inconstantia 22 cultum c *in rasura b* *ibid.* usitatum *corr. a ex* uisitatum 26 questio *ibid.* praepositum *corr. b in* propositum 27 opinor *littera inter* u *et* o (i, *ut videtur*) *erasa* *ibid.* egritudinem 30 natura bile *pro* natura tractabile *ibid.* et *ante* tenerum *omittit* *ibid.* quiddam, ddam *in rasura b*

77. 1 quod *corr. b ex* qua 2 iu *inter* qui *et* nostra *omittit* *ibid.* achademia 3 iuquid *corr. b in* inquit *ibid.* his 4 qui *pro* quae *ibid.* ulle, e *expunx. et* a *superscr. b* 5 inquid *corr. b in* inquit *ibid.* fuerat *pro* fuero 7 contigit, n *superscr. b* *ibid.* inmanitatis *corr. b ex* immanit. 11 fybras 12 alta *ibid.* stirpes *corr. b ex* scurpes, *ut videtur* *ibid.* reliquetur 17 quam, *alterum* quam *in margine addidit b* (quamquam) 19 stoico rummore 25 atque 28 Vere *corr. b in* Veri *ibid.* cadit 30 demisionem *ibid.* quem, ẽ *in rasura b* *ibid.* cadunt, dт (*sic*) *in rasura b*

78. 3 qui magni animi *omittit* 5 affici af *in rasura b* (*ante* affici *sillaba* ad *erasa*) 10 si, c *superscr. b* (*sic*) 13 Ad *corr. b in* At 15 illi, ud *super* i *scrips. b* 16 *CΩΦPONA duas extremas litteras in rasura b* *ibid.* naappellant, na *confod. b* *ibid.* *CΩΦPOYNHN* C *superscr. b* 17 solo, e *superscr. b* (soleo) 19 frugralitas *posterius* r *confod. a* 20 apellant 21 ad *corr. b in* at 23 *ABΛABEIAN in rasura b* 25 his 27 pproter *prius* p *expunx. et confod. b et* p *inter* o *et* t *superscr.* *ibid.* relinquid *corr. b in* relinquit (*sic*) 28 depositi 29 p̱ter *alterum* p *supter scr. b* 32 omnis 33 et *pro* est

79. 2 semper quae *pro* semperque *ibid.* aversantem 4 *in margine habet lemma* Frugalitas 6 iussisse *pro* lusisse *ibid.* nil 7 nihil, *sed littera post* l *erasa* 8 qui scit, *sed* c *littera erasa* 9 esse *superscr. b* *ibid.* costans n *superscr. b* 12 iusite 13 quaeritur 16 recta, a *puncto notav. et* e *superscr. b* *ibid.* aliqđ *pro* aliud 17 quippiam 18 *in margine habet lemma* Quod sapientis animus semper vacet vitio 18 uatio *corr. a in* uitio 22 lesus 23 sit, t *expunxit et* id *superscr. b* (si id) 24 alíaeno 27 iracondia v *super* o *scr. b* *ibid.* aegritudone *corr. a in* aegritudine 28 in aegritudine 29 quae cum est 30 *in margine habet lemma* Ab invidendo invidentia dicitur *ibid.* rectae, a *confod. b* 31 dictum, v *super* ı *scr. b*

80. 1 Quasnam *corr. b in* Quisnam *pro* Quis non 3 flore rectius 4 lussuum *pro* ius suum 6 solet *pro* dolet *ibid.* theophratus, theoph *in rasura* s *superscripto b* 12 *in margine habet lemma* Quod in quem cadit misereri in eundem invidere 14 haec referre *pro* aegre ferre 16 si *pro* sic 17 aliquando *ibid.* sentiis, ten *superscr. b* 18 qui, i *ex corr. b* (*videtur* quã *fuisse*) 22 mediocre, iocre *in rasura b* *ibid.* magnum *pro* malum 29 *ΠAΘOC*, Θ *ex* O *corr. b* 31 aut, u *punctis not. et confod. b*

ibid. aegrotationes 32 genstiens *prius* n *expunx. et confod. b* 33 aegritudine 34 *in margine habet lemma* Quod sicut aegrotatio in corpore · ita aegritudo in animo nomen habet *ibid.* propriae *ibid.* egrotatio

81. 1 no, meu *superscr. b* (nomen) 5 repertãedendi, *ex lineola* m *fecit et super* e *scripsit b* (*sic*) 12 quatuor, t *superscr. b* 14 elata *littera initio vocis, ut videtur* a, *erasa* 15 altera cupiditas quae recte vel libido dici potest qnae est immoderata (*sic*) adpetitio opinati magni boni rationi non optemperans vel cupiditas recte (*corr. ex* rectae) vel libido dici potest *ibid. in margine habet lemma* libido immoderata appetitio 18 turbatur, n *superscr. b* 19 inpendentes, i *super* e *scripsit b* 21 ut *superscr. b* 23 quasi in vita 26 alias, ias *in rasura b* 29 omne

82. 1 socero *pro* socru 3 nanctus 4 inquid *corr. b in* inquit *ibid.* adire, i *in rasura b* *ibid.* illico *prius* l *expunxit b* *ibid.* istic 6 Vobis *omittit* *ibid.* heret 10 extabant, v *superscr. b* (extabunt *pro* extabuit) 11 humorem 12 situ nitoris *ibid.* pedore *ibid.* adque *corr. b in* atque 13 inluviae 14 aeota 15 in his 17 recentis 19 merore sed, d *punctis notav. et confod. b* 21 syracussis *prius* s *expunxit b* *ibid.* chorinthi 23 cum his *ibid.* tullerant *prius* l *expunx. b* 24 veientium, ientium *in rasura b* *ibid.* latiorum 25 aegritudinem, m *punctis notav. b* 30 genstiens, *sed prius* n *confod. b*

83. 4 tum *superscr. b* 6 opinionem *pro* ex opinione 8 in aegritudinem 9 aegritudine 15 Sciebam 18 thesseo 22 *alterum* aut *in margine addidit b* *ibid.* exilii maestem fugam 25 inparatum, atũ *in rasura b* *ibid.* lacerare trepens *coniunxit recte b* 27 enĩ *in rasura b* 28 genuisse *corr. b ex* tenuisse 29 his

84. 4 ammirari 6 saecundae 8 erumnam 10 pericula 11 filii 16 haec, oc *superscr. b* *ibid.* comtam v *super* o *scripsit b* (cum tam) 17 austum, h *superscr. b* 19 solita et, *sed* et *expunxit b* 20 socratam, en *super* am *scripsit b* 21 fros, n *superscr. a* *ibid.* que *corr. b in* quę (quae) 22 M *praenomen addidit b* *ibid.* risisse *prius* i *in rasura* 23 Iurae, a *expunx. et confod. b* 25 fieri. et *super* i *scr. b* 26 quidem, e *superscr. b* (equidem) 28 indico, co *in rasura b* 29 essent *pro* esset 30 subtilius 32 illa, i *in rasura litterae* u

85. 4 voluntariam *addidit b in margine extremo inferiore* 5 levatitionem 6 revocationem 7 Pareri 9 abstrait, h *superscr. b* *ibid.* aciem *pro* faciens 10 cecidit *ibid.* receptum pellit, i *inter* u *et* m *scripto correxit b* (receptui inpellit) 13 refertam putat, ert *in rasura et* tam *sillabae punctis notatae superscriptum* tam, *videlicet ne quis legeret* refert amputat 15 negglegamus *primum* g *expunx. et confod. b* 16 repraehendunt *ibid.* praemeditationum 17 optundet 19 conditionis 21 merea-

mus *ibid.* Nequae, a *expunx. et confod. b* 26 sanentur 27 cogitaverit 28 humane *omittit* 31 adfert, ert *in rasura b* 33 his rebus *ibid.* opinemur, mur *in rasura b*

86. 3 quod *post* qui *omittit* 5 adfret *corr. b in* adfert 8 pytagoras 10 caedisqne *ibid.* quae *superscr. b* 12 adherit h *confodit b* *ibid. in margine lemma* Fortitudo 14 contempnas *ibid.* adherit h *confodit b* *ibid. in margine lemma* Temperantia 17 ecfeminato, f *super* c *scripsit a* 18 *in margine lemma* Iustitia 19 loqui *pro* loci *ibid.* duppliciter, *sed prius* p *expunx. et confod. b* 20 conditionem 22 Prudentia *corr. b in* Prudentiae *ibid. in margine lemma* Prudentia 24 extrinsecus *littera inter* n *et* s *erasa* 32 cogitemur, m *expunxit et* nt *superscr. b* 34 agriculus

87. 6 fore, f *in rasura b* 7 si *omittit* *ibid.* contemptus *corr. b in* contentus *ibid.* et *post* esset *omittit* 12 aegentem 14 haecine 16 grai 17 animus rem condidit 18 si *pro* scilicet 20 *et* 22 dolore *corr. b in* dolere 27 interpraetis 28 aequidem a *confod. b* *ibid.* abeo, h *superscr. b*

88. 3 enim *pro* etiam 4 forte *corr. b in* fore *ibid.* naturalis *pro* natura iis *ibid.* Atquae *pro* Atque 6 inquid *corr. b in* inquit 7 apellabantur, p *superscr. b* *ibid.* quid in boni *pro* quod in bonis 8 relinquerint *corr. b in* relinquerent *ibid.* detracxissent *ibid.* nisi si si, *tertium* si *expunx. et confod. b* 9 ab his 10 quae, e *punctis notavit b* 11 *h. l.* sequuntur 13 est *post* refertus *omittit* 15 merore *ibid.* accipenserem 16 hYΔrali 17 exponens 19 aliquid etiam tum *pro* aliquid etiam deliciarum 21 ut *corr. b in* aut 23 confertis v *super* i *scr. b* 24 privemur 25 qđ *corr. b in* quā 26 mihi *pro* mi 27 accidat 30 haector

89. 2 praesidii 3 exilii 4 urbae, a *expunxit b* *ibid.* accedam 6 alii *pro* alti 7 abiecte c *expunxit b* 8 illum primis 11 adstantem 12 tectos *corr. b in* tectis *ibid.* eclatis 13 regificem 14 aegrium *corr. b in* aegregium 15 contempnitur 16 regis 18 imflammari 19 entari, i *superscr. b* (evitari) 20 Iovis *corr. b (?) ex* Ioves, *ut videtur* *ibid.* sanguinem 21 carnem *corr. b in* carmen *ibid.* lugubrae a *confodit b* 23 aducanus, d *superscr. b* *ibid. post* adducamus *addit* damus *ibid.* aedricrum (*sic*) 24 cybi 26 te quidem *ibid.* multa *pro* ulla 27 oportet ea *pro* oportere a *ibid.* merore 28 esse, t *addidit b* (esset)

90. 1 dicit *corr. b in* dicet *ibid.* picurum, e *superscr. b* *ibid.* existimabas 5 sperant, n *superscr. b pro* spernat 6 quid *pro* quod 7 inquid *corr. b in* inquit 9 iunde *corr. b in* iocunde 10 questione 11 ad *corr. b in* at *ibid.* detractos, s *expunxit b* 12 esse *omittit* 14 titularentur, i *super* u *scrips. b* 17 sunt, u *expunxit et* i *superscr. b* 18 tertium ne, c *superscr.*

a (nec) 20 ei *omittit* 21 expectatur, c *expunxit et confodit b* 22 a *ante* virtute *superscr. b* *ibid.* seperavit *corr. b in* separavit 23 grachus c *superscr. b* *ibid.* effundisset 24 aerarium *inter* a *et* r *litteras sillaba erasa* 26 frumentariam *ex correctione b* *ibid.* accipiendum v *super* e *scripsit b* 27 animam *ibid.* grachus c *superscr. b* 28 p.r. *pro* populo Romano 29 disuasserat *corr b in* disuaserit 30 inquid *corr. a in* inquit *ibid.* grache c *superscr. a* 32 puplicum

91. 2 negat illum *corr. b in* negat ullum 3 philosophio, i *alterum expunxit et* h *cum* o *lineola coniunxit a* 5 nempeam dicit, e *super* am *scrips. b* *ibid.* pras *pro* pars 7 quid dolorem *ibid.* meciatur *corr. b in* metiatur 9 quaeruntur *ibid.* epicure, i *superscr. b* 14 inploraut *ibid.* statim, im *sillaba ex correctione b* 19 ab his 20 nequae, a *confodit b* (neque) 26 signum, g *expunx. b pro* sinu 28 sineopinato c *superscr. b* (si necopinato) 29 crysippo 30 fieri *pro* ferire *ibid. ante* in hoc *habet* hic, *sed expunctum* 31 aduetus, n *superscr. b* *ibid.* aliquando 35 repperias

92. 2 tum videtur 4 mittigat *priore* t *expuncto et confosso* 6 implerisque *pro* in plerisque *ibid.* Kartaginienses 9 eandem, n *expunx. et confod. b* *ibid.* antromacha 11 volutu, u *prius expunx. et confod. b* 12 dicere 13 chorinti *ibid.* aspecta 14 chorintios *ibid.* vetustatus *corr. b in* vetustatis 16 Kartagine 18 retulisse, *alterum* t *superscr. b* (?) *ibid.* vidi, *alterum* i *expunxit et* eri *superscr. b* (?) 19 dicxerit 21 inveterata *ibid* aliquod 28 ulla *ibid.* merentium 29 ferre *corr. b in* fere *ibid.* promtu 31 coguoverint 32 detrait h *superscr. b*

93. 1 Nequae, a *expunx. et confod. b* *ibid.* sed id 2 aut *corr. b in* haud 4 ex his *ibid.* ferunt i *superscr. b* 5 quia recentia sunt maiora videntur *addidit b in margine inferiore* 6 Dupplex *corr. b in* duplex 7 non is solum, h *super* is *scripsit b omisso* in (*sic*) *ibid.* in his 8 Nam ut 13 cecilianum 14 sepe *ibid.* suppalliolo (*sic*) 18 umana h *superscr. b* 19 cogitationem, ita *sillabam expunxit et* ni *superscr. b* 20 tollerabilia 23 eorum quae *ibid.* qui *superscr. b* 24 nominati 25 anapestum 26 inglorious, o *posterius expunxit a* *ibid.* supremum, *alterum* p *superscr. b* (suppremum) 27 p̃reventurus *ead. manu* (*sic*)

94. 8 existimescendas *corr. a in* existimiscendas (*sic*) 9 *bis* 10 ratione 11 rem illud continet malum 17 condicione *correxit b, ut videtur, in* conditione 20 crysippum 22 attingit *omisso* non 23 multi sunt 24 mors quae 25 genere *ibid.* nequicquam 26 tum *pro* tam

95. 2 ex quo nemo ratione *pro* ex commemoratione *ibid.* malivolos 3 accomodatam 4 conditionis 5 cum dõ *ibid.* cohibet 7 malivolorum 11 *ΑΥΙΗΙΝ* (*sic*) 15 perferetur

28 meror 29 aescinnes 30 demostenem 31 rethorice *ibid.* quam excopiose *pro* quam ingeniose

96. 1 rethori 6 *in margine habet* VERS̃ *ibid.* alienis *pro* Aleïs 7 evidens *pro* edens *ibid.* vitas 9 Haecubam 11 quo *pro* quos 14 medeae 16 declaratur 18 hylarius *ibid.* mestitiam 21 ab his 23 intellectaqne 24 terrentianus 25 poenitens *pro* poeniens *ibid.* *EAY*tontei*MΩPOYMENOC* (*sic*)

97. 6 carentis 12 et *ante* aegritudinis *omittit* 13 Gn. Pompeium 19 ac sapientia vera 21 nil profici 25 ferant *ibid.* obdnruisse quam 27 tristis *in margine addidit a* 28 navigassem 31 subiactus

98. 2 rem ipsam atque causam fontem 3 neque nondum 10 phylosophos *ibid.* phylosophiam, *ut l.* 13 19 quaerebat *pro* querebatur 20 *h. l.* caeteris 22 discenda 23 qua *ex correct. b* (*quid ante fuerit non liquet*) *ibid.* praemuntur 25 lnngendnm (*sic*) *ibid.* qualis fuit quȧe *pro* qualis fuit Q. *ibid.* maxnmus *pro* Maximus *ibid.* efferrens 26 lucius *pro* L. *ibid.* panlus *alterum* l *superscr. b* (?) *ibid.* amisis s *superscr. b* (*sic*) 27 marcus *pro* M. 28 consolationem 30 aegritudi, ni *superscr. b* 34 mereat

99. 1 praemit 6 dic, tis *superscr. b* (dictis) 8 convertat *ibid.* clade ut *ibid.* fragatur n *superscr. a* 9 ex praecepta, et *super* ex *scrips. b* 11 hi tamen *pro* et tamen 13 aliis *pro* illis 18 diis 19 stratos *pro* fractos 22 fnerant *corr. b in* ferant 24 quam se ipsnm, *sed* ipsnm *expunx. b* 26 at vero 30 atribuere, t *superscr. b*

100. 4 fortuna *omittit* 5 stnltitia 6 se *omittit* 7 ad anctores, ad *expunx. et* ut *superscr. b* 8 non solum *corr. b in* non sunt 9 repraehendnnt 11 exprimendum *pro* experimentum *ibid.* aegritudine 12 tollit 13 diurna 14 nequae, a *expunx. b* 15 qni dolet *corr. a ex* qnod dolet 16 diurna 18 mediocritas 25 acciderint n *expunx. a* 26 et vigeat *pro* ut vigeat 29 alicarnasi 31 appellabatur

101. 2 consulantis 3 cleanti 4 satis *superscr. b*, *sed idem in margine addidit a* 5 putant *ibid.* inopinanti *ibid.* nihil mali *pro* ut Cyrenaici 7 maerentis se *pro* maerenti si se 8 colligunt 15 ratione ratione (*alterum expunx. b*) *pro* orationem 18 manus 20 et *ante* de *superscr. b* 21 conditione *ibid.* vite *corr. b in* vitae *ibid.* esse *omittit* *ibid.* propriae, a *confod. b* *ibid.* sit *pro* erit 22 fortuna *omittit* 23 nil *pro* nihil 24 cleantes 25 enim *superscr. b*

102. 3 cleantes 6 baiolum 9 tnm *pro* nnm *ibid.* aegritudinem 10 lyanis c *superscr. a* (lycanis *pro* Lyconis) *ibid.* qnia *pro* qni 12 mali *ibid.* alchibiades h *expunx.* a 18 enim *in margine addidit b* 20 chrisippi 22 onus *pro* opus 26 accomodamus *ibid.* nam *addit ante* quam

103. 1 propriae, a *expunx. b* *ibid.* nunc quod *pro* uum quid 4 Tractum *pro* Tractatum 6 ut eos, s *expunx. b* 10 scolae 12 scolas *ibid.* in sinsingulos, *prius* siu *expunx. b* 13 planae *pro* pleuae *ibid.* disputationis 15 minime 16 sustulit, *alterum* l *superscr. b* (sustullit) *ibid. alterum* sustnlit *omittit ibid.* tamen *pro* etiam *ibid.* aliunde 17 pupigit u *super* i *scrips. b* 18 *h. l.* exsilium *ibid.* quaeqnȩ (*sic*) *pro* quae 19 et si *pro* etsi 23 adolendum, d *superscr. b* (ad dolendum) 25 ita, *superscr. b* illa 26 tameu *pro* tantum *ibid.* et contractiunculae quadam 28 *h. l.* tetrum

104. 1 Atque *pro* At quae 2 eligendae 6 obtrectare 7 sollicitari *superscr. b* 8 stotici 12 eligendae 15 Verum quidem haec 16 *h. l.* caetera 27 erant *corr. a in* erunt

---

Liber IV.

104. 2 iu his

105. 3 ref. p. (*pro* re publica) 6 in his 7 puplica *corr. a in* publica 8 sanae 11 pytagoras h *superscr. a* 16 Graeciae 17 iu hisque 18 pytagorae eorum, e *confod. et punctis notav. b* (Pytagoraeorum) 20 phythagoreorum *prius* h *expunx. a* 22 constituta 27 colligi 35 rescriptos *pro* discriptos

106. 6 *h. l.* epistola 7 atque *pro* ad Q. *ibid.* pythagoreorum *ibid.* Multae 9 pperisse *pro* peperisse *ibid.* alinnde didicisse videamur *omissa addit post* appareat nostros 10 positnm p *superscr. b* (propositum) 17 nonominatim 18 acbademicum 20 cyreneus 21 scolis 24 monomeuta 27 socratae 29 ac pauca 31 omnium *pro* hominum 32 arbitrantur, ba *superscr. a* *ibid.* amifinius

107. 1 iuvitabatnr 5 sumtiliter *pro* suptiliter *ibid.* quod etiam *pro* quod et tam 8 quo quisque *pro* quod quisque 9 nullisque 10 *h. l.* adstricti 11 reqniremus *pro* anquiremus 13 discipulationibus *mutavit b in* disputatiouibns *ibid.* concluditur 16 *personarum indicia desunt* 17 omnia 20 novi abseuti abare (*sic*), b *in* absenti *expunxit et voces lineis coniunxit a pro* nobis adsentiebare 21 aegregie 25 et earum *pro* At earum 31 vela *superscr. b*

108. 7 vel orationis *pro* vela orationis 15 planus, i *superscr. b* 18 pathe 19 pytagorae 22 ponant 23 tum irae 26 particionibus 33 opiuatis, *prius* i *in rasura*

109. 4 iniecta 6 naturae 7 speciest *pro* species est 10 bo*YΛHC*in *ibid.* apellamus *pro* appellemus 11 daefiniunt

ibid. in margine lemma Quid sit voluntas 12 ratione *omisso* a *ibid.* adversa 16 cum *ante* movetur *omittit* 17 *in margine lemma* Gaudium 18 *in margine lemma* Laetitia 19 quoniam quae *pro* quoniamque 20 si *addit ante* cum ratione 23 a *ante* ratione *omittit* 24 praesentis autem mali 25 stulta autem *pro* stultorum tum *ibid.* ea quae *pro* eaque 26 obtemperantes

110. 1 oppinione 3 vitiose 4 aegritudo *superscr. b ibid. in margine lemma* Aegritudo 5 laetitia — intolerabile esse videatur *addidit in margine inferiore b et diverso atramento lemmata adscripsit* Laetitia. Metus 7 *h. l.* impendentis *ibid.* lubido *corr. a in* libido *ibid. in margine lemma* Libido 13 effrenata 16 Sed in singulis, in *expunxit b* 18 *in margine lemma* De invidia 20 obtrectatio 23 examinatio̦ 24 volnptatis *ibid.* letans 25 libini *pro* libidini 27 *in margine lemma* De invidentia 30 ledatur *ibid.* haectori 31 comoda 32 his frui *ibid.* se invideat *pro* is invideat 35 et *ante* est *omittit; verba* aemulatio aegritudo *antea transposita in ordinem redegit b*

111. 1 Obtrectatio 2 zelotypian 4 iniuria *corr. b ex* incuria, *ut videtur* 5 sqq. *in margine deinceps lemmata* Angor. Luctus. Maeror. Aerumna. Dolor. Lamentatio. Sollicitudo. Molestia. Afflictio. Desperatio. *ibid.* patricidae *corr. b in* parricidae 6 praemens 8 crutians 13 pudorem — dedecoris *omittit* 16 mali appropinquantis pavorem metu *(sic) addidit b in margine inferiore* 18 mihi ex anima expectaret 23 *in margine lemma* Delectatio 25 et *ante* oculorum *omittit* 28 efferrens 31 *in margine lemmata* Odium. Inimicitia. Discordia

112. 1 ira acerbior intimo corde et odio 3 distingunt 6 diligentia *pro* indigentia *ibid.* est *pro* sit 8 et *ante* a recta ratione *omittit ibid. in margine lemma* Intemperantia 10 quaeant *ibid.* quemadmodo, *corr.* o *in* u *b* 11 sed adpetitiones *corr. a in* sedat adpetitiones 14 reliq; ae *super* q; *scrips. a ibid.* conturbationes, per *super* con *scrips. a* 15 ex aea *pro* ex ea 20 nosemata 21 vitiosa offensione 23 idem *corr. b in* item *ibid.* appositae, o *super* a *scrips. b* 24 conimium, co *delevit b ibid.* opere *ibid.* stoycis *ibid.* maximae, a *expunxit b ibid.* crysippo 26 minimae, a *expunx. b* 29 immotus *pro* in motu 30 inveteraverit 31 insederit *ibid. h. l.* exsistit

113. 2 ea quae *ibid.* libine, di *superscr. b* 4 sanaret 5 exsistit qui *pro* existitque 6 avelli 7 Similiter quae 8 ea *pro* eam *ibid.* ΦΙΛΟΓΥnia 11 missogyno 12 mifane ΡΩιτοca *(sic) pro μισάνθρωπος; ibid.* appellantur 16 inherentem 22 ligurricio *ibid.* cupedia *priore* p *eraso* 23 *in margine lemma* Avaritia 25 eiusdem modi, dēm *sillabam expunxit b* 28 hippoliti 29 veniam 31 gravidinosos 32 *alterum* quosdam *omittit*

114. 1 sint *pro* sic 3 est, q. *superscr. a* 5 haec *pro*

nec *ibid.* et ebriositatem *omittit* 6 aliud, q; *superscr. b* 9 et lividi *addit post* malevoli (*incertum an* malivoli) 10 proclives 12 dicitur 17 et vitium 18 imbecilitate 22 exsecernitur *uno verbo* 27 partis habet dissentientis 30 aegrotationis

115. 2 pulchritudo vires valetudo *hoc ordine* 3 Ut *deest* 6 quam aliam ipsam 10 animi sanitas, quae in insipientem 11 et pturbatione 13 ea quae (*sic*) *pro* eaque *ibid.* dicuntur *corr. b in* dicitur 17 similibusque *pro* similibus quoque 20 percussionem 22 corpora autem possunt, autem *expunx. b* 22 sed *pro* et 25 quidam 26 *in margine lemma* Quid sit inter acutos et hebetes 27 aerugine

116. 3 multa *pro* in ulla 6 illi *corr. b in* illa 7 non *addit ante* possunt *ibid.* quia *pro* qui 9 logica 11 scruplosis, v *superscr. a* 17 et *pro* ut 18 questiones 24 brevissumme *prius* m *expunx. et confod. b* 26 greci *ibid.* kakian 27 cogitantur 31 flammant in *addidit b* (inflammant) 32 quantum *pro* quam tum *ibid.* libidinem, *primum* i *in rasura vocalis* u

117. 1. anima *pro* animi a 2 eademptaretur *pro* adepta erit 3 fert *pro* feretur *ibid.* nihil est *pro* nihil ei *ibid.* quid agat 11 *h. l.* impendere 14 aliquid aliis *pro* aliqui talis *ibid. h. l.* impendet 16 avidae *posterius* a *expunx. a* 19 tum *omittit* 24 recta 25 animis *pro* nimis 28 fragatur n *superscr. a* *ibid.* expectens *ibid.* ardet *pro* ardeat 29 futtuli 31 ad ferendum

118. 4 animos *pro* animo 6 eidem *pro* idem 19 ut *pro* aut 21 consteus n *expunx. a* (constes) 22 eadem 23 ferat 25 opere 26 prutilium (*sic*) *pro* P. Rutilium 28 moderatus i *superscr. a*

119. 4 neq̄o *sic a* (nec quo) *ibid. h. l.* vult 5 omnino quacque *ibid.* pernitiosa 8 ipse 10 *h. l.* imprudens *ibid.* repperit 16 sustineri quae *pro* sustinerique 18 non *pro* nos 21 in *ante* inprobum *omittit* *ibid.* vehementioris 22 laevis 23 praelium 30 accio *pro* actio 31 nesciet 32 nomine *in margine addidit a* *ibid.* ne, c *superscr. b* (nec)

120. 2 quod *pro* cum *ibid.* sonum *pro* somnum 3 miltiadis *ibid.* trophaeis 4 suscitare *ibid.* demosteuis *ibid.* dolore 8 phytagoran (*sic*) 9 quiquid, c *superscr. b* (quicquid) *ibid.* esse, t *superscr. b* (esset) *ibid.* dici *pro* disci 11 *h. l.* tetram 12 fugienda 13 omnes *pro* homines *ibid.* repraehensionibus 14 adficisse *pro* adfici se 22 calamitates *pro* calamitate 23. *h. l.* obtrectare 29 discant s *expunx. et conf. a* (?)

121. 3 achademicos 7 aequa *pro* c quo 9 *in margine lemma* Quid sit perturbatio 10 aversa ratione 11 *alterum* vehementior *omittit* 13 possī *pro* possint *ibid.* atqui 14 rethorum 16 caepit 18 quaeruntur *pro* quaerunt 19 paci-

dianus 23 insthomacho, *sed* h *expunxit a* *ibid.* suria *pro* spurci *ibid.* pulmonibusisto *corr. b in* pulmonibus sisto 25 uobis *pro* Nobis 27 ac sine ac (*sic*) *pro* At sine hac

122. 1 haectore 2 autem *superscr. b* 7 qui hoc cognovit nomen invenit 8 dastidium, cl *super* d *scripsit a* (clastidium) 11 aciem *pro* acie M. *ibid.* aliennium, l *superscr. a* 14 arrunte 15 adhuc, ad *expunxit a* (huc) 18 vultis *ibid.* ratumne *pro* iratumne 19 crymathio *ibid.* nemaeo 20 auri *pro* tauri *ibid. h. l.* conprehendit 25 sint *pro* sunt 27 me *pro* ne *ibid.* pontufex 28 stoicicorum 29 gracho 31 salva esse vellet 33 insania *pro* insaniae

123. 6 arma, ta *superscr. a* (armata) 7 modo quidem *pro* quidem modo *ibid.* vinulentiam 11 summam rem perficit manus proelium restituit 13 *in margine lemma* Fortitudo 19 spheri 21 nationes, o *super* a *scripsit a* 22 *in margine lemma* Fortitudo 25 phylosophi

124. 1 colligunt *corr. a in* conligunt *ibid.* maxumequae (*sic*) *corr. a in* maxumeque 2 nostra *pro* monstra 4 iracundis *corr. b in* iracundus 10 in morbus *pro* in moribus *ibid. in margine lemma* Quod antiqui iracundos morosos nominaverunt 12 decet *pro* dedecet 16 et quis *pro* Ecquis 18 ita, s *superscr. a* (ista) 19 si modo est melius, melius *linea notavit et* orator *superscr. a* *ibid.* strione, i *superscr. a* (istrione *pro* histrione) 21 lubidinis *ibid.* demostenen *ibid.* proferri, r *posterius expunxit et* t *superscr. b* 22 libidinę 24 et *ante* tranquilla *superscr. b* 27 lateat *corr. b in* doleat *ibid. h. l.* quidlibet 31 rethorum

125. 1 at etiam *pro* At enim *ibid.* obtrectari 5 *h. l.* obtrectare 9 Quis *pro* Qui 10 non solum 16 possit *pro* possunt 17 sapientia 23 tale et *pro* tale ei 24 praemeditatum non sit *omittit* 31 a *omittit*

126. 2 nulla 4 aiumenta d *superscr. a* 6 indiget *ibid.* diligentiam, m *expunxit a* *ibid.* adibita h *superscr. b* 7 *h. l.* neclecta 10 Eorum 12 adhibenda *superscr. b* 13 distintio 16 lubidinem reliquias 18 toleranda *pro* tollenda 25 et bonum *pro* nec bonum 26 et *ante* libido *superscr. b* aut 29 ipsa *pro* ipsam 30 obicibus *pro* obicimus *ibid.* merentibus *ibid.* inbecilitatem, l *superscr. a* (?) 31 gravitate constantiaque 34 arbitratur *ibid.* puta *pro* putat

127. 2 falsa *ibid.* aegritudine 3 utilior *pro* suptilior 6 si quidem *corr. b in* is quidem *ibid.* agatur n *superscr. b* 11 nec mala *ibid.* nec bona 14 praementem (*sic*) *pro* spernentem 15 virum *superscr. b* (?) *ibid.* nec *ante* timens *ex correctione b* 17 quae ventus, a *in* i *mutavit a* (qui eventus) 18 dicunt *pro* ducunt 21 sit *superscr. b* *ibid.* in *ante* ipsa *addidit a* 23 nece, n *superscr. a* (necne) *ibid.* lubidinem 24 lubidio, *poste-*

rius i *expunxit b* 26 bonarum *pro* bonorum 27 sit *post* eadem *superscr. a* 30 conditio 31 diceret *pro* doceret

128. 1 ratio 2 sor *corr. b in* fors *ibid.* celitum *ibid.* inveutum 3 non *superscr. b* 4 eaque *pro* ea quae 5 tullerunt 10 attullimus 14 presentis *ibid.* illi 16 praemolestia *ibid.* est *pro* esset 18 contempnuntur 22 contempnere 24 de, i *superscr. b* (die) 26 actenus *pro* hactenus 27 laetititia ti *medium expunxit a* 28 pertinent *pro* pertinet 29 eas *bis, sed altero loco expunx. a* 30 voluntarias *posterius* a *ex correct. b* 32 tollerabilia 33 dicuntur *ibid.* bonorum et malornm, *sed signis ordo inversus*

129. 5 maxnmae *corr. a in* maxnme 9 diutiae *pro* divitiae *ibid.* potiundns *corr. b in* potiundis 11 chachinnatio, *prius* h *expunxit a* 13 *h. l.* appetendo 14 adflictio molestia *ibid.* animis *pro* nimis 16 *h. l.* immanitate 17 confidere *pro* providere 21 nevianus *ibid.* haector

130. 2 haec ferunt *pro* ecferunt 3 veneriis *ex corr. b* (?) 4 inflamato 9 imperium, t *superscr. b* (imperitum) *ibid.* existumet 10 demente 11 qnem insanire *pro* quem sanari 13 arcessiri 14 poaeticam *ibid.* amore 15 conlocandum, *posterius* n *ex correct. b* (*videtur fuisse* conlocari dum putet) 16 nos *pro* non 18 servasti 20 sed *pro* se 22 haec *expunxit et superscr. b* est 25 at *corr. b in* ad 26 qui amorem, i amorem *in rasura b* (*sic*) 28 adulestentem

131. 2 enniu', *apicem in* s *mutavit b* 3 flagitii 6 muliebres *corr. a in* mnliebris 7 nymedi, ga *superscr. b* (ganymedi) 9 quidenique, d *superscr. a* (quid denique) 10 edant 15 ex *corr. b in* et 16 accussat 26 de his *pro* deis 31 sic *pro* hic *ibid.* tragoediaffeffecit f *expunx. b* (tragoedias effecit)

132. 1 et *pro* te *ibid.* appollo *prius* p *expunx. b* (?) *ibid.* sanctae, *posterius* a *delevit b* (?) *ibid.* tequea omnipotens 5 iquam, ni *superscr. a* (iniquam) 10 ostendat *ibid.* contempnendum 11 vell aliende, *alterum* l (*vel* h) *erasit et* u *super* e *scripsit a*; i *littera ex corr. b* (*videtur fuisse* habende) 16 est *omittit* 23 mediocra, i *superscr. a* 25 suspiciones *corr. b in* suspitiones 26 sit ut *pro* si tu 27 plus *addit b in margine* 30 enim *pro* etiam

133. 2 deterret, re *superscr. b* (deterreret) 6 umqnam *pro* usquam 7 quis autem 13 quo igitur haec ernnt moles 14 ipsnm 16 viscere 20 ipse ipsi *pro* se ipsi *ibid. h. l.* conligant, *deinde* colligere 21 dissupatas *corr. a in* dissipatas 24 defervescat, de *praescrips. b*

134. 2 hanc *pro* an 3 esse *pro* est 4 ira *superscr. b* 5 nlla *pro* nlta 6 peniteret 8 penitendi 12 oriatur *ibid. h. l.* intelligi 15 defidentia *pro* diffidentia 17 mecum *corr. b in* metum 22 sanabile est tamen 23 *h. l.* collegisset *ibid.*

zopirus 25 *h. l.* agnoscerent 26 signa *pro* innata 27 ut natura *pro* vel natura

135. 4 lyppitudo 7 vos *pro* nos 8 quodad *pro* quoad 14 ita *pro* in vita 16 quas *corr. a* (?) *in* quis *pro* qui se *(sic) ibid.* aegritudinis, s *expunx. a* 20 sed et *corr. b ex* set et 22 ea re quae 25 nommodo 27 rationi confici

---

Liber V.

136. 3 maxime *superscr. b* 5 semmonibus *corr. b in* sermonibus *ibid.* contentam, *posterius* n *ex rasura* mp *litterarum b* 6 dificili, f *alterum superscr. b (sic)* 7 quod, d *delevit a* 9 tractatur n *superscr. a* 10 ea *addit ante* causa 13 ab his 16 philophandi, so *superscr. b* 22 *h. l.* imbecillitatem

137. 2 hisque *ibid.* intollerabilis 7 virtu‿s *erasa* ti *sillaba b* 8 homine 9 *h. l.* subter *ibid.* habent, n *delevit a* 10 praeter se ipsam *bis scriptum priore loco expunx. b* 11 tum *pro* cum 12 rerum naturarum *corr. b in* rerum naturam *ibid.* damnare *in margine addidit b* 19 excultrixque 24 a te *corr. a in* ad te 27 *h. l.* immortalitati 28 et *inter* quae *et* vitae *superscr. b* 34 debetret, *prius* t *expunx. a* (deberet)

138. 2 primi sit 5 nomineque *pro* nomine quae 6 *verba* rerum, tum initiorum causarumque *in margine addidit b* 7 cuius (s *superscr. b*) rei *pro* cuiusque rei 9 et et habeantur *(sic)* 10 lygurgum 12 ulixem i *ex corr. b* 13 athalans *corr. b in* athlans 16 traduxisset, n *super* et *scripsit a* 18 phitagore 20 philuntem 21 philiasiorum, *primum* i *expunx. b* 23 maximae, *posterius* a *expunx. b* 24 atmiratum 27 vita 28 illi alii 31 ingenium *corr. b in* ingenuum 32 luchrum

139. 2 celebritate 8 cogitationemque prestare 10 amplicator 16 recederent 17 ab his *ibid.* currus *corr. b in* cursus *ibid.* antiquirebantur (*alterum* i *ex corr. b*) *pro* auquirebantur 19 e caelo 23 efficit *ibid.* dissententium *corr. b in* dissentientium 26 quaeremus, re *in margine addidit a* (quaereremus) 27 moverem *corr. b in* morem 30 libri, s *superscr b ibid.* missimus, *prius* s *expunx. b* 33 A. *et* M. *signa desunt*

140. 1 cuius *corr. b ex* cuis 4 sed de hoc 9 praesidi 16 coitiuntur 19 hostium *pro* ostium 21 nec *ante* supplicium *superscr. b* 22 facturas *corr. b in* facturus 23 *h. l.* pervulgata 26 corus *ibid. h. l.* impositus 28 perrecturas, s *expunx. b* 32 verereri *ibid.* quaerantur *ibid.* a *ante* beata *superscr. b* 34 de matilio (io *ex corr. b*)

141. 1 quinto caepionem aquilo 5 te ito (*sic*) *corr. b in* te isto *ibid.* egere *pro* agere 11 questio 13 incitate 14 aelatae, *primum* a *expunx. b ibid.* omnem *superscr. b* 18 infamia *superscr. b* 20 contingit, *alterum* n *expunx. b* 22 atde *pro* adde 26 affluentius 29 timere *pro* temere 31 futtiles (*sic*) 32 exultantes, es *expunx. a ibid.* liquaefaciunt, *sed primum* a *puncto notatum*

142. 1 quae cuique *pro* quaecumque 2 tollerabilia, *sed primum* l *puncto notatum* (*sic*) 6 non *superscr. a* (ñ) *ibid.* quin hi 8 ecferant 10 vacari 12 questio 21 beatae 22 sed *pro* se *ibid.* docuisset *pro* docuisse 25 vita *omittit* 29 nihilhominus 30 amonitionibus 32 ullave *corr. b in* ullumve 33 dii

143. 3 magi, n *superscr. b* 4 aequitatu 5 non avium *pro* non navium 6 voluntatem 9 *h. l.* adtulisset *ibid.* firmus, i *superscr. b* 15 aristone 16 etiam, si *addidit b* (etiam si) 17 Brutum nec *pro* Brutumne *ibid.* diturum, c *superscr. b* 20 anthiocho *ibid.* aristhone 21 dissentio 24 scripta sit *pro* scriptitavit 27 patre *corr. b in* parte 32 videtur

144. 1 partem *pro* rem *ibid.* appellarique, que *expunx. a* 2 ista tria, *sed* ista *expunx. b* 3 adversa 7 teophrastus 15 dici *pro* dicit 19 escenderet 22 *h. l.* succensere 24 thephrastus, o *superscr. b* 25 scolis

145. 1 laborant, n *confod. a ibid.* lauda tenuem 3 esse *superscr. b* (?) *ibid.* iucundae, a *confod. a* 5 dignius nisi idem *bis scripta, sed altero loco linea subducta* 6 qui melius 7 hisne *pro* isne 11 coepi *ibid.* omnisque *superscr. b* (?) 12 aspirare 13 aristhochius (*sic*) c *superscr. b* (aristocchius) *ibid.* sthoicus 16 corpori *ibid.* eius *omittit* 18 expoliare potest 20 autem *superscr. b* 23 quod *pro* quos 24 prespicuum *corr. b in* pspicuum 26 hos *pro* eos *ibid.* qui *erasa* d *littera* 29 asequi, s *superscr. b* (assequi) *ibid.* praeter ipsa 32 *h. l.* valitudo 33 interius, t *superscr. b* (interitus)

146. 1 casus, sus *sillaba ex corr. b ibid.* importat 2 sapientie *corr. a in* sapientē 4 commonibus 5 spe·usippo 6 equae, a *superscr. a* (ea quae) 7 Quod si 8 dilectat *ibid.* phytagora, h *expunx. a* 9 inducant animum, *ante* animum *littera* ī, *ut videtur, erasa* 11 contempnere *ibid.* contria (*sic*), i *in* a *correxit et* ri *superscr. b* (coutraria) *ibid.* sint *pro* sunt 14 necesse *pro* nec esse 15 Nec hunc et haec loqui 16 *h. l.* vulgus 18 epicursus, *prius* s *expunx. et confod. b* 19 semper *superscr. b* 20 se *omittit* 22 id est *pro* idem 24 expectandi, ex *expunx. et* s *superscr. b* (?) 26 Adducis — constantia *in margine inferiore adscr. b ibid. h. l.* assentiar 33 qui, n *superscr. a* (quin)

147. 8 verume sit, n *superscr. b* (verumne sit) 9 audituri

10 sed si ita esset, tum ut totum hoc beate vivere in una virtute poneret 13 ipsa viderit *ibid.* huiusententiae, s *superscr. b* 20 arcaelaum 22 an tu an aliter scire non potes (*omisso* id) 26 *h. l.* improbos 29 esse *pro* ex se 30 beatae, *posterius* a *delev. b*

148. 2 candentibus *ibid.* tumaxime (*sic*) 3 nequae *corr. b in* neque 4 ipse *pro* ipso 6 manebit *pro* manabit 7 oriri *pro* ordiri 12 viverent, ve *expunx a* (virent) 13 fondescunt *ibid.* vigeant 16 nulla vim 25 discendit 26 quidam, d *superscr. b* 28 cum alio nullo modo, modo *expunx. a* 29 si est *superscr. b* 30 caecaretur, ae *ex corr. b* 31 idẽ *pro* id est 33 tumulatum *corr. in* cumulatum *b* 34 omnis

149. 1 pseu·sippo 3 difidit 4 difidat 5 tripertito, *sed tertium* t *expunxit et* io *linea subducta coniunxit a* (tripertio; *sic*) *ibid.* firmitati 11 qui, n *superscr. b* (quin) *ibid.* sit *superscr. b* 12 complectitur *pro* compleatur 16 *h. l.* septum 18 sed qui nihil nocet *in margine adscripsit b* *ibid.* sicne, si *superscr. a* (sic sine) 19 parva *pro* parce *ibid.* omni, no *superscr. b* (omnino) 22 atquae, a *expunx. b* (atque) 23 illa *ibid.* maxime *mutavit a in* maxume *ibid.* expeditam 26 aut sit, ad *superscr. a* (aut adsit) 27 rectus e *superscr. a* (erectus) 29 militanti *pro* minitante 32 repperietur

150. 1 loquitur 2 beatae 4 tum *pro* cum 7 at quicumque *pro* cumque 10 ea *omittit* 12 in ipsis, in *expunx. b* 19 atque *pro* at quae 21 unam *ibid.* continere 22 habundantem 23 integrumhisque (*sic*) *pro* integerrumisque 26 hebeti (*a*) 31 emixta, a *superscr. a* (ea mixta) 32 ex his

151. 3 tribuenda *ex corr. b* (*videtur fuisse* tribuendũ) 6 bona *in margine addidit a* 7 sunt *pro* sint 12 et aeque *pro* et ea quae *ibid.* laudat *omittit* (*sic*) 18 sed his vita 19 si his *pro* sine iis 22 prĩceps (*a*) 24 rationem *pro* orationem *ibid.* rationis *pro* orationi 28 fide 29 dilectationis 33 alacritate ulla *pro* alacritate futili

152. 1 aut *pro* at 4 nequicquam *pro* nec quicquam 7 est praedicabile aliquid et gloriandum ac prae se ferendum, aliquid et *interpunxit et* aut *superscr. b* *omissis verbis* gloriandum nec in ea, quae nec misera sit nec beata. Et est in aliqua vita praedicabile aliquid et gloriandum 10 *in margine habet notam* verš 13 quaeat 14 Quod si *omisso* est 18 enim *supcrscr. b* 21 vim virtutem *pro* vim in virtute 25 illam boni lancem *pro* illam hanc lancem

153. 9 at nos autem *pro* nos autem 10 atqui 14 peniteat 18 consecuta 19 conta *pro* contenta 20 penitet 21 similene *ibid.* lelii *ibid.* consolatum fuisset 23 consulae, a *puncto notatum* 24 a bono populo *ibid.* *post* fert *repetit* suffragiis praeteritur 25 maleste, l *superscr. b* (malles te) 28 con-

solatus 31 Gn. 32 Iussit *pro* iussit *ibid. alterum* iussit *omisit* *ibid.* p̃. erassi

154. 2 G. Caesaris 4 quos *pro* qui hos 5 ut ea se facere, se *expunxit b* 6 peccaret 8 cimbrice 9 poene *pro* paene *ibid.* nam huic 10 annum *corr. b in* an eum 11 depraecantibus 16 interitus ex suos (*sic*) 19 dyonisius 25 inuentibus 27 omni, a *superscr. b* (omnia) 29 habundaretque *ibid.* ei *pro* et *ante* aequalium 30 amore. a *expunxit b* *ibid.* gretiae 32 sed his *ibid.* quod *pro* quos 33 traxerat, de *addidit b in margine* (detraxerat) *ibid.* convenisset *pro* convenis et

155. 1 dominatus domi, *lineam v.* domi *subduxit a* 3 filias lias, lias *expunx. b* *ibid.* sordidoque ancillari 7 aristhomachem (*sic*) 10 fossa lata cubicularis lecto 14 atque his 18 Iussit 22 *h. l.* impotentium 25 eum *superscr. b* 27 reguarum *corr. b in* regiarum 28 negaretque 29 inquid *corr. b in* inquit *ibid.* eadem *pro* eam

156. 2 eos, que *superscr. b* (eosque) 4 aepulis 6 lacunaria et aequina *corr. b in* lacunari saeta equina *ibid. h. l.* impenderet 9 ipse 11 dyonisius *ibid.* aliquid error 12 *h. l.* impendeat 13 his 14 ea quae *pro* eaque 17 pytagoriis 18 vade, *sed lineam super* e *duxisse videtur b* *ibid.* alterum *pro* alter ut 20 uttinam, *prius* t *confod. b* 23 misicorum *ibid.* perstudiosum 24 accepimus *omittit* 26 *h. l.* pulcrum 28 dyonisium 31 arbitrabantur *corr. in* arbitrabatur

157. 1 vitae vitam 4 negaret, n *superscr. a* *ibid.* septum 5 sepulchrum 7 sepulchro *ibid.* spheram 9 a portas agragianas 10 sepulchrorum 11 sphaere 13 inmusicum *pro* inmissi eum 15 patefactum *ibid.* addit', *prius* d *confod. b; post* dit' *sillabam duae litterae erasae* (*sic*) *ibid.* bassim, *sed prius* s *ead. m. expunctum videtur* 19 reddeat, *sed prius* d *ead. m. expunctum videtur* 25 eede 29 phytagoram, *prius* h *expunxit et alterum super* t *scripsit a* 28 in homine in ea situm esse necesse est *in margine inferiore addidit b*

158. 9 prestans 11 virtutis, ti *expunxit a* 13 factus (*sic*) *pro* fetus 14 fugiendarumque ve rerum *ibid. post* rerum *addit* ne vivendi 15 iudicando *pro* iudicatione 16 subtilitas 18 necesse esset *ibid. in margine lemma* Unde sit nata indagatio initiorum 25 inde est enim, enim *expunxit a* 28 loquentes *ibid.* quae interitus 30 sustineant *ibid.* in qua *pro* qua

159. 1 expectant *pro* expetant 2 tractandi 3 illa deo 4 *h. l.* agnoseat 6 incedit *ibid.* aeternitatis 7 conlocata 14 expectet, ex *expunxit et* s *superscr. b* (spectet) 15 degente, t *expunxit et* d *superscr. a* *ibid.* diligenda 16 quod ac. h *superscr. a* (quod hae) 19 definivit 24 contineri *pro* fidens 25 derivet *ex corr. b* 28 poene 29 cultu atque victurus *pro* cultus

atque victus usu *ibid.* tantdem, *posterius* t *delevit b* 30 qnod *corr. b in* quo *ibid.* cui rei refertae

160. 2 his 6 qni, a *superscr. b* (quia *pro* qui) 9 qniin, *prius* ı *delevit b* (quin) 16 se *superscr. b* 19 tollendum *corr. a in* tollerandum (*sic*) 21 *post* patiendi *addit* praecepta fortitudinis 23 esse *pro* sese 26 cum his, h *expunx. b* 27 si *ante* sibi *superscr. b* 28 his 29 careant, n *expunx. a* 30 balbuttire 32 decensuram

161. 3 et *ante* externa *omittit* 5 illa *superscr. b* 8 maxime hnic, *sed signis transponendi* : : *additis* 11 acerrimus *corr. a in* acerrumus *ibid.* virtuti 12 istis, *sed* tis *sillabam expunx. b* 15 dii *ibid.* verborum, e *super* o *scripsit b* 17 conditione, di *expunxit b pro* contentione 25 leta 26 ponitnr, im *superscr. b ibid.* mesta 28 delitiis *ibid.* langore 30 *h. l.* inbutae 31 canifici nam 32 corcodillum 34 frigus *corr. ex* friguis

162. 2 sua, o *super* a *scr. b ibid. h. l.* vulnera 3 omittoq., a *super* q. *scripsit a* 5 plana *pro* plena *ibid.* exemplum, or *superscr. b* 7 *post* iustitiam *littera* d *erasa est* 9 patientia 11 limenque, i *radendo correctum ex* u 12 a *deest* 14 coherere 15 sinenti secnmque 16 docentur, u *super* o *scrips. a* 17 penitere *ibid.* possit *superscr. b* 18 *h. l.* exspectare 21 quod, d *expunxit b* 23 congruę, re *superscr. b* 24 sapiente *pro* sapientis 32 illins *pro* ullius

163. 1 achademiam 2 dicerent, nt *punctis notavit a* 9 utque cumque *pro* ut qnaecumque 10 virtutis 13 exasserat *ibid.* quidem cum pace *pro* quiete et cum pace 15 possiverunt 22 doloris *deest ibid.* hieronimus 26 achademici 28 peripaticus 29 arrystonis, *prius* r *expunxit b* 30 pyrroni ferilli

164. 1 imbecilius 4 extulerint 6 contempnere *ibid.* his 7 dicant 8 adepti sunt 10 ratio *pro* aratio 11 omnis 15 honorum (*sic*) *pro* horum 17 minimis blandimentis 18 callifontis *ibid.* diodorisque 20 longe et retro 21 epycurus *ibid.* hieronimus 22 illum carneadenm *ibid.* curen, t *superscr. b* 23 qui eorum bonorum 24 bona *superscr. b* 25 contempnere *ibid.* quod *pro* quae *ibid.* epycurus *pro* Epicuri *ibid.* hieronimi 27 Ordinamur

165. 1 an *pro* aut 4 effuttire 5 ista *pro* ita 7 de *ante* dolore *omittit ibid.* qnorum *pro* cuius 8 lenitate *ibid.* Qni tandem isti 18 cythes anacahrsis 19 potuerunt 20 scythicum, i *super* y *scrips. a* 21 palpamentum 22 ad *superscr. a* 23 es *in margine a* 24 diis immortalibus *ibid.* ferre, *prius* r *expunxit a* 26 detorsisset 27 ferretur *in margine a* 30 achademiam 31 his 32 luberet *pro* iuberet *ibid.* esterna 33 Quod *pro* Quos

166. 1 tristioris 9 diviserit, *alterum* s *superscr a* (divis-

serit) 10 subtiliter 14 ne ad potiendum 18 contempnunt 22 ab hisque 23 diffile, ci *superscr. b* *ibid.* valitudo *ibid.* omnino, que *superscr. a* 26 et *ante* expetendam *deest* 29 ut *ante* et *deest* 30 iocunda

167. 2 expectatione, ne *sillabam expunxit a* 3 cum *omittit* 5 aepularum 9 ptolomeus 11 cibariis 14 se *post* respondisse *superscr. a* *ibid.* obsanare 16 *h. l.* caenavisset *ibid.* dionisius 17 caene *pro* cenae *ibid.* capuerat *pro* caput erat *ibid.* ille *corr. a in* illa 18 minciurum *corr. a in* minime mirum 19 sodor *ibid.* ab eurota 20 aepulae 22 *h. l.* intelligi *ibid.* quo modo *pro* quod modo 24 morae *pro* more

168. 4 posttridie 5 vestreae quidem caene 6 qui quod 9 beataque *pro* beata quae 10 syracusyriarum quae *ibid.* mensuram *pro* mensarum 11 *h. l.* caeteraque 16 adnoscitur, g *superscr. a* 17 iussit — haec· Habeo *ibid. h. l.* exsaturata 18 ausit *pro* hausit 22 tabulis ludis *pro* tabulis studes 23 delectatur *corr. a in* delectetur 24 his habundant 25 nostrae urbe, e *in* nostrae *expunxit a* 26 privati 28 sive, lim *superscr. a* (?) si velim

169. 3 *h. l.* vulgus 4 demostenes 5 quam *pro* aquam 6 gretia *pro* Graecia 11 *h. l.* agnovit 13 hique 15 vulgus 17 contempnas 18 contempnet 19 repudiat 20 *h. l.* poenitere *ibid.* contempnere 21 heremodoro, *alterum* e *expunxit a* 23 sunt *corr. a in* sint 25 exsuperantiam *ibid.* aristhides, *sed* h *expunxit a* 29 literato *corr. b* (?) *in* litterato *ibid.* his dico 32 Contempto igitur — extimescendum sit *in margine inferiore adscripsit a* 35 contempnenda sicutapollo (*corr. b* pollo *in* paulo) *pro* contemnenda ac levicula, paulo

170. 6 damna *pro* tandem a 8 archesilas *ibid.* aristhoteles *ibid.* cleantes 9 *post* Carneades *in margine addit a* panaetius clitomachus carneades *pergitque in textu* philo antiochus (*corr. ex* anthiehus) possidonius 11 At enim *pro* At est non (enim *superscr. a*) *ibid.* Eamne *omittit* 12 adficere *pro* attingere 13 id *superscr. a* *ibid.* accipere *pro* accidere 16 quaeant 19 se es, se *superscr. a* (se esse) 21 t. albutius 23 quienscens *ibid.* epycuri 24 epycurus 25 ut plato *ibid.* plemo, o *superscr. a* (polemo)

171. 1 tarquii 5 aegritudines, que *superscr. a* 9 potat *corr. a in* putat *ibid.* querimus 11 contempnit 12 disputem< *corr. a in* disputent 16 tale nil 17 dilectari 22 id *omittit* 27 nec priva, to *superscr. a* *ibid.* Gatrusi *pro* C. Drusi 29 videbt, an *superscr. a* (videbant) 30 G. N. autfidius (*sic*) *pro* Cn. Aufidius

172. 1 pytagoreorum 5 ignobile meretricum *pro* ignobilem Eretricum 6 philosophorum *ibid.* quaeret 8 tollerabilis *ibid.* graeci 12 etsi *pro* et sine 14 aspectus *corr. a in*

aspectũ 15 cum aliis sepe *ibid.* essent *ibid.* illa *pro* ille 16 perigrinabatur 17 traditus *corr. a in* traditũ 18 poesin 19 graeciae *in margine a* *ibid.* formae quae pugna 21 utque *pro* ut quae 22 aut voluptatem 23 itasseres *corr. a' in* ita se res 24 relinquissent 25 divine 26 poete 28 fixisset 30 quẽ vellet *ibid.* attingeret 32 sudaster

173. 1 graecae 3 omnesque id nos in his linguis 4 aut vocem citaroedi 5 feretum *pro* serrae tum 12 quae *pro* qui 15 praematur 18 dii 21 can_Tharidis 23 primordie *pro* primo die 27 que *pro* quae 28 habeat, h *confodit a* 30 dicebat *pro* discedat 32 hieronimus

174. 1 his philosophis 2 omnesque 3 dicamus *ibid.* casus *corr. a in* cassũ 4 et *addit ante* tamen 6 vides *pro* iudicas 7 observant *pro* obscurentur 13 desiderandi *pro* dissidendi 16 sapientiam *corr. a in* sapientium 17 quidam 20 melius uti *in margine a* 22 *h. l.* inpulsi *ibid.* philosophas 24 sumus

COMMENTARII CRITICI.

LIBER I.

1, 3.[*]) *annis (enim) fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit —, anno ante natum Ennium.* Quamvis repugnet vir summo ingenio et doctrina Fr. Ritschelius (Par. Plaut. I. p. 48 sqq.) eumque secutus nuperrime O. Heinius (Progr. Posn. 1862 p. 17), facere non possum quin de vindicandis verbis, quae pro subditiciis habentur: *qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius,* adsentiar Wesenbergio Em. II p. 1 sq. Etenim ex Cic. Bruto XVIII, 72 non modo hoc apparet, de tempore, quo Livius primum fabulam docuisset, magnam fuisse inter Accium et Atticum dissensionem atque de prioris sententia Acci minorem natu esse Livium Plauto et Naevio, sed illud quoque comprobatur, quod etiam aliunde constat, vehementer Ciceronem studio inlustrium hominum aetates persequendi delectatum esse et quae ipse in eo genere invenerat data occasione libris suis intexuisse. Quod si reputaveris Livii, cuius Odyssia puerorum in ludis non iam fere nisi a *plagosis* Orbiliis dictaretur (Hor. Epist. II, 1, 70 sq.), illo tempore paene ita oblitteratam fuisse memoriam, ut accuratior eius aetatis notatio, quae eum defenderet antiquissimum esse poetam Romanum, non inutilis videretur, addiderisque etiam illud, non dixisse Ciceronem, id quod Bentleius volebat, *primum* Livium fabulam docuisse, ut nimirum eius aetatem antiquiorem demonstraret Plauto et Naevio; haec igitur si conlegeris, non habebis profecto quod *qui* pronomen ad remotius nomen relatum moleste feras, cum praesertim, quae temporum ratio inter Ennium et inter Plautum ac Naevium intercessisset, in volgus notum esse iure statui neque metus videretur esse, ne quis pronomen arbitraretur ad Ennium potius quam ad Livium pertinere. V. ad I, 101. Germanice vertes: der also älter war als Plautus und Naevius.

2, 3. *Sero igitur a nostris poetae vel cogniti vel recepti. Quanquam est in Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis.* In hac rerum narratione valde mihi dubium videtur, ad nectendas sen-

[*]) Lemmata quae vocantur et in hoc libro et in ceteris textum secuntur editionis Tregderianae.

1*

tentias corrigendi an confirmandi particula utendum fuerit; id quidem certum est, concedenti *quamquam*, ut nunc res se habet, locum nullum esse neque protasis loco habenda ac simplici commate seiungenda esse verba: *Quamquam est in Originibus — de clarorum hominum virtutibus*, id quod factum videmus a Tregdero, Baitero, aliis. Equidem correctionem ita adgnoscerem, si in poesis historia separatim ac proprie versaretur scriptor ac non litterarum Latinarum cursum, qualis a poesis primordiis usque ad philosophiae initia fuerit, strictim persequeretur (v. ad II, 47); nunc puto eum rationem attulisse, quod minus certum dixisse videretur *sero poetas vel cognitos vel receptos* id est non modo inductos in civitatem, sed etiam probatos esse. Quamobrem quod cod. Duisb. et Mon. 2 post *quamquam* addunt *enim*, id mihi in archetypo videtur inter *est* (ē) et *in* scriptum fuisse atque ita non modo facilius omissum, sed etiam rectius post *est* i. e. *scriptum est* conlocatum esse, velut similem ob causam I, 78: *in his est enim aliqua obscuritas.* V. Moser. ad. I, 79, ubi August. loco particulae *enim* habet *in*, ortum videlicet ex compendio *n* vel ·*n*· vel *enī*, et Davis. ad Cic. de Legg. I, 1. Varios huius generis errores demonstrant in his libris Gudianus et Regius, velut I, 65 in Gud. *enim* inter *est* et *memoria* omissum eadem manus supra scripsit; similiter III, 77 *enim* ante *esse* praeteritum eadem manus addidit; contraque temere adiectum *enim* ante *in* in Gud. et Reg. I, 97: *vadit enim in carcerem;* in Gud. idem punctis notatum V, 69: *inde est enim indagatio. Enim* additum post *em* in Gud. et Reg. III, 9; idem in margine adscriptum a manu secunda in Gud. III, 79: *sunt enim qui respuant.*

ibid. *Quo minus igitur honoris erat poetis, eo minora studia fuerunt; nec tamen sic, qui magnis ingeniis in eo genere extiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt. Nec tamen sic,* quod est in Gud. et Reg., non erat quod summi viri iudicio comprobaretur, Rich. Bentleii: *sic* enim et ipsum inest in voce *tamen,* ut recte vidit Wesenb. Em. II, p. 2, et, quoniam ante relativum enuntiatum positum est, ad id ipsum videretur referendum esse, id quod totum alienum est: neque enim in istorum temporum ratione quicquam causae erat, quin in ingeniis certe indoles quaedam nasceretur poetica. Nunc Cicero, quod dubitantius dixit: *si qui — extiterunt*, in summa suorum hominum admiratione modestum quodammodo sese praebuit minusque a veritate abhorrentem, id quod quis est quin amplecti malit? Constat autem nihil frequentius esse in libris Mss. littera *c* extremis vocabulis vel addita, praesertim ante *q* et *t*, vel omissa; praeter illa, quae sunt a Wesenbergio allata l. l., cfr. ex optimis codd. Gud. et Reg. *nec* loco *ne* particulae I. 41. 54. II, 56. III. 12, V, 21 (Madv. Em. Liv. pag. 561.); *ac* pro *a* III, 66; *illi* rursus

pro *illic* extat V, 9, *si* pro *sic* in Gud. III, 22; *ne* pro *nec* Gud. pr. IV, 44.

2, 4. *An censemus — non multos etiam apud nos futuros Polyclitos et Parrhasios fuisse?* Repudiavi quamvis commendatam coniecturam Mureti *Polygnotos;* illud, quod libri ad unum omnes tuentur, a simili scriptoris ipsius errore — σφάλμα vocant μνημονικόν — profectum videtur atque *Anticlea* pro *Euryclea* V, 46. Curiosiores sunt, qui Polyclitum non fingendi magis quam pingendi arte floruisse testimoniis confirmant.

4, 7. *Aristoteles — quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere et prudentiam cum eloquentia iungere.* Incertam admodum huius scripturae fidem, quam nullus, ut videtur, scriptorum librorum, sed editiones tantum veteres confirmant, non tantam esse putavi, quae ab eo, quo optimorum duceret librorum auctoritas, oculos animumque deberet avertere. Etsi enim sciebam multa in Gudiano et Regio omissa esse, quorum omittendi saepe obscuriores causae essent, tamen nunc quidem non dubitavi id pro vero habere, quod ad aperiendam vitii originem multo esset inlustrissimum. Scripsi igitur in quod incideram, antequam Baiteri editionem cognoscerem. *dicere docere etiam coepit adulescentes et prudentiam cum eloquentia iungere:* quam unam verborum conlocationem talem esse intellego, quae omnibus rebus satis faciat; nam et suum cuiusque infinitivi verbum quod dicitur regens perspicuum est, et quod convertitur comprehensio ad eandem rem, unde ducta erat i. e. a dicendo ad eloquentiam, utrumque infinitivum et *dicere* et *iungere* ad idem obiectum *adulescentes* referendum esse apparet; denique id, quod novum est maximeque agitur, bis idem varie expressum idque locis conlocationis maxime insignibus positum videmus. Inversum ordinem eumque a perspicuitatis rationibus postulatum habes de Orat. III, 38: *Neque enim conamur docere cum dicere, qui loqui nesciat.*

ibid. *Hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere, in quam exercitationem ita nos studiose dedimus* etqs. Unus isque admodum suspectus cod. Manutii *operam* ante *dedimus* omittit, quod certe nimis creduli, ne dicam leves, fuerunt qui tantula auctoritate commoti delendum censuerunt. Quamobrem laudandus certe Bentleius, quod corrigendi periculum fecit; ceterum ipsum, quod excogitavit, *operam contulimus* futile ac tanti critici acumine et artificio indignum est. Scriptum erat sine dubio notissimis compendiis OPERĀINPĒDIMUS i. e. *operam inpendimus* (*inpendeo*, non *impendeo*, plane exaratum est in Gud. et Reg. III, 25 et saepius). Huius coniecturae laudem sibi vindicat Davisius, quamquam is quidem sui inventi paene contemptor extitit neque quale aut quantum esset satis videtur intellexisse:

adeo vel ignarus rationis vel incertus consilii est. De vitii genere et multi ante dixerunt et nos infra dicemus saepius.

6, 12. M. *Iam mallem Cerberum metueres, quam ista tam inconsiderate diceres.* A. *Quid tandem?* M. *Quem esse negas, eundem esse dicis. Ubi est acumen tuum? — Quid tandem?* quod est in optimis ac paene omnibus libris, in *qui tandem?* mutaverunt de Bentleii sententia Davis. Orell. alii, idemque placuit Wesenbergio Em. II p. 2, aptius esse existimanti ita interrogari *qui fit, ut haec inconsiderate dicam?* quam *cur ita te malle dicis?* Qua in re mihi videtur dupliciter errasse: neque illa interrogatio *qui fit, ut dicam?*, etsi vim ac sententiam adverbii *qui* recte complexa est, nunc quidem interrogantis consilio respondet, qui admirari debebat. quo modo M. ista diceret (Wie so?, non Wie kommt dies?); haec autem *cur ita te malle dicis?* in simplici voce *quid tandem* inesse non potest, quae verba semper sunt non causam aut rationem requirentis. sed cum admiratione eorum, quae ab aliquo dicta sunt, vel reprehendentis vel refutantis; v. nostras Scholas Lat. I p. 142. Quare si illud vellet A., non *quid tandem?* aut *qui tandem?* dixisset, sed *quo modo?* vel *quonam tandem modo?*, ut omnibus iis locis videmus, quos attulit Wesenberg. l. l. Quae cum ita sint, equidem existimo extremam litteram vocis TANDEM pro indicio personae M. habitam. ut factum videmus in Gud. II, 14 post *quidem*, causam extitisse. ut ante interrogationem *Quid tandem?* aliena manu inculcaretur *A*. Iam rectissime erit. si uni omnia vel Magistro vel Marco tribueris hoc modo: *Quid tandem? quem esse negas, eundem esse dicis? Ubi est acumen tuum?* Eandem argumentandi vel potius refutandi rationem adgnosco V. 89, ubi memorata Epicuri de morte et dolore sententia ad reprehendendam Peripateticorum Stoicorumque magniloquentiam ita interrogat Cicero: *Quid tandem?* (ita proditum est a Nonio, Cic. libri plerique *qui tandem?*) *isti grandiloqui contra haec duo, quae maxime angunt, melius se habent quam Epicurus? An ad cetera, quae mala putantur, non et Epicurus et reliqui philosophi satis parati videntur?*; quo loco si interrogatio, ut volunt, proposita esset *Qui tandem isti grandiloqui melius se habent quam Epicurus?*, an illud, quod sequitur, non haberet quo recte posset referri. Quam levis aut nulla sit in hac causa librorum Mss. auctoritas, non modo ea exempla demonstrant. in quibus *quid* loco *qui* ante *D* aut simillimam litteram *P* scriptum est, ut in Gud. et Reg. III, 49. IV, 17, sed etiam illa, quae minus facilem habent explicationem, ut V, 26 *qui melius* pro *quid melius*, alia apud Wesenb. Em. I p. 3. Itaque etiam I. 104 malui Orellii et Wesenbergii l. l. p. 32 sententiam quam Tregderi sequi sprevique coniecturam Leodegarii *qui id poteris?* Simili modo saepissime inter se permutata sunt *quod* et *quo*, velut I, 59 in Gud.

et Reg. *quod meminimus* pro *quo memin.;* ibid. 96 *quod sonitu* pro *quo sonitu;* ibid. 83 *quo multi* pro *quod multi;* II, 42 *quod facilius* corr. in *quo facilius;* volgare mendum dicit Madv. de Fin. II, 108 p. 327.

ibid. *Cum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit, dicis esse.* Moserus cum recte intellexisset *tum* illud non modo supervacaneum esse, sed per sententiae rationem ne ferri quidem posse, alterum utrum statuerat, aut abiciendam esse particulam aut mutandam in *tu;* quorum illud verius multo habendum et particulam ex dittographia, quam vocant, ortam esse nemo est profecto quin concedat Bakio. Atque eiusmodi dupliciter scripta, cum librarius aut falso ab ipso exarata sua manu correcta adiceret aut unam vocem obscurius proditam duplici coniectura tentaret, in codd. Gud. et Reg. multa inveniuntur, quae suo quidque loco a nobis accuratius tractabitur.

7, 14. *Cum igitur dicis: miser M. Crassus, aut hoc dicis: miser est M. Crassus, — aut nihil dicis omnino. — M.* altero loco omisi cum Gud. et Reg.: praegresso modo praenomine repetitione eius non opus esse demonstrat II, 53: *et vero C. Marius cum secaretur principio vetuit se alligari, nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus.*

8, 15. *M. Quia, si mori etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus in vita.* Criticorum de hoc loco vel dubitationes vel coniecturas optime refutavit recta interpretatio Tischeri, qui confert pro Deiot. §. 37: *Multa se arbitratur habere in animo atque virtute, quae nullo modo possit amittere;* poterat etiam Alexandrum commemorare *fortunas suas in amicis habentem.* De Graecis cfr. Elmsl. ad Eur. Med. v. 222: *ἐν ᾧ γὰρ ἦν μοι πάντα.*

Ibid. In Epicharmi versu

Emori nolo; sed me esse mortuum nihil aestimo

quod Wesenb. Em. II p. 3 in edit. Aldina inventum *nihili aestimo* a ratione et consuetudine loquendi flagitari existimat, vereor ne vir cautissimus paulo celerius iudicaverit. Rem qui nihili aestimat, nullius pretii censet esse; qui nihil aestimat, nec parvi eam nec magni facit, sed pensi, ut dicitur, omnino non habet (bringt sie gar nicht in Anschlag.); ut *nihil* non accusativus quem vocant praedicati, sed adverbium habendum sit. Quod ita esse etsi exemplorum similitudine confirmare non queo, tamen haud scio an comparari quodam modo possit Sallustianum illud Cat. II, 8: *eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo,* quod cum sit *vitae mortisque pariter aestimationem facio,* eodem redire intellegitur, ac si dictum esset *par pretium esse statuo* vel *tantidem facio.* Dissimillima ratio est loci III, 18: nam *homo nihil* nihili est.

8, 17. *M. Quid? si te rogavero aliquid, nonne respondebis? A. Superbum id quidem est, sed, nisi quid necesse erit, malo*

non roges. Falsum esse quod Tregderus ex optimis libris recepit *nonne respondebis?*, non tam ex iis, quae cum alii tum Kritz. ad Sall. Iug. XXXI, 17 disputavit, perspicitur, quam ex ipsa, quae sequitur, auditoris responsione. Ita si quaesivisset M., respondere debuit A.: *aequum id quidem est*, non, ut nunc est, *superbum id quidem est; ne* illud ante *re* (*spondebis*) quo modo ortum sit apparet. Diversi generis sunt quae attulit Madvig. de Fin. II, 10 (cfr. Wichert. de praecept. Lat. scrib. p. 49).

9, 18. *Sunt enim, qui discessum animi a corpore putent esse mortem; sunt qui nullum censeant fieri discessum.* Semel dicam quod in universo genere, cuius me hic locus admonet, valere existimo. Optimi libri, qui antea indicativum *putant*, iidem post eadem in causa i. e. in sententia ex aequo posita coniunctivum *censeant* praebent: utrum igitur corrigendum putas? Ut brevi complectar, verissimum est quod Orell. ad Cic. Orat. §. 136 (edit. Turic. 1830) demonstravit, nullam esse hac in re ne antiquissimorum quidem librorum auctoritatem statuendumque ita, ut Ciceronem credamus post *sunt qui* semper coniunctivo usum atque ita infinitam numero frequentiam, non certos et numero aliquo circumscriptos homines significare maluisse, ut et hoc loco videmus et eius simillimo III, 76: *Sunt qui unum officium consolantis putent, malum illud omnino non esse, ut Cleanthi placet; sunt qui abducant a malis ad bona, ut Epicurus; sunt qui satis putent ostendere nihil inopinati accidisse, ut Cyrenaici —; sunt etiam qui haec omnia genera consolandi colligant;* quo loco in Gud. ceterisque fere omnibus invenitur primum *putent*, deinde *abducunt — putant — colligunt.* Tametsi enim singularum sententiarum, quarum utroque loco mentio fit, singuli sunt certique auctores, tamen eorum, qui illas secuntur, infinitus numerus incertusque putandus est. Idem iudicium est Madvigii de Fin. I, 70 et Wesenbergii Em. I p. 17. Quamquam ego quidem eximendum putaverim ex hoc numero eum ipsum locum, quem nominavi III, 76, in quo vereor ne recte proditum sit ab omnibus libris *sunt qui abducunt a malis ad bona, ut Epicurus:* interest enim utrum dicas *ut Epicurus,* an, quo modo paulo ante, *ut Epicuro placet;* hoc quominus ab Epicuro ad eius familiam cogitationem traducamus nihil impedit, illud, etsi infinite posuit Cicero *sunt qui,* tamen ad unum ac certum hominem idque invidiae augendae causa relatum esse apparet. Quare sic existimo, indicativo *abducunt* sequentium verborum modos in eadem, ut videbatur, sententiae conformatione a librariis esse accommodatos.

9, 19. *Animum autem alii animam, ut fere nostri. Declarat nomen; nam et agere animam et efflare dicimus [et animosos et bene animatos et ex animi sententia]; ipse autem animus ab anima dictus est.* Dubium non est quin hoc voluerit Cicero, Romanos animi et animae vocibus promiscue uti, non, ut

sunt qui interpretantur (Ottonem dico Heinium), animae nomen eadem vi usurpari, qua animum: nam hoc si vellet, recte nos verba *et animosos et bene animatos et ex animi sententia* neque quorsum spectarent intellegi et abicienda esse, ut plerique, statueremus. Quare non *declarat nomen*, sed ex optimis libris, qui pluralem verbi tuentur, scribendum erat (restituto quod ante *N(am)* intercidit A) *declarant nomina*, animae scilicet et animi, quibus loquendi consuetudine res non disiunctas significari exempla quae secuntur demonstrant: nam *et animam agere et efflare* dicitur, qua in re morti proxima vel maxime expectabamus *animum* dici, ut re vera nostri homines *den Geist aufgeben*, et rursus nullo sententiae discrimine *animosus* et *bene animatus* (velut *Pompeius melius animatus quam paratus* ad Fam. VI, 6, 10), quorum illud Cicero, ut est rudis etymologicae artis, ab *animo*, hoc ab *anima* videtur duxisse; denique repugnans quodammodo notioni vocis *animatus* illud ex *animi sententia* (nach Herzens Wunsche), sed ex eodem quasi fonte, quo *bonus animus* qui dicitur, sumptum. Quid ergo? hanc tu interpretationem ut ineptam aut subtiliorem aspernari mavis, quam de librariorum aut grammaticorum prava sedulitate incredibilia comminisci? An quisquam sanus credat ea ab iis explicandi causa adscripta esse, quae leviter aspecta absurda plane et a scriptoris consilio aliena viderentur?

10, 19. *Sed haec quidem, quae dixi, cor, cerebrum, animam, ignem, vulgo: reliqua fere singuli. Ut multo ante veteres, proxime autem Aristoxenus — ipsius corporis intentionem quandam.* Hanc Rich. Bentleii coniecturam repudiata librorum scriptura (*multi ante veteres*) certe non recepissent Tregderus et Baiterus, si, quid illud *veteres* vellet, satis secum reputassent. Etenim si extiterunt qui multo ante Aristoxenum idem, quod hic, censerent, eos veteres fuisse, cum nullo negotio intellegeretur, non erat quod declararetur verbo; accedit, quo minus illud *multo ante* probemus, quod veteres isti multine an pauci an omnes fuerint aeque incertum est. At *multi ante veteres* non sunt *singuli*, singulos autem, non multos fuisse necesse est, nisi vis Ciceronem non dicam cum veritate, sed secum ipsum pugnare. Quod quidem tam verum tamque manifestum est, ut mirer a nullo adhuc inventum esse, quod minime obscurum aut reconditum fuerit, hoc dico: *ut nnulli (nonnulli) ante veteres*. Similiter ad Famil. VI. 9, 1 pro *nullo ut* est in Med. *ut nonnullo*, de Div. I, 15 pro *numquam* in duobus codd. ap. Or. *nonnumquam; multa* pro *ulla* in Gud. et Reg. Tusc. III, 46. Igitur et hoc documento confirmatur sententia Lachmanni, Lucret. III, 98 *Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt*, qui versus in impressis solum libris invenitur, fictum esse a Marullo.

10, 20. *Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse, [verum] numerum dixit esse, cuius vis, ut iam ante Py-*

thagorae visum erat, in natura maxima esset. Facile concessi in Wesenbergii sententiam probantis Em. II p. 6, quod ex deterioribus libris primus receperat Manutius, *corpus negavit esse ullum, numerum dixit esse.* Minus probabile videtur, quod visum est O. Heinio Progr. Posn. 1862 p. 10, *verum*, quod est in optimis libris, ortum esse ex dittographia, cum scilicet sic scriptum *numerum* „*nuerum*" non agnitum librarius primum *uerum* (*verum*), deinde correctum *numerum* daret. Quod Bentleius invenerat *merum numerum dixit esse,* nemini, quod sciam, persuasit: nimirum isto apposito Cicero, quos volgo magni facit viros Xenocratem multoque magis Pythagoram, eos contemnere quodammodo ac despicere videretur. Klotzii vero commentum *corpus negavit esse verum* scribentis, id Baitero placuisse vehementer miror.

ibid. *iram et cupiditatem, quas locis disclusit, iram in pectore, cupiditatem supter praecordia locavit.* Removimus cum Baitero quod in Regio manus recentissima addidit *disclusit*, repetitum videlicet ex §. 80: *quas — semotas a mente et disclusas putat; suis,* quod ex Eliensi tertio et nonnullis editt. vett. recepit Davisius, et facilius post *locis* omitti potuit et, quod caput est idque in primis dici debuit, loca illa tamquam diversa a rationis sede planius declarat.

11, 23. *Efficiet enim ratio, ut, quaecumque vera est earum sententiarum, quas exposui, mors aut malum non sit aut sit bonum potius.* Et hoc loco et paulo infra §. 30 in modorum ratione a vero aberravit Tregderus: nam in his, quae proposui, verbis relativum enuntiatum *quaecumque vera sit* (sic libri omnes) artissimo sententiae vinculo cum eo, quod efficiet ratio, copulatum est, quae si loqueretur, in hunc modum diceret: Convincam mortem, quaecumque vera sit earum sententiarum, aut malum non esse aut esse bonum potius. Cfr. II, 42: *Ego illud, quicquid sit, tantum esse, quantum videatur, non puto.* Altero loco §. 30: *Ut porro firmissimum hoc adferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit* (sic plerique libri: Gud. et Reg. *fit*) *inmanis* etqs. apparet scriptorem non suam adferre rationem, sed aliorum: dicit enim passivo *hoc adferri videtur*, ut rectissime se habeat coniunctivus ex mente et cogitatione adferentium expressus.

11, 24. *Quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse?* Quae esset huius loci singularis ratio, qui neque in amplificationis genere neque in praeteritionis versaretur, expositum est a nobis Schol. Lat. I p. 82 ed. I. Sed nescio quo errore ductus tunc in eam sententiam inclinavi, ut Bentleii iudicium secutus scribendum putarem: *ne quid de Dicaearcho dicam;* in quo quid peccatum sit, ex altera eiusdem libri editione cognosci poterit.

12, 26. *Auctoribus quidem ad istam sententiam — uti optimis possumus, — et primum quidem omni antiquitate, quae quo propius aberat ab ortu et divinā progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.* Praeclaro documento, quid quantumque interpretandi arte effici posset, hoc loco ostendit Reinh. Klotzius, qui sic vertit: ie weniger die alte Zeit von ihrem Ursprunge entfernt war. Quid? Klotzius, vir, ut audio, aetate provectior, si ab ortu suo proxime abesse se diceret, nonne putandus esset ad ultimam infantiam redisse itaque iure rideretur? An stulti sumus, qui ipsos illos antiquos homines tamquam infantes, ut est in nostratium proverbio, vera dixisse non intellegamus? Proinde quasi *dicere vera* et id, quod nunc agitur, *cernere quae vera sunt* idem sit. Apage igitur istiusmodi ineptias, quae optimi scriptoris laudes commaculant. Antiquitatem i. e. homines antiquos non ab suo ortu proxime afuisse, sed ab ortu hominum recte diceretur; quae sententia cum abhorreat a simplici *ortu* neque id possit nisi ad ipsorum hominum ortum antiquorum referri, quo nihil absurdius esse intellegitur, propterea quod nemo potest a suo ortu proxime abesse nisi vi quadam translata, quae ipsa in hunc locum minime cadit; quid tandem reliquum est nisi ut librorum scripturam vitium fecisse iudicemus idque resarciamus restituendo, quod amissum erat, *primo*: quod quidem cum compendio scriptum esset *pȏ*, facillime potuit cum littera *b* commutari conflarique cum praep. *a*. *A primo* autem *ortu* rectissime dictum esse nullo addito genetivo, si minus ex ipsa verborum vi, at ex eo, quod est explanandi causa adiectum *et divina progenie*, perspicuum est.

12, 27. *Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos cascos appellat Ennius, esse in morte sensum.* At hoc loco Klotzius, cuius sollertiam modo acerbioribus facetiis perstrinximus, ex infante disertus factus est: ita multa ex omnibus linguae partibus conlecta in unum congessit, ut demonstraret *unum* non *unum* esse, sed *praecipuum quiddam*. Quae quidem omnia putandus est ut unus pater familias (nam ne hunc quidem commemorare omisit) inter suos subito effundere quam, ut criticum decet, certis rationibus subtilique iudicio perpensa discernere maluisse. Atque haec quidem de Klotzio; quid ceteri interpretes? num meliora docuerunt? Nemo unus probavit, id quod mea sententia probari nequit, vocem *unus* superlativo aut ea verborum complexione, quae vim superlativi aequet, non coniunctam posse excellentiae, ut ita dicam, notionem adferre: quod nisi probatum antea fuerit, ego vitiosa esse verba, quae transcripsimus, teneo. Scripsi igitur levissima correctione *unum erat insitum in primis illis, quos cascos appellat Ennius*. Vitium eiusdem generis est, quod supra attigimus §. 7, ex quo multa inveniuntur in his ipsis, quos tractamus, libris, velut *in* post *enim* omissum I, 96: *Graeci*

enim conviviis; II, 1: *enim philosophia; in* omissum ante *mentibus* I, 33 in Gud. m. sec. supra scripsit, alia, quae suis locis commemorabuntur. *Illis* autem ad *antiquitatem* §. 26 relatum, ne si additum quidem esset *quos cascos appellat Ennius*, quicquam haberet offensionis.

ibid. *mortem esse quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in coelum soleret esse, in ceteris humi retineretur et permaneret tamen.* Neque vitam mortuorum, nisi permanere eos post mortem expositum sit, neque commutationem vitae, quod volunt idem esse atque commutatam vitam, humi retineri recte atque incorrupte dici quid me attinet pluribus demonstrare? Itaque hoc quidem apparet, subiectum praedicati *retineretur* aeque ac verborum *soleret esse* non *vitam* aut *commutationem vitae*, sed *mortem* ipsam esse; hanc vero dici humi retineri, cum ipsi mortui atque sepulti dicendi fuerint, nemo mirabitur, qui meminerit eorum quae multo audacius dicta sunt, velut p. Mil. §. 86 *mortem alicuius lacerare,* vel pro Sest. §. 83 *alicuius mortem monumento ornare.* Quae si recte a me disputata sunt, vitiose prodita esse ab optimis libris verba *et permaneret tamen* negari non potest. Scripsi igitur, in quod ante me alii inciderant, qui iidem ne priore quidem enuntiati parte manus abstinuerunt, sic: *in ceteris humi retineretur, ut permanerent tamen.* Numeri verborum quam saepe inter se etiam in Gud. et Reg. permutati sint, cum pluralis indicium *n* littera lineola supra terminationem scripta notaretur, infinitum est enumerare. *Ut* et *et* permixta in Gud. et Reg. III, 75 *ut vigeat.*

13, 30. *Omnes — esse vim et naturam divinam arbitrantur; nec vero id collocutio hominum aut consensus effecit* etqs. Buberii coniecturam *consessus* pro ineptissimo vocabulo *consensus* scribentis pluribus verbis commendare supersedeo, quoniam satis ei muneri factum est ab O. Heinio Progr. Posn. 1862 p. 6. Quamquam quod ille *consessus* vocabulum coetum intellegit non certis legibus constitutum idque confirmari putat Cic. de Legg. II, 13: *quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliquas consessu suo sanxerint*, id mihi neque in latronum consessum, quem quidem hoc loco descripsit Cicero, nec in iudicum, in quibus proprie usurpatur vocabulum, cadere videtur. Quamobrem hoc quoque loco, unde profecta est disputatio nostra, malim rem ita animo informari, quasi negetur homines tamquam iudices ad sententias de deorum opinione ferendas convenisse. Ceterum eodem vitio §. 37 pro *consessus* scriptum est in Gud. et Reg. *consensu* contraque §. 4 ex *cesemus* i. e. *censemus* in Reg. factum *cessemus*, aliaque id genus innumerabilia.

14, 31. *Serit arbores, quae alteri saeclo prosint, ut ait in Synephebis, quid spectans nisi etiam postera saecula ad*

se pertinere. Ait in optimis libris extat omisso subiecto, in aliis *Statius*, in nonnullis *Ennius*, in Augustano *ille* additur. Statio quidem et Ennio eo facilius caremus, quod poetae nomine addito cum eius ipsius, qui serit arbores, notationem desideramus tum, quo *quid spectans* referendum sit, haesitamus. Itaque unum illud *ille* cod. Augustani, quod quidem inter AIT et IN facile interire potuit, eiusmodi est, nihil ut dubitationis relictum sit omniaque ad unum spectent serentem arbores. *Ille* enim non poetam, sed ipsam, quam is loquentem facit, personam significat de Fin. II, 14. V, 28. Illud quidem verissime monitum est a Wesenbergio Em. II p. 7, Ciceronem, si in voce *ait* poetae nomen intellegi vellet, id omittere non potuisse planeque diversi generis esse illud *inquit* in occupatione, quae in arte dicitur: quod ipsum ut concedatur omitti potuisse, tamen serentis subiectum nomine notandum fuisse apparet. Denique non est quod doceam tertiam personam *serit* pro prima *sero* ita scripsisse Ciceronem, ut suae orationi accommodaret.

Ibid. *Quid procreatio liberorum —, quid ipsa sepulcrorum* [*monumenta*] *elogia significant nisi nos futura etiam cogitare? Quid* ante *elogia* omissum in Gud. et Reg. non eiusmodi esse, quod suspitionem movere glossematis deberet, recteque *monumenta elogia* tamquam duas eiusdem generis formas non copulatas componi et ego argumentis docui in Mützellii Diar. Rer. Schol. 1861 p. 68 et ante me, quod tum latuit, verbo significaverat Re. Klotzius Addend. et Corrigend. praef. p. VII. Pluribus rem verbis nuperrime amplexus est O. Heinius Progr. Posn. 1862 p. 8.

15, 34. *Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clipeo Minervae, cum inscribere non liceret?* Rectissimo sensu Ernestius quid in his verbis vitii inesset admonitus *nom̄* i. e. *nomen* ante *non* omissum adiciendum putavit, id quod integrum servare debebat Tregderus Em. II p. 8 neque pronomine addendo *suum*, quod et inutile est propter praegressum *sui similem speciem* neque causam erroris tam apertam ostendit, corrumpere. Verbi *inscribere*, ut nunc est, obiectum esset *clipeum*, cuius notionem, cum modo antecessisset, redintegrari non opus erat; sed clipeus aeque ac statuae et imagines inscribi variis rebus possunt, in quibus artificis aut architecti ipsius nomen vereor ne locum infimum habeat; nunc autem id ipsum agebatur, ut eius, qui fecerat opus, in opere indicium extaret.

16, 37. *inde in vicinia nostra Averni lacus,*

Unde animae excitantur obscura umbra aperto ex ostio
Altae Acheruntis, salso sanguine, mortuorum imagines.

Paene deterriti sumus, quominus, ut rectissime putabamus Fr. A. Wolfium, ita nos explicando ablativo *obscura umbra* de loci, ubi

excitantur animae, descriptione cogitaremus: adeo gravis est reprehensio Re. Klotzii, cum addit: *id quidem non inest in verbis.* Sed hoc leve et nugatorium; illud multo admirabilins, quod Orellius, cum a Bentleio certissimis argumentis demonstratum esset neqne in *falso* neque in *salso sanguine* quicquam sani inesse, ipse in *falso sanguine* haerere maluerit qnam snam emendationem, quam unam omnium verissimam duco, *cassae sanguine mortuorum imagines* tueri ac defendere. Etenim contra Bentleii coniecturam multa ac satis gravia dicenda sunt. Nam et verba *fuso sanguine,* nt monet Orellius, longiore intervallo a praedicato, quod vocatur, *excitantur* disiuncta sunt, quam nt intellegi facile possint; et res ipsa obscurius significata, quippe quae sacrificii potius facti quam hausti a mortuis sanguinis admoneat; denique quid velit illa tarde subsequens et non modo otiosa, sed paene ipsis umbris inanior appositio *mortuorum imagines* prorsus fugit. Orellium autem si sequemnr, plena et perfecta sententia nihil desiderabit lucis. Ac ne vehementiorem dicas correctionem *cassae* pro *salso*, ut *salso* scriberent librarii adducti sunt, ut sescenties, proximi nominis *(sanguine)* forma, cui adiectivum accommodandum pntarent; cuius rei non est quod longe repetam exempla: his ipsis, ex quibus Bentleius *salsum sanguinem* removit, vitii genus satis superque demonstratur. Ceterum *cassos lumine* mortuos a Vergilio dici notum est. In v. *cassus* similiter erratum in Gud. V, 119, ubi pr. m. *casus* pro *cassum* scripsit.

16, 38. *Itaque credo equidem etiam alios tot saeculis, sed, quod litteris extet, Pherecydes Syrius primus dixit animos esse hominum sempiternos.* Ita in his verbis emendandis secutns snm Wesenbergii sententiam Em. I p. 7, nt tamen propiore, ut mihi videbar, via ad verum pervenirem. *Quod litteris constet* i. e. quod litterarum monnmentis confirmatum sit, id denique non modo consuetudine Ciceronis dignissimum est, cnm illud *quod litteris extet* Plinium deceat maiorem, qui *Atheniensium monumentis apparet* et similia dixerit; sed etiam a sententiae ratione paene flagitatur: nam incertae neque testimoniis confirmatae opinioni Ciceronis *(credo equidem)* nihil tam recte contrarie refertur quam certa memoria litterarum. Contrarium in modnm neque vero iustam ob causam de Orat. II, 93: *Antiquissimi fere sunt, quorum quidem scripta constent, Pericles atque Alcibiades* contestatum a libris *constent* a Lambino mntatum est in *extent,* quod quid differret ab altero vi et significatione, imperitorum causa explicavit Piderltus. Sed idem tamen Lambinus rectissime probavit coniecturam Rivii Brut. §. 333: *Nonne videmus vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles extitisse?:* librorum scripturae *constitisse* neminem interpretum ne ullam quidem rationem probabilem attulisse video. Ceterum *cstet* et *ecstet* facile permutari posse apparet.

Ibid. Pythagoras — tenuit magnam illam Graeciam quum [honore] disciplina, tum etiam auctoritate. Per mihi mirum videtur iudicium eorum, qui quod ab optimis libris proditum est *honore* iuxta vitiosum *disciplina*, id delere, quam cum Lambino facillimo remedio vitiosam partem sanare itaque totum, ut ita dicam, corpus servare maluerunt. Nimirum honor, inquit H. Sauppius, ab auctoritate, quae deinde disciplinae opponitur, non diversus est. Quanto rectius Fr. A. Wolfius eumque secutus Wesenb. Em. II p. 10: *honore disciplinae i. e celebritate, auctoritate autem, quod in re publica multum valebat.* Itaque hoc dicit Cicero, ut Wolfii persequar rationem, Pythagoram magnae illius Graeciae quasi rectorem quendam ac moderatorem fuisse duabus rebus, quod et disciplina, quam profitebatur, in magno honore erat studiosorumque et multitudine et nobilitate floruit, et quod ipse etiam consilio et prudentia in rebus publicis multum apud suos valebat: qua sententia quid integrius possit esse, invenio nihil.

17, 40. *Num igitur dubitamus, sicut pleraque? (quanquam hoc quidem minime; persuadent enim mathematici)* etqs. Nihil causae erat cur a librorum memoria Bentleium secuti recederent Tregderus Baiterus alii. Oblitus sui paulisper Magister quaesiverat nullo dubitationis indicio *num igitur dubitamus?*, deinde rediens ad se corrigere vult ea, quae dixit, nova et contraria interrogatione *an sicut pleraque?*, quam ne absolveret addendo, quod est additum in nonnullis libris, *sic et hoc* scil. *dubitamus,* alacri illa interpellatione ducta ex certissimae doctrinae conscientia impeditus est. Similis interpellandi forma interrogatione infertur *quid ergo est?*, de qua v. Schol. Lat. I. p. 105 ed. II.

17, 41. *Si vero aut numerus quidam est animus, — aut quinta illa non nominata magis quam intellecta natura, multo etiam integriora — sunt.* Hanc, quae est a Fr. A. Wolfio profecta, loci scripturam satis redarguit Wesenb. Em. II p. 12; ipsum ut redargueremus, nobis reliquit. Qui si verissimam putat librorum memoriam *non nominata magis quam non intellecta natura* eamque, ut par erat, ita interpretatur *intellecta pötius quam nominata* vel, ut ipsius verbis utar: *eher unbenannt als unbegriffen:* quid tandem ad hanc rationem fulciendam peti potest subsidii ex §. 22, ubi quintum quoddam genus praeter nota illa quattuor principiorum genera ab Aristotele primum et inventum et, cum nomine vacaret, novo nomine appellatum esse narratur? ex quibus, si quid video, luce clarius est, nomen rei inventum esse idque certissimum esse, rem ipsam incertiorem i. e. ab ipso inventore minus perceptam iure visam esse ei, qui illam omnium minime intellexerit, qualis esset, in eaque explicanda non mediocriter lapsus sit. Prorsus vero absurdum est illud *non nominata* ad eos referre, qui neque rem neque nomen noverint, *non intellecta* autem ad illum, qui nomen invenerit, sed rem

ipsam, qualis esset, minus intellexerit. Quod cum ita sit, facile ego acquiescerem in Rathii coniectura *illa nominata magis quam intellecta natura*, quam ita probat Orellius, ut prius illud *non* in *nove* mutatum retineat, nisi audacius videretur bis relinquere certissimum omnium librorum testimonium; multo facilius, unde duplex negatio oriri potuerit, nostra demonstrat emendatio *illa uoce* [*voce*] *nominata magis quam animo intellecta natura.* Atque *animo* vocem partim in eo, quod extat, *no (non)* servatam esse partim post *quam* proclivi errore intercidere potuisse, non est quod doceam.

Ibid. *Horum igitur aliquid animus est, ne tam vegeta mens aut in corde cerebrove aut in Empedocleo sanguine demersa iaceat.* Durissimam hanc verborum structuram, sive *est* intellegis *a natura factus est*, sive *esse statuo*, monstrantibus optimis libris, in quibus et *est* omissum et pro *ne* scriptum *nec*, aptam et concinnam reddidit Wesenb. Em. I p. 2 hoc modo: *horum igitur aliquid animus sit nec tam vegeta mens — iaceat.* Ut nihil dicam, obscuram admodum atque ambiguam esse coniunctivi rationem, quem acciperem, si postulantis posset esse, non dubitantius vel modestius loquentis, vir sollertissimus ut omissioni librorum parum, ita falsae scripturae nimium tribuisse existimandus est; aut hoc aut nihil verum erit: *Horum igitur aliquid dabimus, ne tam vegeta mens — iaceat.* Cfr. de Fin. V, 83: *Ut in geometria, prima si dederis, danda sunt omnia;* ibid II, 86: *Atque hoc dabitis — id oportere totum poni in potestate sapientis.* De scribendi vitio cfr. IV, 60 in Gud. *obicibus* pro *obicimus.* Iam desinet etiam illud offensioni esse, quod Thomam Bentleium non iniuria male habuit, facta animi mentione eundem animum alio nomine repeti ac describi *tam vegeta mens*, cum dictum oporteret *tam vegeta res;* nunc non praegresso *animus* nihil intererat utrum *tam vegetus animus* an *tam vegeta mens* diceretur: utroque nomine promiscue uti Ciceronem apparet, ut exemplum adferam, ex §. 46: *ut facile intellegi possit animum et videre et audire, non eas partis, quae quasi fenestrae sunt animi; quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat et adsit.*

19, 43. *Accedit, ut eo facilius animus evadat ex hoc aëre, — quod nihil est animo velocius, nulla est celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere.* Sive per repetitionem, quam vocant, negationes *nihil — nulla* inter se referri putas, vix credo Ciceronem tam inani verborum cumulo exaggerasse rem, quam bis iisdem fere verbis efferret; sive alteram sententiam *nulla est celeritas* alteri, quae antecedit, tamquam causam subiectam esse existimas, tam abruptam tamque dissolutam enuntiati formam in tam sedato dicendi genere quis ferat? Restituo igitur id vocabulum, quod et ante v. *cele(ritas)* facile potuerit amitti et ad causam adferendam confirmandamque aptissimum sit, *certe*, eadem vi

atque sententia qua Graecorum *νοῦν* positum, ut hoc fere dixerit Cicero: nam hoc quidem certum est nullam rem inveniri celeritate praeditam, quae possit cum animo contendere. Generalius esse *celeritatis* nomen docet IV, 31. Quod quidam veteres editores, ut supra I, 3, ita hoc loco inferciunt *enim* particulam, rectius boni homines sensisse quam felicius emendasse vitium censendi sunt. De vi particulae v. Hand. Turs. II p. 23, 11.

ibid. *Tum enim sui similem et levitatem et calorem adeptus tanquam paribus examinatus ponderibus nullam in partem movetur.* Cum ab optimis libris proditum esset *Cum enim — adeptus* omisso verbo *est*, quin recte a Bentleio emendatum atque ab Orellio Tregdero aliis receptum sit *Tum — adeptus*, quis est qui dubitet? *Cum* et *tum* permixta cum saepe tum in Gud. et Reg. invenies I, 62. II, 60. V, 4; in Gud. III, 20 *quae cum est* pro *quae tum est*.

22, 51. *Nisi enim, quod nunquam vidimus, id quale sit intellegere non possumus, certe et deum ipsum et divinum animum corpore liberatum cogitatione complecti possumus.* Quomodo cum hac exceptione *es müsste denn sein, dass wir nichts Ungesehenes uns vorstellen könnten* — aliter autem explicari verba *nisi — non possumus* per grammaticae rationes non licet, ut nimium sapere videantur, qui ea idem valere censent quod *si — possumus*, ut Wichert. de praecept. Lat. scrib. p. 34 — cum hac igitur protasi quomodo apodosis congruat cum adseveratione adfirmans: *jedenfalls können wir uns Gott und den göttlichen Geist vorstellen*, deus aliqui viderit, ego me meae mentis acie non dispicere aperte confiteor. Intellegerem equidem, quid vellent sic scripta: *Si quicquam, quod numquam vidimus, quale sit intellegere possumus, certe et deum ipsum et divinum animum — cogitatione complecti possumus;* sed hanc cogitationem a sententiarum ratione nunc quidem alienissimam esse apparet: nihil enim ad probandum scriptoris de animo iudicium momenti adferret. Nunc ad refellendos Epicureos, qui, qualis futurus sit animus corpore liberatus, intellegere se negant, argumentum repetit Cicero a deorum opinione, quos quidem ipsos nemo umquam viderit, cogitatione tamen complectantur omnes. Itaque hoc unum ad probandum appositum erat, quod scripsi: *Si enim, quod numquam vidimus, id quale sit intellegere non possumus, certe nec deum nec divinum animum — complecti possumus* i. e. Si verum est, quod Epicurei volunt, nihil, quod cerni non possit, ne intellegi quidem posse quale sit, sequitur, ut non modo animus corpore liberatus, de quo nunc agitur, sed ne di quidem ipsi animo informari possint; atqui deos nemo est quin cogitatione complectatur; ergo animum etiam divinae naturae cognatum mente informari posse concedent. Quod igitur *et — et* mutavimus in *nec — nec*, ne cui mirum aut insolens

videatur, saepius in his vocibus peccatum esse constat vel in optimis libris, velut in Gud. et Reg. IV, 60 *cum doceas et bonum* pro *cum doceas nec bonum;* de altero, qui ex isdem libris adfertur, loco IV, 61 equidem dissentio. *Nisi* autem, cuius in locum in compluribus iam editt. vett. *si* substitutum est, aut repetenda antecedentis vocabuli extrema sillaba aut permiscendis vocibus *si* et *ni* oriri potuit; v. Madv. Em. Liv. p. 89. p. 467. Denique hoc adicio, sententiam ipsam, quam nos expressimus, recte animo comprehensam esse a Buherio, conformationem eius hanc: *Nisi — intellegere possumus, certe et deum ipsum et divinum animum — cogitatione complecti non possumus* a Latinitate longissime abhorrere.

22, 52. *Hunc (animum) igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum † tributum a deo sit hoc, se ipsum posse cognoscere.* Hanc optimorum codd. memoriam ita immutarunt recentiores critici, ut scriberent *non esset hoc — praeceptum tributum deo*, expunctis quae pro glossemate haberi volunt verbis *sc.* (unde *sit* factum) *se ipsum posse cognoscere.* Quid tandem? hoc tu alienae manus additamentum putas, cuius nec causa addendi ulla cognoscatur nec sic recte additum sit ad explicandum *hoc praeceptum*, cum potius ita debuerit *sc. nosce te* vel *sc. ut se quisque ipsum noscat?* Accedit quod iidem praepositionis (*a* deo) rationem nullam habuerunt. Quod cum ita sit, si quod lacunae signum extaret in illis quos dixi libris, facilius crederem scriptum esse a Cicerone *non esset — tributum deo [unde licet, quale] sit hoc se ipsum nosse, cognoscere;* nunc probabiliora secutus hanc praefero coniecturam *non esset — tributum deo*: *adeo arduum est hoc se ipsum posse cognoscere.* Iam intelleges, opinor, unde et illud *a deo* natum sit et quomodo *arduu* post *adeo* intercidere potuerit; hoc ipsum autem ut inveniremus, quod in magno aliquo opere saepius usurpatum est a Cicerone, velut I, 26. III, 84, digito quasi monstravit infinitivus *posse.* Cfr. de Legg. I, 58: *Haec (philosophia) una nos cum ceteras res omnes tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus.* Erit igitur hoc alterum exemplum, quo *adeo* comprobetur etiam a Cicerone adhibitum esse in epiphonemate, quamquam quod unum antea extabat de Offic. I, 37: *Adeo summa erat observatio in bello movendo*, in suspitionem vocatum est a Stürenburgio et Handio Turs. I, p. 152 (v. mea ad Lael. p. 571). De ipso autem repetitionis genere, quod cernitur in epiphonemate, multus possem esse, si vel necesse esset vel otio abundarem.

23, 54. *Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur. Id autem nec nasci potest nec mori; vel concidat omne coelum omnisque natura consistat necesse est.* Vertit Cicero Platonis Phaedr. p. 245: Κινήσεως μὲν ἀρχὴ

τὸ αὐτὸ αὑτὸν κινοῦν· τοῦτο δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν, ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γένεσιν συμπεσοῦσαν στῆναι. Quid ergo? in hac verborum comprehensione ἢ illud latine putas potuisse reddi *vel* particula? an Ciceronem credis tam rudem fuisse Graecarum litterarum, qui, quid vellet ἤ, non adsequeretur? Quid planius, quaeso, quid apertius haec disiuncta esse: *quod ipsum a se movetur aut non moritur, aut, si moritur, concidat omne caelum necesse est?* Ut nunc sunt verba, etiam si sumas, quod sumi non potest, *vel* illud exaggerantis properantisque ad summum atque extremum esse, tamen non nexae inter se sententiae molestissimae sunt. Scribendum igitur erit vel hoc modo: *id autem nec nasci potest nec mori, aut concidat omne caelum — necesse est*, vel, quod magis crediderim: *ut non concidat omne caelum — necesse sit;* nam et facilior permutatio est *ut* et *vel* (ut) particularum (v. ad IV, 81 et Madv. de Fin. I p. 10) et *non* ante *con* saepe omissum (v. Madv. Em. Liv. p. 579). De loquendi ratione v. Madv. de Fin. p. 266.

24, 57. *Habet primum memoriam et eam infinitam rerum innumerabilium* etqs. Praegressis duabus condicionibus iisque a rerum veritate disiunctis: *si nihil esset in animo, nisi ut per eum aut viveremus aut appeteremus*, id, quod verum est atque in rerum natura positum, non potest subsequi, ut non particula aliqua rem contra esse indicatum sit, sive *nunc, nunc autem* sive *sed* sive *autem*. Itaque verum ut saepius videtur vidisse is, qui cod. Augustanum scripsit, cum correxit *Sed habet primum memoriam;* nam *set* inter extremam litteram antecedentis vocabuli *bestiis* et primam sequentis *habet* (SET et SH) facile potuit hauriri. Cfr. II, 47: *Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius. Sed praesto est* etqs.

24, 58. *nihil putat esse, quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, quale ἰδέαν appellat ille, nos speciem.* Huic loco lucem adfert simillimus ex Acad. I, 30: *mentem volebant rerum esse iudicem: — quia sola cerneret id, quod semper esset simplex et unius modi et tale, quale esset. Hanc illi ἰδέαν appellabant —, nos recte speciem possumus dicere.* Hoc ipsum paene eisdem verbis hoc loco repraesentamus scribendo *quod semper tale sit, quale est: ἰδέαν appellat ille, nos speciem; est* autem non temere aliunde arripuimus, sed ex prima littera vocis *ΕΙΔΕΑΝ* duximus, quae nunc denique cur sic scripta sit in optimis libris plane cognoscitur. Quod Keilius Lignit. voluit *quod semper tale sit, quam ἰδέαν appellat ille*, aut Baiterus *quod semper tale sit, quale sit, quam ἰδέαν appellat ille*, neque per se ipsum integra sententia est et, si esset, mutatione non opus fuisse demonstrant exempla a Petero allata ad Orat. XI, 36.

25, 60. *Quae sit illa vis et unde, sic intellegendum puto. Non est certe nec cordis nec — atomorum; anima sit ignisne, nescio, nec me pudet fateri nescire, quod nesciam; illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem, sive anima sive ignis sit animus, eum iurarem esse divinum.* Nisi Ciceronem censemus confuse ac perplexe locutum esse, omnia in his tricarum plena putanda sunt, quas quidem ex parte, non totas sustulit criticorum maximeque Bentlei sagacitas. Is primum vidit, id quod dubitari nequit, scribendum esse antegressis genetivis *animae sit*, non *anima sit;* interrogationem ipsam, quam effinxit: *an animae sit ignisve*, vitiosissimam esse, hodie non est quod peritis dicam; rectius Lambinus *anima sit ignisne*, nisi quod idem lapsus est in nominativo retinendo. Sed multo graviora sunt, quae restant. In iis enim, quae secuntur, verbis neque *illud habet*, quo referri possit, neque ipsa enuntiati condicionalis forma *possem* recte se habet, quoniam nunc quidem Cicero sine ulla dubitatione divinam esse vim memoriae adfirmat, nec verba *eum esse divinum* incorrupta sunt, quibus miro quodam cogitationis errore a *vi memoriae* reiciamur ad *animum*. His igitur tot turpibus vitiis medebitur facillima emendatio nostra: *illud, si ulla alia de re obscura, adfirmare possum, sive anima sive ignis sit animus, eam iurare me esse divinam.* Sic denique omnia optime inter se conveniunt rectissimeque pergitur: *Quid enim, obsecro te, terrane tibi — aut sata aut concreta videtur tanta vis memoriae?*

25, 61. 62. *Quid? illa vis quae tandem est, quae investigat occulta, quae inventio atque excogitatio dicitur? Ex hacne tibi terrena mortalique natura — concreta ea videtur, aut qui primus — omnibus rebus imposuit nomina* etqs. Certe mortale et caducum est, quod hoc loco inventionis vi excogitavit Orellius, ante abrupta verba *aut qui* facillimo scilicet zeugmate mente addenda esse *aut mortali natura concretus tibi videtur eius animus.* Ut nihil aliud quaeram, unde tandem istius *animi* notionem sumendam putas? De caelo certe non licet. Noli igitur dubitare, quin recte a nobis scriptum sit *ex hacne tibi terrena natura — concreta ea videtur? aut quid* (scil. *est* vel *esse videtur*), *qui primus* etqs. Huic uni interrogationi rectissime respondet quod sequitur *Omnes magni.* Cfr. Phil. II, 75: *Sed tamen consilium a primo reprehendendum, laudanda constantia. Tu vero quid es?*, ad quod ex iis, quae secuntur, respondendum esse apparet *homo inconstantissimus.* Atque ut hoc loco *quid* ante *qui*, similiter in Gud. et Reg. post *qui* omissum est *quod* III, 35: *qui quod a natura datum est auxilium.*

ibid. *astra suspeximus —, quorum conversiones omnesque motus qui vidit, is docuit similem animum suum eius esse, qui*

ea fabricatus esset in coelo. Revocavimus, quod et Lambino et Bentleio placuerat, *qui animo vidit* leviter mutata optimorum librorum scriptura *qui animu' (animus) vidit;* cfr. §. 37: *nihil animo videre poterant.* Quod sunt qui *primus* praeferant atque *vidit* idem valere existiment, quod *penitus perspexit*, quantum ambiguitatis relinquant non video: nam oculis vidisse astrorum motus conversionesque multi putandi sunt, animo, id quod cum maxime agitur, non item. In eadem §. quod scriptum est: *ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari*, id tam sanum est, ut nesciam utrum Bakii, qui mutavit *potuisset* in *potuit*, temeritatem an credulitatem Tischeri, qui mutatum recepit, magis admirer. Nimirum *sine divino ingenio* id ipsum tantundem valere quod *nisi divino ingenio fuisset* quis paulo doctior est qui nesciat? Confer ex innumerabilibus exemplis Tusc. IV, 44: *philosophiae principes numquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent.*

26, 65. *Ergo animus* [*qui*], *ut ego dico, divinus est, ut Euripides dicere audet, deus; et quidem — idem est animus hominis.* Hebetioribus fuisse oculis, qui unde natum esset illud *qui* ab optimis libris traditum non viderint, facile mihi largientur in illo pronomine latere *quid* i. e. *quidem* suspicanti. Etenim concludit scriptor nunc ea, quae de ipsa animi vi vel, quod eodem redit, de ipso animo disputavit, ut haec seiungat diligentius distincta ab iis quaestionibus, quae deinceps §. 67 secuntur de *sede* et de *forma* animi. Itaque hoc quoque exemplum iis addendum erit, quae nominavi I, 12. — Extrema paragrapho perperam facere, qui proditum a libris *hoc* in vv. *Hanc nos sententiam secuti his ipsis verbis in Consolatione hoc expressimus* tueri velint, certissimis argumentis evincit Wes. Em. I p. 4; quod ipse additum pronomen in librarii stuporem confert, qui ignoraverit obiectum, quod vocant, definito verbo cum participio commune plerumque semel poni, equidem haud scio an nihil possit fingi incredibilius. Mallem docuisset, quid velle videretur illud *his ipsis verbis*, quod tam vitiosum est quam quod maxime: neque enim ad verba, quae iam nominata sint, referri potest, et si ea, quae secuntur, demonstraret, *ipsis* pronomine quid esset perversius? Quod cum ita sit, hoc quidem dubitari minime licet, quin recte hoc unum scribatur *huius* (*hu'*) *ipsius* i. e. Aristotelis *verbis;* quibus antegressis Cicero dupliciter poterat aut *hoc modo* aut *sic* addere nulla vel perversitate sententiae vel verborum abundantia. Utrum igitur amplectendum putamus? nam facile poterat et *modo* praesertim compendio scriptum ($\overset{o}{m}$) praeterire oculos et *hoc* cum *sic*, ut IV, 72 *hic* cum *sic*, permutari. Noli quaerere: illud compendium, quod in cod. Erfurtensi inveniri testatur Freundius, plane ignorant Gud. et

Reg., itaqne *fic* pro *hoc* (*hc*) habuisse librarium nnum est omninm veri simillimum. V. infra ad I, 91.

27, 66. *His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat et futura provideat et complecti possit praesentia, quae sola divina sunt.* Necessario dicendnm fnisse *quae divina solum sunt*, non *quae sola divina sunt* acnte, ut saepe, vidit Ernestius reposuitque rectissime *quae tota divina sunt.* Ad illud *sola* tuendum temere provocatum esse a nonnullis ad Ciceronem de Nat. Deor. I, 96: *cum praestantissima natura quaeratur eaque beata et aeterna, quae sola divina natura est*, ostendit interpretatio, quae sola sana appellanda est, Schömanni. Cantum igitur iam erit ne quis in posterum credat Latine dici, nt hoc adferam, sui fiduciam solam in deorum fide positam esse, qnod fuisse unum ex tironibus nostris qui scriberet adfirmare possum.

27, 67. *an si omnia ad intellegendum non habeo, quae habere vellem, ne iis quidem, quae habeo, mihi per te uti licebit?* Leve est quod dicam, nec tamen praetereundum. Cum in optimis libris extaret *ne is quidem*, vereor ne non recte correxerit Moserus, quem deinceps secnti sunt omnes, *ne iis quidem;* debebat rectius geminata litterula *e* (*ne*) *ne eis quidem.* Cfr. I, 29. IV, 15. 53. 58, saepius.

ibid. *Non valet tantum animus, ut se ipse videat.* Malui cum Mosero optimorum ac paene omnium librorum memoriam seqni hanc *ut se ipsum ipse videat* quam coniecturam aut Bentlei *se ipse* aut Orellii *sese ipse.* Nam hoc quidem apparet atque extat, *ipsum* nunc ita addidisse Ciceronem, ut formam animi id est ipsum animum ab iis rebus viribusque, quibus praeditus est, certius distinctiusque secerneret.

28, 68. *lunamque accretione et deminutione luminis quasi fastorum notantem et significantem dies.* Klotzium quidem prorsus insulsa comminiscentem et lunae lumen cum lumine fastorum comparantem merito risit Wesenb. Em. II p. 19: quid? ipsius Dani interpretationem quanti faciendam putas? Ait *fastorum* genetivum idcirco disiunctum esse a nomine quod vocant regenti, quod in illo vis comparationis sita sit. Aut ipse quid rei esset plane ignoravit aut ego insipiens sum. Novi equidem lunaris lnminis hanc esse vim, cuius ex adcretione et deminutione astrologi qui dicuntur fastorum dies discribere soleant; idemque lnnam *quasi notantem* i. e. certis signis et quasi digito monstrantem fastorum dies intellegerem (cf. Brut. XIX, 74: *ego vero delector ista quasi notatione temporum);* sed quid sit luna lumine *quasi fastorum* dies notans et significans, ipso Erebo puto esse obscurius. Aut notat lunae lumen fastorum dies, id quod dixi quodam modo verum esse, aut non notat; quorsnm vero spectet illa comparatio fastorum aut quas partis lunae in diebus no-

tandis velit esse non dispicio. Aut igitur mutandus est verborum ordo (*fastorum quasi notantem — dies*), aut, quod mihi minoris audaciae videtur, ita scribendum: *quasi fastorum notatione* (ortum ex *notātem e* i. e. *et*; cfr. IV, 29 *partis dissentientes* pro *paris dissensiones* in Gud. et Reg. et V, 11 in Pal. 4 *dissencionum* pro *dissentientium*) *significantem dies*. Dicit igitur Cicero tam certas esse tamque insignes lunaris luminis vicissitudines, ut inde tamquam ex fastis mensis cuiusque dies cognosci numerarique possint. Genetivi *fastorum* ratio eadem est quae in *salutatio illius libri* Brut. §. 13 aliisque exemplis sat multis. Atque hanc veriorem esse emendationem non modo ordo verborum alioqui perversus docet, verum ipsum quoque verbum *significantem* declarat, quod si copulatum esset cum altero illo *notantem*, multo minus, quam id ipsum, notaret.

28, 69. *hominemque ipsum quasi contemplatorem coeli ac deorum eorumque cultorem atque hominis utilitati agros omnes et maria parentia*. Quoniam nunc id agitur, ut ex mundi discriptione temperationeque admirabili deum esse tanti operis vel effectorem vel moderatorem cognoscatur, ineptam atque adeo absurdam esse in verbis, quae proposuimus, *deorum* mentionem rectissima ratione perspexit Bentleius; idem infelici manu restituit *terrarum cultorem*: nam et testimonium neglexit optimorum librorum, quod huiusmodi est *caeli ac deorum eorum cultorem*, neque illud reputavit, eius ipsius rei, hominem ad terras colendas natum esse, rationem haberi in vv. proxime sequentibus *hominis utilitati agros omnes et maria parentia*. Itaque cum parum credibile sit, quod quidem multis videtur, *eorum* scribendi vitio ortum esse ex repetitione v. *deorum* cumque *q.* (*que*) ante *c* (*cultorem*) et alibi saepissime omissum sit et hoc loco in mediocribus libris non paucis extet, scribendum erit, in quod idem H. Mutherum incidisse video Progr. Cob. 1862 p. 16: *hominemque ipsum quasi contemplatorem caeli ac siderum eorumque cultorem*. Nam sideribus divinitatem tributam esse a Stoicis satis constat cum aliunde tum ex Cic. de Nat. Deor. II, 39 sqq. 80.

30, 72. *Nam qui se humanis vitiis contaminavissent et se totos libidinibus dedissent, quibus caecati vel domesticis* (*vitiis atque*) *flagitiis se inquinavissent vel re publica violanda fraudes — concepissent, iis devium iter esse*. Prorsus inanes ac leves sunt causae, quibus adductus Bentleius et *humanis vitiis* et *dedissent* mutari voluit; illud multo gravius, quod idem vocabulum (*vitiis*) eadem sententia brevissimo intervallo repetitum non ferendum putavit. Neque id satis firma ratione reprobatum est a Wesenb. Em. II p. 19, qui, id quod neminem fugit, *vitia* cum *flagitiis* saepius coniuncta esse commemorat. Quid igitur? Wyttenbachium secuti eiciemusne verba *vitiis atque* tamquam manu aliena addita? Magnopere vereor ne oscitantis sapientiae

crimen subiremus. Praestat redire ad librorum memoriam nescio quo pacto leviter omissam, quae quidem talis mihi videtur, unde tamquam a certissimo indicio profecti ad verum facile possimus pervenire. Est autem haec: *velut domesticis vitiis atque flagitiis;* unde statim occurrit translatae significationis vocem, quam commonstrat illud *velut*, non *stupris* esse quod nulla probabilitatis specie invenit Bentleius, sed [*spur*] *citiis*, cuius admonet Platonica vox βόρβορος, scribendumque ita: *vel velut domesticis spurcitiis atque flagitiis se inquinavissent.* Scriptum erat *domesticisp̃citiis* idque a librario non satis perspectum. Pluralem vocis *spurcitia* propria vi ac significatione usurpaverat Varro; Ciceroni cur translata uti non licuerit, cum idem adiectivo *spurcus* in hanc sententiam saepius usus sit, ecquid poterit causae adferri? Hoc quidem certo scio. nullum vocabulum ad rem, de qua agitur, depingendam significantius atque inlustrius inveniri potuisse; *sordes* certe *domesticae*, quod est in Vat. § 1, aut *caenum* ibid. § 23, in aliam partem accipienda sunt: v. Halm. p. 34 ed. mai.

30, 73. *Itaque dubitans, circumspectans, haesitans, mula. adversa reverens tanquam in rate in mari immenso nostra ve-t hitur ratio.* Utrum *in rate*, quod optimi libri habent, an *rate*, quod Orellius voluit, an *ratis*, quod est in editionibus post Victorium, praeferendum sit, sola sententiae ratione, non librorum auctoritate decernendum est: nam facillime et *in* post *m* (*tamquam*) addi et *rati'* i. e. *ratis* commutari in *rate* potuit. (Cfr. in Gud. et Reg. *omni* pro *omnis* I, 119; *turpe* pro *turpes* II, 57; *morti* pro *mortis* V, 63; *virtuti* pro *virtutis* V. 76, alia; temere additum *s* II, 10 *cogitantis*). Sententiam igitur talem esse dico, quae utrumque flagitet, ut et *ratis* scribatur et quod Camerarius pridem intellexerat *ratio*. In cognitione animi accidere ait Cicero, ut mentis acies nonnumquam hebescat ob eamque causam contemplandi diligentiam amittamus: hinc dubitationem, metum, haesitationem oriri non illa quidem in iis, quae loquimur (*oratione*) — quid enim eloqui opus est quae sentimus aut cogitamus? —, sed in ipso sentiendo aut cogitando (*ratione*) versantia. Iam vero haec cogitatio nostra (*ratio*) non tamquam in rate in inmenso mari vehitur, in quo nihil esset, quod aut cum rate aut cum mari recte comparari posset, immo ipsa cognitio animi quasi quoddam inmensum mare est, in quo ratio nostra tamquam ratis iactata vehitur. Haec igitur tam concinna tamque apta esse intellego, ut de Orellii iudicio, cui verborum ille lusus (*ratis — ratio*) vehementer displicet, plane videamur securi esse; nec vero eos moror, qui dissimillimum locum ex Platonis Phaedro p. 85, C protulerunt, in quo una aliqua ratio firmissima tamquam raticula ad transnavigandam vitam idonea commendatur. *Oratio* et *ratio* inter se permixta sunt in Gud. et Reg. praeter hunc locum I. 112. 116. III. 76. V, 47.

31, 75. *Secernere autem animum a corpore ecquid aliud est quam emori discere?* Paucis complectar, qua via ac ratione in hoc loco emendando progressus sim. Cum in optimis libris inventum esset *nec quicquam aliud emori discere*, primum alienissimum esse intellexi v. *emori*, quod neque ad explicandum illud, philosophorum vitam commentationem mortis esse, recte adhiberetur neque adhibitum esse ea demonstrarent, quae secuntur: *Quare hoc commentemur — disiungamusque nos a corporibus, id est consuescamus mori.* Atque hoc quidem, *ē mori* i. e. *est mori* scriptum antiquitus fuisse cum Bentleius tum alii viderunt. Iam ad integritatem orationis nihil desiderabatur nisi pronomen interrogans *ecquidnam*: nam *ecquicquam*. quod memineram cum dubitatione restitutum esse a Wundero p. Planc. § 71 p. 183 idque hoc loco confirmari videbatur, nulla nititur nec rationis similitudine nec grammatici testimonio. Haec autem perfecta atque absoluta sententia esse: *Secernere autem animum a corpore ecquidnam aliud est mori discere?* demonstrabant exempla Phil. II, 7: *Quid est aliud tollere e vita vitae societatem tollere amicorum colloquia absentium?* in Pis. XX, 47: *Quid est aliud furere non cognoscere leges?*, qui uterque locus interpolatus est in deterioribus libris addita vel *nisi* vel *quam* particula, quemadmodum hoc ipso quem tractamus loco in Reg. aliena manu post *aliud* supra scriptum est compendio *quam*. Res ipsa nota esse debebat ex iis, quae docuerat Orellius ad Phil. III, 21. His expositis tuum erit iudicare. quid de coniecturis vel Tregderi vel Wesenbergii Em. II p. 20 vel H. Sauppii statuendum videatur.

31, 76. *Veniet tempus et quidem celeriter et sive retractabis sive properabis; volat enim aetas.* Quaenam in his sit aut unde allata necessitas delendi alterum *et*, quod Kühnerum et Wesenbergium Em. I p. 31 secutus fecit Baiterus, prorsus latet. Duas res addit Magister et celeriter venturum tempus et ita certe venturum ut retractes properesne (ungeduldig werden) nihil referat. De verbis, quae secuntur, nunc video idem visum esse Wesenbergio Em. I p. 4, quod mihi in Mützellii Diar. Rer. Schol. 1860 p. 61, scribendum esse *ut verear ne homini nihil sit non malum aliud, certe sit* (vulgo *sed*) *nihil bonum aliud potius*, hac sententia: der Tod ist so wenig ein Uebel, dass ich vielmehr glaube, alles andre ist für den Menschen eher ein Uebel, wenigstens, wenn dies zu viel behauptet sein sollte, kein anderes Gut ist es (ein Gut) in höherem Maasse. Sed idem tamen ab eodem dissentio in personarum discriptione teneoque illud, quod loco, quem nominavi. pluribus executus sum, omnia deinceps usque ad vv. *videri malum possit* uni Magistro tribuenda esse. Is enim suae opinioni. quam certissimam animo imbiberat, adversantium multitudinem tamquam labefactantem illam aut imminuentem ita opponit, ut tanto firmius adseveret non se laturum esse ut *ulla*

ullius ratione mors Auditori videri malum possit: nam hoc ipsum inesse in optimorum librorum scriptura *ulla uti* (h. e. uli') nunc mihi probabilius videtur quam quod olim conieceram *ulla alius*; v. ad Att. II, 21, 5: *sentiunt se nullam ullius partis voluntatem tenere;* Tusc. V, 82: *quoniam te nulla vincula impediunt ullius certae disciplinae.*

32, 78. *Istos vero (dimittamus), qui, quod tota in hac causa difficillimum est, suscipiant, posse animum manere corpore vacantem; illud autem, quod — est — consequens, id non concedant, ut, cum diu permanserit, ne intereat.* Quamvis speciosum sit, quod repetitis, ut aiunt, curis invenit Madvigius *id circumcidant*, a sententiae tamen ratione parum habet commendationis. *Circumcidendi* verbum non simpliciter valet *negando aliquid tollere*, sed in rebus ponitur, quae redundant vel luxuriant, resecandis vel removendis (v. de Fin. I, 44. Acad. II. 138). An tu censes sustulisse Stoicos aeternitatem animi tamquam rem inutilem aut talem qua careri facile posset? quam quidem si certioribus argumentis firmioribusque rationibus stabilire potuissent, libentissime essent amplexi. Nec vero si quis ad animi quandam magnitudinem revocare vellet, quod illud circumciderint Stoici, recte se haberet: nunc enim eorum non animi vitium, sed rationis reprehenditur. Itaque Baiterum miror quod illa minus bona melioribus praetulerit et ab eodem viro antea excogitatis his: *id non concedant;* quamquam ne hoc quidem a librorum MSS. memoria *idcirco non dant* tam prope abest quam Klotzii emendatio *id vero non dant:* ita enim rectissime inter se referuntur *suscipere* i. e. ultro sumere et *dare* i. e. alteri sumenti concedere. Sed idem iste praeclarus artifex, quem modo laudavi, monstra hercule et portenta machinari maluit, quibus indicativum *dant* antegresso coniunctivo *suscipiant* fulciret, quam Davisio obsequi et *suscipiant* mutare in *suscipiunt.* Quid igitur? utroque loco indicativum restituemus? Immo vero cum ex responso Magistri ,*bene reprehendis*' hoc appareat, Auditorem non rem ita, ut est, narrare, sed cum iudicio ac reprehensione notare, indicantis autem rationi nihil conveniat nisi coniunctivus, sequitur retinendum esse *suscipiant, dant* autem vitio liberandum: quo vitio nullum frequentius esse vel ex optimis libris Gud. et Reg. cognoscitur I, 18 (*putant* pro *putent*), ibid. 29 (*demonstrantur* pro *demonstrentur*), II, 30 (*aspernatur* pro *aspernetur*), III, 11 (*appellant* pro *appellent*), ibid. 76 (*putant* pro *putent*), IV, 12 (*appellamus* pro *appellemus*).

34, 82. *Ubi igitur malum est, quoniam nihil tertium est? an [quoniam] ipse animi discessus a corpore non fit sine dolore?* Mirabili errore iudicii vir prudentissimus Wesenbergius *quoniam* illud tamquam ex prava repetitione ortum cum Lambino delendum censuit, cum adderet: ,nam ne *quia* quidem aut *quod* ferendum

erat.' De *quia* concedo, *quod* vero particula quid rectius sit non video. An quaerenti, ubi malum sit, non rectissime respondetur, in hoc esse, quod ipse animi discessus a corpore non fiat sine dolore? Nihil mehercule vidi magis. *Quoniam* autem cum in libris per compendium scribatur vel *qm̃*, ut et hoc loco et aliis in Gudiano, vel *qūo*, ut in Mediceo ad Fam. XIV, 4, 1, quam facile permutari potuerit cum *quod* manifestum est (cfr. ad I, 12 extr.). Ceterum coniunctivo (*non sit sine dolore*), quem in duobus codd. Oxoniensibus inventum arripuit Tischerus, opus non esse Ciceronemque adversariorum sententiam tamquam suam coniecturam proferre, id quod inest in ipsius *an* particulae vi ac natura (v. Schol. Lat. I p. 111 ed. 2), cum alia exempla satis certa testantur tum IV, 48: *An vero vir fortis, nisi stomachari coepit* (temere Orell. correxit *coeperit*), *non potest fortis esse?* — In verbis, quae secuntur: *Ut credam ita esse, quam est id exiguum! Et falsum esse arbitror et fit plerumque sine sensu, nonnunquam etiam cum voluptate* falsissimam esse post fictam illam sumptionem *et* particulam eamque cum correctionis particula commutandam, nunc post Wesenbergii admonitionem Em. II p. 23 perspectum etiam Klotzio est. Similiter peccatum in Gud. et Reg. I, 15: *et quoniam* pro *sed quoniam.* V. ad IV, 31.

35, 85. Demonstraturus Cicero mortem etiam maxime fortunatos a malis, non a bonis abstrahere, exemplis utitur Metelli et Priami, quorum hic paene omnibus liberis atque regno orbatus hostili manu interemptus est. Qui si vivis filiis, incolumi regno occidisset, posset, inquit, videri ei peius evenisse quam perditis rebus omnibus; quod quamvis bonum videatur a malis abscedere, tamen illud ipsum, a bonis, melius fuisset: ita enim *eventum* malorum omnino amisisset, hoc autem tempore *sensum* amisit malorum. Melius, inquit, est mala omnino non videre quam cum sensu eorum mori. Haec si recte a nobis explicata sunt, ut sunt certe, nihil vitii traxisse optimorum librorum scripturam facile concedes; est autem haec: *Quod si ante accidisset, tamen eventum omnino amisisset, hoc autem tempore amisit sensum malorum;* qua in defendenda res nobis omnis erit cum Wesenbergio Em. I p. 33. Is igitur primum negat *quod* pronomen ad *ista vi* salva sententia referri posse. Certe, si ulla esset ita *referendi* necessitas. Vide mihi verba scriptoris: ‚quasi vero', inquit, ‚ista vi quicquam potuerit ei melius accidere?' Hoc cum dicit, simul et negat quicquam potuisse melius accidere et ait aliquid accidisse optimum, ad quod ipsum referre pronomen quis sanus dubitaverit? At certior multo, immo certissima est emendatio H. Stephani *talem eventum* i. e. 'tam plenam miseriarum mortem omnino amisisset itaque melius ei evenisset: *hoc autem tempore* i. e. cum post tot tantasque calamitates haustas violen-

tam mortem obiit, etsi deterius ei evenit, tamen *sensum evasit* (sic!) *malorum*, quare illa vi nihil tum potuit ei melius evenire. Quae quidem aut perplexa esse ac plena ambiguitatis aut iis, quae probaturus est Cicero, contraria ex iis, quae initio diximus, satis, opinor, apparet. Optime evenisse Priamo, ut inter suorum suique regni ruinas occideret, ita dicit Cicero, ut et flebiliter lugendi causam non esse contra Andromacham vel eius fabulae auctorem demonstret, et idem tamen melius eventurum fuisse contendat, si ista mala, quae in morte sentiebat, omnino non vidisset. Patet igitur verbum *eventum*, quod sic nude positum non nihil offensionis haberet, non ad *Priami* eventum, sed ad eventum *malorum* referri (cfr. § 86: *haec mala morte effugiuntur, etiamsi non evenerunt*); genetivum igitur *malorum*, id quod ipsa conlocatione planissimum fit, utrique nomini et *eventum* et *sensum* commune esse.

35, 86. *Non enim cum socero bellum gessisset —; non liberi defleti, non fortunae omnes a victoribus possiderentur.* Longa est disputatio O. Heinii Progr. Posn. 1862 p. 15 sq., qua extrema verba ex glossemate potius inepto quam ex ingenio Ciceronis nata esse demonstrare conatur. Ex qua illud in primis eximendum refutandumque est, quod negat ille fieri potuisse, ut in enumerandis malis, quae attulerit longior Pompeii vita, ea quoque referrentur, quae ad filios eius solos pertinerent. Quae etsi pater ipse non sensit, quoniam post mortem eius acciderunt, tamen esse ex eius longiore vita profecta eaque quodam modo ad illum pertinere praesertim ne in morte quidem, quod Cicero sperare videbatur, sensu carentem, quis negaverit? aut quis viro vehementissimo dolore commoto, si quid minus cum recta ratione consentiens dixit, non concesserit? Sed illud quidem verissimum est, quod idem ille negavit nec *liberi defleti* per Ciceronis consuetudinem licere pro enuntiato pleno atque integro haberi (cfr. ad IV, 28) nec defleri liberos a patre ipso potuisse nec *deleti liberi*, quod alii voluerunt, cum re et veritate convenire. Itaque qui defensuri sunt *liberi defleti*, eos necesse est participium *defleti* adiectivi loco habere et interpretari *ab omnibus sc.* eiusdem partis hominibus *deplorati*. At hi quomodo a victoribus possidentur? nec idem est *possideri* certe in hominibus quidem, quod *in potestatem esse*, nec tum, cum haec scripsit Cicero, quisquam liberorum in potestate victoris erat, si quidem erat atque ita fas est dicere in occiso, praeter Gnaeum. Fateor; num igitur tamquam deperdita resecanda putas, quae levissimo vitio correcto revocari ad sanitatem possunt? Nimirum *obsiderentur* si scripseris, res omnis salva erit. Vexabantur tum a victoribus et liberi Pompeii et fortunae omnes: illi in Hispania a Caesare, ut ait ipse Bell. Civ. I, 84. *omnibus rebus obsidebantur*, nihil ut agere possent ac paene iam pro deploratis essent; hae ita a

Caesarianis occupatae tenebantur, nihil ut auferri inde aut importari posset, quippe quarum sectio esset futura. Utramque autem vim inesse in *obsidendi* verbo, sicut in nostro *umlagern*, si quo auctore opus est, docebit Duker. ad Flor. II, 2, 22. Scribendi vitium tractum ex litterarum transpositione (scriptum enim erat, ut saepe, *opsiderentur*) ex eodem genere est, quod tractavit Wesenb. Em. I p. 33 sqq.: adde II, 67 *ut* pro *tu*; *adfret* Gud. III, 35; *pras* pro *pars* Gud. III, 49; *et* pro *te* in Gud. et Reg. IV, 73; *patre* corr. in *parte* Gud. V, 22; *prespicuum* corr. in *perspicuum* Gud. V, 28; *pseusippo* pro *speusippo* in Gud. et Reg. V, 39; v. ad I, 104. Denique, ut etiam hunc scrupulum ex Heinii animo evellam, ipsa comprehensio verborum ex duobus ordinibus constat, quorum unus maior ipsius Pompeii mala, alter minor liberos eius et fortunas complectitur; maior quadrupertitus est, sed ita, ut generali sententiae tria κῶλα subiciantur, quorum alterum duo κόμματα verbis illa quidem separata sed re coniuncta habet; ut scire velim, quid ad structurae artificium numerorumque absolutionem inre possit desiderari. Postremo sic denique constat temporum ratio, quibus scriptae esse Tusculanae in volgus putantur, et ita constat, ut hunc librum ante proelium Mundense i. e. XIV Cal. April. a. 45 a. Chr. compositum esse appareat.

36, 87. *De mortuis loquor, qui nulli sunt; nos, qui sumus, num aut cornibus caremus aut pinnis? ecquis id dixerit?* Optimorum librorum scripturam *num aut si cornibus caremus — sit qui id dixerit?* ex margine edit. Lamb. et ex paucis codd. correctam dedit Orellius hoc modo: *nos, qui sumus, num, etsi cornibus caremus aut pinnis, sit qui id dixerit?* Quae quidem correctio multis nominibus reprehendenda est: neque enim verborum ordo recte procedit, sed perturbatur *num* illo interposito, quod conlocari debuit ante *sit qui id dixerit?*, neque coniunctivus *sit* in ea interrogatione, quae nihil habeat indignationis, locum ullum habet; denique mira est complexio sententiarum, quae quod esse aiat, id dici posse neget. Itaque hoc quidem dandum est, recte et posse dici et solere hoc *cornibus nos carere* in hanc sententiam, ut iis vacui liberive esse intellegamur. Quod si ad veritatem loqui volebat Cicero, debebat dicere, ut dixisse eum pro certo habemus, *num aut sic cornibus caremus* i. e. in eam sententiam, ut cum carendo sensus ac desiderium iunctum sit: nam de hac verbi vi adhuc disputaverat. Ac ne de conlocatione adverbii dubites, quae videtur ab illa distributionis forma abhorrere, vide ex multis de Orat. I, 87: *ut ostenderet non modo eos expertes esse illius prudentiae, sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem nosse;* ibid. III, 71: *aut vobis haec Carneadia aut illa Aristotelia vis comprehendenda est.* V. ad II, 27. De vitii genere v. ad I, 3. Extrema

verba *sit qui id dixerit* vel, ut in Gudiano est, *sit quid dixeri.* optime mihi videtur refinxisse O. Heinius (de Cic. Tusc. Disp. p. 35) sic: *id quis dixerit?*, ut voci *sit* prima littera ex antegressa *pinnis* adhaesisse videatur. Hanc ego interrogationem aliquanto esse acriorem sentio Madvigiana *ecquis id dixerit?*

36, 88. *Dicitur alio modo etiam carere, cum aliquid non habeas et non habere te sentias, etiam si id facile patiare. [Malo] carere in morte non dicitur, nec enim esset dolendum; dicitur illud bono carere, quod est malum.* Sic mancam librorum memoriam supplevit Madvigius, vereor ne parum probabiliter; illa propiora vero, quippe quae originem vitii planius demonstrent, quae vel ab H. Sauppio (*ita carere*) vel a R. Engero (*carere ea vi*) excogitata sunt. Quamquam ne haec quidem nec concinna satis sunt nec examussim respondent illi contrario *bono carere*: utrumque et ad persuadendum aptissimum et ad orationis formam rectissimum est, cuius omittendi causam dupliciter video allatam esse, et extremis sillabis verbi *patiare* et primis verbi *carere*, hoc: *ea re carere in morte non dicitur* i. e. eo, quod non habeas et non habere te sentias, etiam si id facile patiare, quod quidem O. Heinii gratia (Progr. Posn. p. 22 sq.) sic verto: *So etwas entbehren meint man nicht, wenn von Todten die Rede ist* (cfr. ad I, 27), *denn das wäre nichts Schmerzliches; man meint etwas Gutes entbehren und das ist ein Uebel.* Ita in his verbis nihil mali esse et nos illius coniectura carere facile posse si minus ipse, quod sperare non videor, at alii concedent.

38, 91. *Itaque non deterret sapientem mors — quo minus in omne tempus rei publicae suisque consulat, ut posteritatem ipsam — ad se putet pertinere.* Aliquam inesse in his verbis sententiae perversitatem recte sensit Orellius, cum ex deterioribus quibusdam libris reciperet *et posteritatem — putet pertinere;* neque enim illa sapientis opinio, ut posteritatem ad se putet pertinere, ex rei publicae suorumque procuratione efficitur aut ea cum duci recte nunc conligere iubemur; immo in posteritatis cogitatione totum positum est, quod morte a rebus gerendis non deterretur. Igitur non *et* scribendum, quod ipsum perversum est — nam ab illa opinione sapiens qui potest morte detererri? —, sed *cum — putet; e* enim voculae *cū* antegressa littera τ (*t*) facile potuit omitti. Similiter correxit Nipperdeius Tac. Annal. XIII, 26 Medicei scripturam: *Ille an auctor constitutionis fieret cum* (*ut* Medic.) *inter paucos — consultaret* etqs. Permixta sunt *cum* et *ut* in libris Tusc. II, 63.

ibid. *Natura vero se sic habet, ut, quo modo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors; ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit.* Prius enuntiatum in hac sententiarum ratione, quae

mortem malum non esse demonstrat, non posse absolutum esse atque ab eo, quod caput est, separatum ut recte perspexit Graserus (Progr. Gub. 1844), ita vereor ne non recte correxerit *natura vero si sic se habet*: nec hoc nec Bakii inventum *si se sic habet*, quod etiam minus suaviter ad aures accidit, tantum habet probabilitatis quantum illud *natura vero si hoc habet* i. e. ita fert, de quo verbi usu multi sunt Cort. ad Sall. Iug. XI, 3. Beier et. Gernh. ad Cic. de Offic. II, 6, alii. De permixtione vocum *hoc* et *sic* v. ad I, 65.

38, 92. *Quam (mortem) qui leviorem faciunt, somni simillimam volunt esse; quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, cum sexaginta confecerit, reliquos dormiat. Ne sues quidem id velint, non modo ipse* Keilius Quaest. Tull. Spec. Lign. 1839 p. XIVsq. cum concedat suem tamquam inertissimam bestiam in proverbii consuetudinem venisse, ita tamen offenditur pronomine, quod suibus contrarie refertur *ipse*, ut ex bestiis faciat homines et quidem necessarios (*sui*), quam coniecturam admirabili favore prosecuti sunt cum Tischero Baiterus: usque eo eos videtur turpiculae bestiae pertaesum esse. Sed, quaeso, quid tandem *sui* sibi volunt? an omnes necessarii eo suos amore amplectuntur, ut vitam eorum quam longissimam ipsosque velint quam diutissime secum esse? Et si ita esset, quid inde, quod ne sui quidem velint aliquem reliquos annos dormire, ad elevandam solacii vim momenti adfertur? Immo talis somnus negotium inertissimum est atque eius modi, ex quo nemo homo paulo erectior levamentum mortis petere debeat; cfr. de Fin. V, 55: *Itaque, ne si iucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari idque si accidat, mortis instar putemus.* Accedit, quod non levissimum est, si *ne sui quidem id velint* scribitur, necesse est ex iis, quae antecedunt, audire *vivere*, non, quod Keilius volt, *eum vivere;* illud igitur admodum ambiguum atque adeo corruptum esse quis est qui neget? At sues animo carentes qui *velle* possunt? Quasi vero quisquam in superlatione veritatis ista curet. Quid denique in pronomine *ipse* offensionis sit, cum homo quamvis infinitus et ipsa cogitatione comprehensus bestiae opponitur, prorsus non video. Non dubium est igitur quin Cicero, cum mortem somni similem ne exordi quidem optandam demonstraturus esset, in suis mentionem inciderit, cui, ut ait Cleanthes (v. Schöm. de Nat. Deor. II, 160), natura animam ipsam pro sale dederit, ne putesceret.

ibid. *Num igitur eum curare censes, cum Luna laboret —? Quid curet autem, qui ne sentit quidem?* Nihil hac argumentatione vidi perversius. Qui quaerit *num eum curare censes?* id quod quaerit omnino negari volt: huic igitur interrogationi non alteram potest adsumptione, quam vocant, subiungere, in

qua id, quod negatum est, denuo negetur. Recte procederet ratio ita: *Num igitur eum sentire censes, cum Luna laboret? Quid curet autem, qui ne sentit quidem?* Noli dubitare. Cicero ut confirmaret id, quod interrogando posuerat *num eum curare censes?*, addidit novam quaestionem, qua nihil posse curare eum demonstraret, qui ne sentiret quidem. Scribendum igitur necessario *Quid curet etiam, qui ne sentit quidem?* De hac *etiam* particulae vi cum negationibus coniunctae v. Halm. ad Verr. IV, 9 et nos in Mus. Rhen. 1860 p. 630. *Autem* et *etiam* inter se permutarunt librarii cum saepius tum Brut. § 170. v. Orell.

40, 97. *Vadit in eundem carcerem — paucis post annis Socrates. Enim*, quod post *vadit* optimi libri interponunt, nunc ne Klotzio quidem tale visum, cuius defensionem (v. Addend. p. 48) diutius sustineret. Quid igitur? Lachmanno credamus (ad Lucret. p. 133) *enim* corruptum ex *en* particula dicenti. illa scilicet ad mentes animosque audientium excitandos aptissima? Quae quidem tantum abest ut cum usu Ciceroniano conveniat, ut prorsus poetarum ex more putanda sit; apud illum quidem *en* semper idem valet quod *habes* aut *habetis (da hast du, da siehst du* vel *nun weisst du)* idque vel nominativo vel interrogatione quam vocant obliqua iunctum; id autem fugisse O. Heinium (Progr. Posn. p. 9), virum in Cicerone satis versatum, vehementer miror. Quid igitur est? Illud profecto: librarius cum primo non agnita praepositione *in* (v. ad I, 3) scripsisset *enim*, vitium, cuius accusativus *eundem carcerem* admoneret, rescribendo correxit. En iterum dittographiae exemplum idque satis, opinor, luculentum.

42, 101. [*Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti, Lacedaemonii; hodie apud inferos fortasse coenabimus. Fuit haec gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant.*] *e quibus unus — pugnabimus.* Taedii plenissimum est crimina in hunc locum inde a Bentleio usque ad O. Heinium (Progr. Posn. p. 15) coniecta refellere ac refutare; hoc unum dico, quod maximum est, tantam fuisse illorum virorum caecitatem, quam habet fere ingenii affluentia, ut ne intellegerent quidem ducem Leonidam non pro exemplo esse, quid ipse fecerit magno animo dignum, sed quid dixerit, quo suorum militum animum demonstraret. Iam si pro *pergite* cum Gul. Cantero et Lamb. scripseris *prandete* (cui proximum est quod habet Vindob. 1 *prudenter*), rectissime omnia erunt. Nam quod unum restare videtur difficultatis, interposito novo subiecto *gens*, pronomen *quibus* ad subiectum remotius illud quidem, sed de quo cum maxime agitur, ad Lacedaemonios, qui in Thermopylis occiderunt, relatum esse, id Wesenbergius certe (v. eius Em. II p. 1 not.) non tantum esse concedet, in quo haerere diutius liceat. Prorsus vero nihili est, quod negant universos Lacedaemonios *gentem* recte dici. proinde quasi nulla sit gens Larinatium aut Faliscorum aut Cam-

panorum, aliae. Ceterae reprehensiones, si quae sunt non inanissimae, his ipsis, quae diximus, reiectae sunt.

43, 104. *Durior Diogenes, et is quidem idem sentiens, sed ut Cynicus asperius, proici se iussit inhumatum.* Plane soloeca est haec emendatio Fr. A. Wolfii neque digna, quam recentiores fere editores inde ab Orellio adsensu comprobarent suo. Quid enim? praedicato Diogenis antegresso *durior* per *et is quidem* ecquidnam aliud putas subiungi posse quam novum attributum? Atqui sequitur non attributum, sed verbum finitum *iussit* (*se proici*), quo ipso quid duritiae fuerit in Diogene declaratur. Ac ne potest quidem quicquam in verbis *idem sentiens, sed ut Cynicus asperius* novi inesse, quod liceat per particulas *et* — *quidem* adiungere: quo modo aut quo iure *durior* appelletur Diogenes, id unum scire nostra interest nostroque iure postulamus. Recte igitur se haberet *Durior Diogenes, qui idem sentiens, sed* ctqs. At id longius recedit ab optimorum librorum scriptura *et is quidem sentiens*. Fateor; sed illud facilius concedes, *et* natum esse ex geminata extrema sillaba vocis *Diogenes*, *is* autem convertendum in *si*, ut scripserit Cicero: *Durior Diogenes, si quidem idem sentiens, sed ut Cynicus asperius, proici se iussit inhumatum.* Cfr. Lael. §. 89: *Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae.* Tusc. I, 3. De transpositione litterarum v. ad I, 86; similiter *se* pro *is* scriptum in Gud. et Reg. IV, 17; *si quidem* pro *is quidem* manu priore in Gud. IV, 61. Iam ceteras criticorum coniecturas, quae multae sunt ac non minus vitiosae Wolfiana, licet, opinor, silentio praeterire.

44, 106. In tractandis qui h. l. proferuntur Pacuvii versibus secuti sumus cum Lambinum tum O. Ribbeckium et Alfr. Fleckeisenium, qui indiciis adducti optimorum librorum ex *septenariis*, quos paragraphus 107 ipso verbo descripserat, fecerunt *octonarios*. Recepimus igitur ex Gud. et Reg. *tu* ante *quae* et extremo versu *per terram* pro eo, quod coniectura adsecutus erat Bentleius, *tetra*. Altero autem versu, in quem illi de Bentleii sententia *tuum* inferunt post *natum* idque monosillabum volunt esse, multo nobis et a numerorum suavitate commendatius neque ab omittendi occasione minus probabiliter videtur omissum esse post *surge* vocabulum *age* sic

Neque té mei miseret, súrge age et sepeli natum, (*priusquám ferae*) —

Ex scriptura tertii versus *semiassi reis* (Gud.) vel *semi assi reis* (Reg.) quam proxime litterarum ductus secuti id unum repraesentavimus, quod ad rem accommodatissimum erat: *semiesas* vel *semesas* (scil. tabe an a feris) *sieris:* nam *semiassas* aut *semiustas*, quod alii vel invenerunt vel invenire poterant, prorsus a re alienum est: qua enim re impulsum putas Polymestorem ut

necati, qui videbatur, Polydori corpus ex parte ambureret, quod quidem feris obiectum esse ab ipso poeta audimus? Adde, quod hac denique coniectura expletus octonarius est neque ad integritatem eius quicquam aliunde adsumendum:

Neu rèliquias semésas sieris dénudatis óssibus.

Postremo quod *septenarios* cum Lambino mutavimus in *octonarios,* ne quis audacius factum reprehendat, geminata antecedentis vocis (*bonos*) extrema litterula cum legeretur *sectenarios*, facillime hinc natum est *septenarios*: nam *c* et *p* litteras saepius inter se permutatas esse constat: cfr. V, 5 in Gud. et Reg. *excultrix* pro *expultrix*. IV, 7 in cod. Leid. *adscripti* pro *adstricti;* v. Wesenb. Em. II p. 55.

44, 107. *Quam essent dura, si sentiret; nulla sunt sine sensu.* Omissum in his ab optimis libris *sunt*, quod alii post *nulla*, alii post *sensu* inferciunt, quid scriptum sit a Cicerone debet indicio esse. Remota igitur inepta illa ac frigida exclamationis specie (*quam essent dura*), quae prorsus abhorret ab demonstrandi docendive ratione, scripsimus ex parte Wesenbergium Em. II p. 32. I p. 16 secuti sic: *Quae essent dura, si sentiret, sed* (*set*) *nulla sine sensu. Set* enim haustum antecedenti sillaba *ret* contrarium eius, quod modo praeter veritatem fictum erat, i. e. veritatem ipsam, quae non potest nisi indicativo aut verbo exprimi aut animo comprehendi, sua sponte infert, ut in hoc syllepsis genere non plus insit miri, quam in illo Lael. § 39: *At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato et minime tunc quidem C. Gracchus, nunc idem acerrimus* (sc. sequitur). Neque in neutro vel numero relativi ad *cruciatum* relato quicquam offensionis inest.

45, 108. 109. *Totus igitur hic locus est contémnendus in nobis, non negligendus in nostris, ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire vere sentiamus. Quantum autem consuetudini famaeque dandum sit, id curent vivi, sed ita, ut intellegant, nihil id ad mortuos pertinere.* Tautologiam, quam habent haec duo enuntiata, non ferendam cum existimaret Wesenbergius, adductus est, ut duplicis recensionis quam vocant vestigia videre sibi videretur verbaque priora *ita tamen* — *sentiamus* eicienda censeret. Hanc, credo, opinionem illi ut sibi habeat permittamus; nos intellegamus Ciceronem, cum videndum dixisset, quid consuetudini famaeque in sepeliendis mortuis dandum esset, quoniam non ignorabat, quantum utriusque rei ratio animos hominum moveret quamque facile ob eam rem opinionis errore laberentur, quadam praecipiendi diligentia id iterasse, a quo maximo opere caveri vellet; adde, si placet, quod nostrates in eiusmodi causa solent: *wie gesagt*, difficultatem omnem sustuleris. Neque id ita alienum esse Ciceronis consuetudine, ut in praeceptis sedulo dandis paulo sit verbosior pridem animadversum

est, velut a Beiero ad Orat. XV, 47 in Orell. ed. Turic. 1830 p. 38.

45, 109. 110. *Quanquam enim sensus abierit, tamen summis et propriis bonis laudis et gloriae, quamvis non sentiant, mortui non carent. Etsi enim nihil in se habet gloria, cur expetatur, tamen virtutem tanquam umbra sequitur. Verum multitudinis iudicium de bonis si quando est, magis laudandum est, quam illi ob eam rem beati. Non possum autem dicere, quoquo modo hoc accipietur, Lycurgum — carere gloria.* De *suis*, quod pro *summis* a Lambino restitutum commendavit Wesenb. Em. II p. 26, non est quod dubitemus; est de *aberit* futuro pro eo, quod optimi libri praebent, *abierit:* hic enim coniunctivus coniecturae proprius vel maxime convenit, quam in omni hac disputatione suscepit Cicero, dubitantis et nihil nisi probabilia sequentis personae: cfr. § 17. Sed multo implicatiora sunt verba quae secuntur: *Verum multitudinis iudicium* et cetera, quae nullo neque rationis neque orationis vinculo cum iis, quae antecedunt, conexa sunt. Dicit Cicero gloriam virtutem tamquam umbram sequi illaque mortuos bonos tamquam proprio bono non carere. Quod si pergeret, multitudinis de bonis iudicium raro illud quidem verum esse itaque, si quando esset, magis laudandum esse quam illos sensu carentis ob eam rem beatos; sed tamen verum esse quod diceret, gloriam mortuos numqnam deserere, quod ea non incerta populari fama, sed vera bonorum laude metienda esset, boni autem nullo tempore deficerent; si haec igitur diceret, claudicare vel rationem vel orationem quis contenderet? Atque hoc, quod quaerimus, consecuti nobis videmur restituta, quae videlicet post *sequitur* ante *verum* interiit, particula *igitur.* Etenim quod dixerat sine exceptione, gloriam virtutem tamquam umbram sequi, id eiusmodi erat, ut per consecutionem quandam, qualis ipsius esset de gloria sententia quantique in hac causa multitudinis faceret iudicium, explicandum esse arbitraretur. Nihil igitur referre dicit, quo modo multitudo de bonis sentiat: sive vere sive secus sentiat, tamen se hoc adfirmare, quamvis insolens aut arrogans videatur (*quoquo modo hoc accipietur),* vera laude mortuos, hoc est bonorum laude, numquam carere aut cariturus esse. Errant igitur, qui addita verba *quoquo modo — accipietur* ad *carendi* verbum referunt, quod in mortuos non cadere ipse scriptor § 87 sq. demonstraverit. De re cfr. in primis quae disputavit Cicero II, 63. 64. III, 3. 4. V, 46; de particulae conlocatione, quam angustioribus finibus circumscripsit Madv. de Fin. v. I, 4, v. Hand. Turs. III p. 197.

47, 113. *Argiae sacerdotis.* Restitui cum Lamb. et Wes. Em. II p. 35 *Argivae*, quamvis confirmari videretur Gudiani et Regii testimonium auctoritate Medicei in Tac. Annal. XII, 61 in.; *Argivis* plane extat in Gud. et Reg. 53.

48, 116. *His et talibus auctoribus usi confirmunt causam rebus a dis immortalibus iudicatam.* Lambino *rebus* ex *auctoribus*, quod trium verborum intervallo distat, repetitum censenti pauci admodum fuerunt qui crederent; quod vero Wesenb. Em. I p. 6 addit debuisse certe dici *et rebus et verbis*, quo iure id postulaverit non video. *Res* si loquuntur, quid opus est *verbis?* an *rebus*, quid sit, sine verbis non potest intellegi? At nec *rebus* nec *re* eiusmodi contrarium adiectum sibi deposcere ostendit Lael. § 24: *atque hoc quidem omnes mortales et intellegunt et re probant.* At *verbis* si adieceris, insolentia dicendi, quae cernitur in plurali numero *rebus*, multum mitigabitur: nam singularem numerum in hac contrariorum relatione usitatum ac paene perpetuum esse constat. Quod ita verum est, ut hoc tamen loco *re iudicare* ne dici quidem potuerit. Etenim cum res ferat, ut qui iudicat vel verbis vel sententia iudicet, *re iudicare* non posset alii rei contrarie relatum esse quam *per speciem iudicando.* Sed tum di rebus i. e. veris, ut ita dicam, exemplis (Thatsacben) iudicarunt, ut simillimum sit, quod est in Plancii epistola ad Fam. X, 11, 1: *Quod reliquum est, tuum munus tuere et me, si, quem esse voluisti, exitu rebusque cognoscis, defende ac suscipe.* Ceterum cfr. V, 14: *si imaginibus potius uti quam rebus ipsis placet.*

ibid. *Repetunt ab Erechtheo, cuius etiam filiae — mortem expetiverunt pro vita civium. Codrum, qui se in medios immisit hostes* etqs. Nugantur interpretes, sive, ut Davisius, *Codrum* accusativum ex verbo *repetunt* suspensum volunt, sive *commemorant, citant, laudant* vel quodlibet verbum addendum putant; ne illa quidem sententia, quae orationem ἀνακόλουθον esse statuit, quicquam babet probabilitatis, propterea quod ii, qui proxime secuntur, Menoeceus et Iphigenia, ab regibus Atheniensium diversi cum sint, cum illis copulari una enumerationis serie vix potuerunt atque primus ille verborum ambitus subsistere in Codro debuit. Necesse est igitur scribatur *Repetunt ab Erechtheo — et Codro*, qui quamquam aetate inter se distant, tamen ut ex eodem genere veterum regum Atticorum rectissime uno ordine comprebenduntur; *et* ante *c* omissum est cum saepe tum I, 98 *iuste cum fide.* Paulo diversa ratio est Menoecei et Iphigeniae, quos *non praetermitti* dicit a rhetoribus, cum sint a veris historiis etiam remotiores et ad fictas fabulas toti relegandi. Hi igitur nulla copula coniuncti sunt, quia numerus eorum aliis similibus exemplis facile potuit augeri. Sed enim vitiosissimum est verbum finitum *iubet* et pro eo *iubens* (iubēs) necessario restituendum, ut, id quod res postulat, utrique subiecto, Menoeceo et Iphigeniae, commune possit esse praedicatum *non praetermittitur.* (Cfr. *audiens* pro *audies* in GR II, 32; *exponens* pro *expones* ibid. III, 43; *vitas* pro *vitans* III, 63, si-

milia). — Extrema verba cum multiplicem darent coniectandi copiam — potest enim aut post *hostium* vel *fatum* vel *exitium* aut ante *eliciatur* v. *dies* (v. Hor. Carm. I, 15, 33: *Iracunda diem proferet Ilio Matronisque Phrygum classis Achillei*) omissum esse — malui sic servare, ut sunt ab optimis libris prodita: *ut hostium eliciatur suo*: nam etsi molestum est ex antegresso primario enuntiato (*largitus est suum sanguinem*) in hoc secundario repetere sanguinis notionem, illa tamen *coniunctionis* (v. Auct. ad Her. IV, 38) forma, quam restitui participio *iubens*, videtur aliquid inventum esse levationis. Diversi generis est III, 79 (*Chrysippi* sc. *consolatio*). Ceterum non inelegans est coniectura librarii in Augustano *ut hostium eliciatur cruor*.

49, 117. *Nam si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius; sin autem perimit ac delet omnino, quid melius quam in mediis vitae laboribus obdormiscere?* Duplex in his haesitandi locus est: nam et *loci* genetivum facile adducimur ut utrique nomini et *extinctionem* et *commutationem* commune esse credamus, et transitiva verba *perimit ac delet* sic absolute posita nonnihil offensionis habent. Quamobrem *nostri* adieci, quod sic scriptum, ut solet *n̄ri*, quam facile post *non* intercidere potuerit apparet; sic autem utramque sublatam esse difficultatem non est quod pluribus dicam. V. ad III, 9.

LIBER II.

2, 5. *Quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt, ut huius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et perferant in hanc urbem.* Ex Gudiani et Regii scriptura *praeferant* id verbum restituit Wesenb. Em. I p. 7, quod et sententiae ac sedis mutationi unum aptissimum est et vitii originem planius demonstrat et Boethii etiam testimonio stabilitur, *traferant*, quae verbi forma compluribus locis confirmatur auctoritate Medicei in Epp. ad Fam., velut I, 4, 1; V, 20, 3. Sed idem vir doctus miris ambagibus usus prorsus a vero aberravit in explicandis quae proxime secuntur verbis: *Atque oratorum quidem laus ita — venit ad summum, ut iam — senescat brevique tempore ad nihilum ventura videatur; philosophia nascatur Latinis quidem litteris ex his temporibus eamque nos adiuvemus* etqs.: volt enim *nascatur* coniunctivum ex *ut* pendere atque ita cum secundario enuntiato iunctum esse, quod suo ac separatim efferendum fuerit. Id in hanc tam apertam verborum oppositionem: *oratorum quidem laus — philosophia* qui possit cadere non video. Nihil igitur adfert Orellii nescio quem sensum antiquitatis secutus, cum absurdum esse dicit coniunctivos illos velle ad adhortationis rationem revocare. Quo modo absurdum? An non modo hortatus erat Cicero *omnes, qui facere id possent,* ut philosophiae laudem Graeciae eriperent et transferrent Romam? Quo consilio? Certe quod, cum oratoria laus iam senescere videretur, philosophiam tunc nasci vellet, id est eam philosophiam, quae hoc tanto nomine digna esset et ad eius generis laudem aliquid conferre posset: nam etsi iam erant qui philosopharentur, tamen eos neque a disserendi elegantia neque a scribendi diligentia quicquam commendationis habere ipse profitetur §. 7. Quod cum ita sit, quis dubitat quin adhortationem, quam incohaverat, persecutus Cicero coniunctivis illis *nascatur — adiuvemus — patiamur* et se et omnes, qui, ut dixerat, facere id possent, complexus sit?

5, 14. *quae (dedecus, flagitium, turpitudinem) ut effugias, quis est non modo recusandus, sed non ultro appetendus — dolor?* Klotzii causa, qui in novissima etiam editione Ernestii secutus sententiam negationem addidit *non recusandus*, si qui

forte dubitabunt, eorum eos admonitos velim, quae olim copiosius persecutus sum in Epist. Crit. ad C. Halmium p. 20 sq., quae quoniam in paucorum manus videntur pervenisse, non alienum putavi carptim hoc loco repetere. Postquam ibi demonstravi, in sententiis adfirmantibus numquam fieri posse, ut ***non modo*** particulae sequente ***sed*** vel ***sed*** (***verum***) ***etiam*** idem valeant quod ***non modo non***, id quod sibi persuaserant Klotz. ad h. l. et Hand. Turs. IV p. 293, in hunc modum perrexi: Verum ab his exemplis longe diversum est illud genus, quod versatur in sententiis negantibus, quo quidem plerique in errorem inducti videntur, ut rem certis finibus circumscriptam latius patere ipsaque vi particularum ***non modo*** effici putarent, quod inest in vi sententiae negantis. Ad hoc autem genus non modo eae sententiae referendae sunt, quae recto genere neganti efferuntur, sed omnino omnes, quibus negatio involuta latet, interrogationibus, condicionibus, particula *quam* post comparativum; in quibus cum res universa negetur, ipsa negandi vis pertinet etiam ad partem, quae inest in particulis *non modo;* id modo discriminis interest, ut in sententiis oblique negantibus, semper ***non modo — sed*** (***verum***) dicendum sit, in recte negantibus, si praecedat negatio, ***non modo — sed ne — quidem*** vel ***sed ullus, umquam***, similia; sin sequatur, liceat etiam simpliciter ***non modo — sed non, nemo, neque — neque.*** Recte negantium exempla haec habeto: Acad. II, 62: ***quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest;*** ad Fam. XII, 29, 1: ***Non modo tibi, cui nostra omnia notissima sunt, sed neminem in populo Romano arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas;*** p. Sull. IX, 26: ***quid? si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris neque aetatis excusatio vindicat a labore?;*** de Legg. III, 21: ***non modo ulla in domo, sed nulla in gente,*** quo loco Bakius p. 614 contrarium exemplum adfert ex Vatin. I, 3: ***cum adfirmares nullum tibi sermonem non modo de Sestio accusando, sed ulla umquam de re fuisse,*** cui adiciendum de correctione Madvigii Catil. II, 8: ***Nemo non modo Romae, sed ullo in angulo totius Italiae oppressus aere alieno fuit*** etc. Cetera exempla, quae sunt ex eo genere, quod primum posuimus, cum sint frequentissima numero et satis ab omnibus cognita, nunc consulto praeterimus. Ex altero autem genere oblique negandi haec adfero: de imp. Cn. Pomp. XXII, 66: ***Quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos — capere possit?*** Div. in Caec. VIII, 27: ***Qua in re non modo ceteris specimen aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti?*** de Nat. Deor. I, 61: ***Epicurus tuus quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed mediocri prudentia?*** Catil. I, 7: ***Num me fefellit non modo res tanta —, verum, id quod multo magis est admirandum, dies?*** pro Sest. XX, 45: ***iecissem ipse me potius in profundum, ut ceteros***

conservarem, quam illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem, sed in magnum vitae discrimen adducerem. Quod si altera in his sententia non ipsa negat, sed adfirmat, addenda negatio necessario est dicendumque *non modo — sed non,* velut pro Sest. 108: *Quis non modo adprobavit, sed non indignissimum facinus putavit?* quod idem est ac si dixeris: *nemo non modo adprobavit, sed (etiam) indignissimum facinus putavit.* Tusc. Disp. II, 14: *Quis est non modo recusandus, sed non ultro adpetendus — dolor?* Haec igitur iis velim adicias quae sunt exposita a Madv. Opp. Acad. I p. 142 sq. et Gramm. Lat. §. 461. ed. 3.

6, 15. *Hunc post Rhodius Hieronymus vacare dolore summum bonum dixit.* Adhuc nemo repertus est, quod sciam, qui istam praepositionis *post* conlocationem aut satis certa ratione aut exempli similitudine confirmaverit; neque rursus aut obsecutus est quisquam aut obsequi velit Lambini voluntati, qui malit transponi verba *post hunc.* Minus audaciae habet, quod nobis videmur statuere, intercidisse ob similitudinem terminationis participium *secutus*: *hunc post Rhodius Hieronymus secutus,* ut *post* enumerationem significet antegresso *deinde*, *hunc secutus* autem idem valeat quod *huius sententiam secutus.*

7, 18. *Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis afficias, quibus Epicurus homo, ut scis, voluptarius.* Bentleii, ut videntur, auctoritate impulsi plerique editores vocem *voluptatem* tamquam ex inepta interpolantis sedulitate ortam eiecerunt: nimirum dixerat enim vir summus, Epicurum voluptatem summum et solum bonum nominare, neminem autem his verbis adficere dolorem. Quod profecto verum esset, si nunc voluptatem intellegi necesse esset eam, quae omnium bonorum finis est, τὴν ἐν στάσει ut appellabat Epicurus, Cicero *stantem*, id est non dolendi voluptatem (v. Madv. de Fin. p. 79), ac non illam, quae sensus iucunditate aliqua movet, τὴν ἐν κινήσει, *moventem*, ut ait Cicero, quae variari distinguique potest, ex variis rebus suavibus percepta. Hanc igitur certe Epicurus eisdem verbis adficiebat, quibus usurum finxerat Cicero in Phalaridis tauro. Atque id ita esse, quod diximus, voluptatem nunc in singulari aliquo motu ac re quapiam iucunda constare, non solum lectulus demonstrat cum Phalaridis tauro comparatus, sed etiam ipsa illa appositio: *homo ut scis, voluptarius*, quae et invidiae plena est hominemque significat affluentius undique voluptates haurientem, et, nisi antecessisset voluptatis mentio, non haberet quo referretur: nam dolorem blandis verbis adficere, id vero non est voluptarii potius quam duri et asperi hominis.

8, 20—23. In versibus ex Trachiniis translatis retinui ex optimis libris §. 20 *latere inhaerens*, satis defensum Ovidiano illo exemplo Met. V, 38: *Fronte tamen Rhoeti non irrita cu-*

spis adhaesit; itemque *ictus infixit* secundum Verg. Aen. IV, 689: *infixum stridit sub pectore volnus.* Neque in illis vv. *O nate, vere hoc nomen usurpa patri, Ne me occidentem matris superet caritas* quicquam video quod mutandum sit: nam *me occidentem* nota illa brevitate dictum esse pro *caritatem erga me occidentem* non difficile est ad intellegendum. — §. 21. Multum meo iudicio de diritate rei imminuunt, qui congesta in unum corpus tria epitheta *miserandum* — *evisceratum* — *laceratum* ita dispertiunt, ut alterum in genetivum mutatum nomini *patris* attribuant.

10, 23. Versus de Accii Philocteta vulgo sic scriptos

Unde ignis cluet mortalibus clam
Divisus; eum dictus Prometheus
Clepsisse dolo poenasque Iovi
Fato expendisse supremo

ita in ordinem redegi, ut et *doctus*, quod habent optimi libri, tuerer (*callidum Promethea* Hor. Carm. II, 18, 35; σοφὸν dixisset Herodotus) et grammaticam verborum structuram a soloecismo liberarem sic: *et hunc doctus Prometheus* etqs. Nam infinitivi *clepsisse* et *expendisse* cum nominativo *Prometheus* non possunt ex superioris sententiae praedicato *cluet* suspensi esse, nisi hoc enuntiatum cum illo adiungendi aliqua particula conexum sit: quae lex tam omnium scriptorum usu contestata est, ut mirum sit contra eam peccare maluisse criticos quam facili coniectura damnum sarcire. Et esse facillimam coniecturam nostram nemo non concedet, qui quam saepe a librariis *h* littera cum aliis vocibus tum pronominibus temere vel addita vel omissa sit usu cognitum habet. Memorabiliora eius rei exempla ex Gudiano haec conlegi: I, 8 *cum his* pro *cum is*, 80 *quas his* pro *quas is;* V, 60 *atque his* pro *atque is;* V, 26 *hisne* pro *isne;* V, 55 *quos* pro *qui hos;* II, 26. III, 2. 11 *hac* pro *ac;* IV, 49 *ac* pro *hac;* IV, 79 *hanc* pro *an;* IV, 69 *haec* pro *est;* IV, 73 *de his* pro *deis;* IV, 68 *haec ferunt* pro *ecferunt;* III, 21 *haec referre* pro *aegre ferre;* III, 11 *hecfrenati* pro *ecfrenati;* I, 28 *inhocadmi* pro *Ino Cadmi;* III, 2 *aut* pro *haud;* I, 16. II, 54 bis *habeo* pro *aveo;* III, 41 *abeo* corr. in *habeo;* V. 118 *habeat* corr. in *abeat;* III, 2 *adholesco* pro *adolesco;* III, 36 bis *adherit* corr. in *aderit;* IV, 58 *adibita* corr. in *adhibita;* I, 117 *conhibentem* pro *coniventem;* V, 13 *hostium* pro *ostium;* V, 44 *habundans* pro *abundans;* IV, 6 *omnium* pro *hominum.*

10, 24. Bentlei coniecturam ex mare aquila feminam restituentis

Sic hanc custodem maesti cruciatus alo,
Quae me perenni vivum foedat misriae

ne minimum quidem addubitari licere docent permixta *qui* et *quae* in Gud. et Reg. II, 57. III, 12. V, 69. Similia sunt

haecine pro *hicine* in isdem libris III, 39; *qui* post *quae* (*que*) omissum in Gud. manus posterior addidit III, 57.

II, 26. *Sed is* (*Dionysius*) *quasi dictata nullo delectu, nulla elegantia; Philo noster et lecta poemata et loco adiungebat.* Corruptam paulo mirabilius optimorum codicum scripturam *Philo et proprium noster* vel, ut est in Gudiano, nr̄ (sic, non n̄rr, ut tradit Baiterus) ita refinximus, ut et litterarum ductus quam proxime sequeremur et sententiae quantum fieri posset satis faceremus: *Philo et proprio numero et lecta poemata et loco adiungebat.* Nam *proprium numerum*, quod ex Colon. recepit Orellius, nulla sententia est: ita neque qui sit numerus intellegi potest et *proprium numerum orationi* — id enim audiendum est ex iis, quae antecedunt — *adiungebat* perversissimum est. Immo *versus* — id est commune obiectum utriusque enuntiati — orationi adiungebat Philo *proprio numero*, non, ut Dionysius, quasi dictata, id est ita, ut suum cuiusque versus numerum pronuntiando exprimeret. Quae enim discipulis a magistro dictari solent, ea nulla vocum varietate ac modo, quae postulat numerorum ratio, sed uno velut tenore et aequabili verborum tractu pronuntiari solent. Hanc scilicet interpretationem Fr. A. Wolfius in scholis ineptam dixit acclamavitque O. Heinius (Progr. Posn. p. 7), cum miraretur, quis statim de decantando cogitaret, ubi de dictatis quis loqueretur. Quae quidem cogitatio tam in promptu est quam quae potest maxime, si modo nota sunt, ut debent esse, quae cum ab aliis tum a Madv. de Fin. p. 307 et Theod. Schmidio tradita sunt ad Hor. Epp. I, 18, 13. II, 1, 71; contra plane novum ac totum commenticium est, quod ipse Heinius dicit, dictata eo notari nomine, quod illa minore industria elaborari soleant quam libri, quos quis in lucem sit editurus. Ita factum est, ut repudiata, in quam ipse inciderat, coniectura nostra scribendum censeret: *Philo, ut proprium nostri est, lecta poemata et loco adiungebat.* Ista vero quis tandem probaverit aut quis omnino Latina esse concesserit? An ita quis sit ille *noster* plane declaratum censes? Esset profecto ita: *Philo noster, quod est eius proprium.* Et quid fuisse putas, cur id proprium Philonis esse diceretur, quod esse eius proprium ex ipso contrario exemplo Dionysii satis appareret? Manemus igitur in ea sententia, quam ante nos alii amplexi sunt, singillatim inter se oppositas esse notiones hinc *quasi dictata, nulla elegantia, nullo dilectu*, illinc *proprio numero, lecta poemata, loco.* Ipsam autem vitii originem repetendam putamus ex hoc compendio *proprionr̄o*, ut una litterula r ex *o* paulo gravius corrupta esse appareat. Ceterum idem compendium sic scriptum nr̄ pro *noster* iteratum est in Gud. II, 6: nrr *Possidonius.* — In verbis, quae sequuntur: *Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poetis; sed, sicubi illi defecerunt,*

verti multa de Graecis, ne quo ornamento — careret Latina oratio neque *enim*, quod est in optimis libris post *verti*, neque quod Halmius quamvis facili coniectura (auctoribus ab O. Heinio l. l. citatis adde exemplum ex Gud. et Reg. IV, 76: *est enim illud* pro eo, quod nunc de Manucii emendatione legitur, *est etiam illud*) in eius locum substituit *etiam* neque Klotzii curis posterioribus inventum *non nulla* recte se habere et temporum ratio et sententia demonstrat: nam sicubi Latini poetae defecerunt, non tum primum vertit Cicero in declamatione de Graecis, sed versa adfert: addendum igitur necessario est post *defecerunt* — *Graecis* pergendumque: *verti enim multa* etqs.

11, 27. *At vero nos docti scilicet a Graecia haec (poetarum scripta) et a pueritia legimus et discimus, hanc eruditionem liberalem et doctrinam putamus.* Vitiosam esse in his *et* particulae ante vv. *a pueritia* conlocationem — nam alius generis sunt quae ad I. 87 attulimus eaque fere intra pronomina aut pronominalia continentur — primus perspexerat Bakius correxeratque transponendo *a pueritia et legimus et discimus*, quod nollem a Tischero receptum, cum nihil habeat artificii emendatio. Quod si recte vidit Orellius, ut vidit certe, alienum esse ab huius loci sententia *discendi* verbum, quoniam non de artis praeceptis agitur ratione complectendis, sed de poetarum scriptis memoriae mandandis, qua in re propriam sedem habet *ediscendi* verbum (cfr. paulo supra et III, 3. de Fin. II, 20): qui poterit dubitari, quin prius *et* ex geminatis antecedentis vocabuli *haec* litteris natum scribendumque sit ita: *haec a pueritia legimus ediscimus, hanc eruditionem — putamus?*

12, 28. *Quis igitur Epicurum sequitur dolor, quum hoc ipsum dicit, summum malum esse dolorem, quo dedecus maius a philosopho nullum expecto?* Laetatur Cicero, quod adulescens, quocum loquitur, tam cito de sententia sua destiterit maiusque malum quam dolorem dedecus esse confessus sit. *Rogaro* (sic optime Wesenb. Em. I p. 8), inquit, *hoc idem Epicurum; maius dicet esse malum mediocrem dolorem quam maximum dedecus: in ipso enim dedecore mali nihil esse, nisi sequantur dolores.* Iam interrogatio illa, quam proposuimus, prorsus non dicam inanis sed nulla est: negat enim id omnino fieri, ut ullus dolor Epicurum sequatur, cum summum dedecus in se suscipiat, cum adfirmare debeat id utique necesse esse fieri, ut eiusmodi dedecus dolor sequatur non sensu ille quidem aut corpore perceptus, sed animo et conscientia haustus. Rogatus Epicurus, quis eum sequeretur dolor, cum ista diceret, responderet certe ne minimum quidem sequi: at id ipsum ei erepturus est Cicero, ne tantum dedecus tam indignum sapienti homine sine dolore esse contendat. Hanc igitur sententiam, quae absurdam esse Epicuri rationem plane demonstraret, adsecuti nobis videmur hac inter-

rogationis forma: *Quid igitur? Epicurum non sequitur dolor, cum hoc dicit?* Ut hoc loco negatio ñ post *Epicurum* h. e. post *m* vel *ū*, sic III, 59 in Gud. et Reg. omissa est post *quem*. Vide infra ad II, 60. *Quis* et *quid* permutata sunt cum saepe tum II, 32 in eisdem libris.

13, 30. Refutans Zenonem Cicero *Definis*, inquit, *tu mihi, non tollis dolorem, quum dicis asperum, contra naturam —, nec mentiris; sed re succumbere non oportebat verbis gloriabundum. Nihil bonum nisi quod honestum, nihil malum, nisi quod turpe. Optare hoc quidem est* etqs. Merito spreta est haec Madvigii emendatio a Baitero, neque enim ullum adiectivum in *bundus* desinens, quod quidem a verbo primae coniugationis ductum sit, moris est Ciceroniani: dixit ille *moribundus*, *furibundus*, non dixit *mirabundus*, *laetabundus*, alia id genus. Quare acquiescendum erit Lambini sententia existimandumque, *dum* illud, quod est in optimis libris post *gloriantem*, nihil esse nisi dupliciter scriptam sillabam *tem*. Nam Orellii quidem ratio, qui servato *dum* audiri volt *dicis*, somnii quam rationis similior est. Neque vero quicquam signi opus erat, quod indicaret verba *Nihil bonum* etqs. adversarii esse propositum — *θέσιν* vocant Graeci —: quae enim secuntur *Optare hoc quidem est*, ea in reprehensione versari quis non videt?

ibid. *tantum excellet illud, quod — virtutis nomine amplectimur, ut omnia — perexigua et minuta videantur, ne malum quidem ullum nec, si in unum locum collata omnia sint, cum turpitudinis malo comparanda.* Praetermissum hunc locum a Madvigio in doctissima disputatione de Fin. p. 816 sqq. ex parte correctum dederunt C. Halmius et Io. Bakius: nam et sine ulla necessitate atque adeo cum sententiae damno *comparanda*, quod novo novi enuntiati subiecto accommodatum est, in *comparandum* mutarunt; quod si scriptum esset a Cicerone, posset videri illud dixisse, nullum ex malis undecunque conlatis cum turpitudinis malo comparandum esse, ac non hoc, quod res et veritas postulat, ne omnia quidem mala in unum locum conlata tanta esse, quantum turpitudinis malum. Praeterea reliquerunt coniunctivum *si* — *collata sint* ab Ernestio, quod sciam, primum inductum: et optimorum codicum scriptura *sunt* et principalis sententiae tempus *excellet* futurum *erunt* oportuisse scribi plane demonstrant.

13, 31. *Prudentiamne vis esse, sine qua ne intelligi quidem ulla virtus potest? Quid ergo? ea patieturne te quicquam facere nihil proficientem et laborantem?* Frustra laborant, qui haec sana esse contendunt, velut Tischerus, cum vertit: *wobei du keinen Erfolg hast und dich doch abquälst.* Proinde quasi labor non suscipiendus sit ei, qui firmat animum ad dolorem ferendum (§. 28) aut qui eum opprimit patientia (§. 33). Immo

vero qui dolorem pro malo habent idque lamentantur animo debilitati ac fracti, ii nihil proficiunt et *temere* laborant: haec videlicet vox *teme* intercidit inter *proficientem* et *e* (et), non *frustra*, quod nescio unde arreptum attulerat Lambinus probaratque et Bentleio et Wesenbergio Em. I p. 25. Atque haec deniqne vox una omnium maxime declarat quod prudentiae, de qua agitur, contrarium est: cfr. Ep. ad Attic. X, 8, B. 1: *te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicaram.*

15, 36. In tragici poetae versibus

apud Lacaenas virgines,
Quibus magis palaestra, Eurota, sol, pulvis, labor,
Militia in studio est quam fertilitas barbara

vehementer offendit illud *militia*, sive sic scribis, ut est in optimis libris, sive cum Bulerio et Wesenbergio *labor militiae:* qua correctione nihil lucramur, cum nemo sit quin id verae militiae laborem, non, ut illi volunt, laboriosas exercitationes ac militiae similes significare intellegat: nam plane diversa ratio est loci, cuius testimonio usus est Fr. A. Wolfius, Hor. Serm. II, 2, 8, quo venandi equitandique studia in militia Romana proprie referuntur. Quod cum exploratum sit, Spartiatarum virgines veram militiam non sustinuisse, sed gymnicis exercitationibus studiosius quam proprio feminarum operi, liberorum procreationi, operam dedisse, quid tandem apertius est quam poetam illum scripsisse: *Quibus magis palaestra — Militiae et studio est quam fertil. barbara?* Etenim opus, quod quis studiose tractat in eoque fortem ac strenuum se praebet, eius *militiam* translata verbi vi appellari notum est: cfr. intpr. ad Cic. p. Mur. IX, 19 et ad Prop. I, 6, 39; de *militandi* in hanc sententiam verbo ad Hor. Epp. I, 2, 67. Dativos autem tuetur exemplum Terentii Ad. III, 3, 28: *Utrum studione id sibi habet an laudi putat Fore, si perdiderit gnatum?* *In* praepositio (ī) nata videtur ex *e* (*et*).

16, 37. *Militiam vero (nostram dico, non Spartiatarum, quorum procedit agmen ad tibiam nec adhibetur ulla sine anapaestis pedibus adhortatio) nostri exercitus primum unde nomen habeant vides; deinde qui labor quantus agminis.* Adfectum gravius locum et coniecturis doctorum hominum varie tentatum nunc nobis videmur in antiqnam sanitatem restituisse. Adhuc qui ad eum accesserunt corrigendum, duplici fere errore ducebantur, ut vel, cum ab optimis libris proditum esset *quorum procedit admodum ad tibiam*, subiectum, quod deerat, ex voce *admodum* quaerendum putarent, vel ut Ciceronem existimarent excursiones illas (*προσόδους*) commemorare, quas instructa acie Lacedaemonii tibiarum concentu in hostes facere soliti sunt, de quibus laudatissimus locus est Thucydidis V, 70 et qui eum exscripserunt Val. Maximi II, 62, A. Gellii I, 11. Quid? quod ita errore praeceps latus est Wesenbergius, ut Lacedaemonios

iter fecisse ad tibiam negaret, quod falsum esse et ipsa duplex illius *νόμου* notio — nam vel *ἐμβατήριον* vel *ἐπιβατήριον* nominatur — et multo magis ea declarant quae sunt ab Od. Müllero Doriens. II p. 333 sqq. docte, ut pleraque, et copiose explicata. Et nunc quidem nihil aliud nisi de *agmine* cogitasse Ciceronem res ipsa clamat et ita clamat, ut illum, quod non fecit, magis in re tota errasse quam dixisse crederemus, quod cum re, de qua agitur, non cohaereret. Quid enim? illae incursiones num possunt ad laboriosas exercitationes referri, quibus perpessio dolorum facilior efficiatur? aut quid illis cum Romanorum agmine commune est, cuius mentio videlicet admonebat eum Lacedaemoniorum et eiusdem eorum militiae partis multo, ut ipsi videbatur, minus laboriosae? Quid multa? ipsum nomen, quod requirimus, adest: ex *procedit* verbo tanquam ex occulto in lucem protraximus *quorum* procedit it (*iter*) *ad modum ac tibiam*, id quod paene ad verbum convenit cum Val. Max. 1. 1.: *Lacedaemoniorum exercitus non ante ad dimicandum descendere solebant, quam tibiae concentu (ad tibiam) et anapaesti pedis modulo (ad modum) cohortationis calorem animo traxissent;* ita et mensura sonorum (*νόμος*) et ipsum instrumentum musicum sedulo discernuntur. Simile est, etsi propter numeri diversitatem sententia aliquid differt, Liv. VII, 2: *ad tibicinis modos saltantes. Ad modum* cum iuncta legerentur tamquam adverbium, in proclivi lapsus erat *ad* pro *ac* scribentium; de genere vitii v. Madv. Em. Liv. p. 98. 525 not. 560. 580. Nunc, quoniam gravissimum librariorum mendum sustulimus, ad initium loci revertamur necesse est. Quod qui ad *ἀνακολουθίας* rationem revocant, ii vota magis videntur facere quam rerum veritate niti: ita neque loci, quos adferunt, cum hoc recte comparari possunt (nam I. 56 accusativum *animum ipsum* traxit antecedentis enuntiati structura, Vergilianum autem illud *Urbem quam statuo, vestra est,* ratione prorsus differt); neque vero quod verbum Cicero animo complexus sit, unde accusativus *militiam* posset suspensus esse, ullo modo divinari potest. Quid contra credibilius quam librarios militiae nomen cum proximo verbo *dico* iunxisse atque *in* praepositionem, praesertim inter *i* (*dolori*) et *m* (*militia*) positam, neglexisse? *In militia* enim si scribitur, recte quasi termini ac fines notantur, ad quos ea, quae secuntur, pertinent. *Militiae,* quod volebat I. Fr. Gronovius, et ipsa verbi vi ac significatione alienum est, cui contrarie referretur *domi;* nunc autem militia exercitationibus gymnicis opponitur: et sic nude positum non addito *domi* a Ciceronis more abhorret. Postremo sensus, nisi me ipsum fallit, fefellit Wesenbergium, cum contra optimorum codicum auctoritatem scribi vellet *qui labor et quantus agminis;* asyndeti ratio sic divisis vocibus vel maxime apparet neque quicquam differt, ut hoc adferam, ab illo Tusc.

III, 83 *At quae stirpes sunt aegritudinis, quam multae, quam amarae* etc.; in coniunctas quidem voces *qui et quantus* non nego id cadere, quod usquequaque volt vir doctissimus.

14, 38. 39. Ad locum pervenimus facile impeditissimum omnium, versus dico ex Achille, ut O. Ribbeckius suspicatur, Ennii, in quibus volneratus Eurypylus Patrocli auxilium ita implorat, ut ex utriusque oratione et habitu qui sint veterum et exercitatorum militum mores cognosci possit. Atque hoc quidem recte G. Tischerus, quod idem I. G. Baitero visum, ut versu sexto *et* vocula deleta scriberet *Certe Eurypylus hic quidem*: aliter versus ratio constare nequit; sed in iis, quae secuntur, quod Raph. Kühnerum secutus vv. *ubi tantum luctus continuatur* cum ipsius Ciceronis oratione confudit, multas ad reprehendendum ansas dedit. *Trotz der Häufung seines Unglücks* — ita vertit verba — *wird Eurypylus nicht weinerlich!* At *luctus* non est calamitas, certe in oratione quidem soluta, sed doloris inde suscepti significatio, id quod neque in Eurypylum neque in ceteros heroas Graecos tum ipsos quoque volneratos eosdemque exercitatos ac veteres transferri licet, nisi Ciceronem volumus secum ipsum pugnare. Quid *continuari?* num idem valere censes quod *cumulari?* Et quid cumulatum erat in Eurypyli fortuna? Erat in exercitus clade, qui fortissimos deinceps viros telis hostium percussos vidit; Eurypylus quidem simplici, ut ita dicam, vice adflictus fuit. Quamobrem huius machinatorem artificii mittamus; veniamus ad Fr. A. Wolfium eiusque adstipulatorem Tregderum. Volunt illi ipsi quoque Ciceronis haec esse: *ubi tantum luctus continuatur,* sed seiuncta a ceteris et commiserationi Patrocli *Hominem exercitum* ita subiecta, ut ille Patroclum per multos versus continuare luctum brevi rerum comprehensione significet: *„wo denn Patroclus so sehr über seinen Eurypylus iammert."* Mitto dicere quam sit dura et incondita haec locutio, in qua neque *ubi* adverbium neque neutrum *tantum* neque passivum *continuatur* sine offensione est; illud unum satis argumenti est, quod sententia cum Patrocli moribus, quales §. 39 depinguntur, prorsus dissentit ac pugnat. Nihil ergo aliunde auxilii petendum est, ad nosmet ipsos oportet confugiamus. En medicina, quae omnibus malis mederi possit:

Namque Aesculapi liberorum saucii opplent porticus;
Non potest accedi. **P.** *Certe Eurypylus hic quidem. Heu exercitum,*
Ubi tantum luctus continuatur. **E.** *Qui alteri exitium parat,*
Eum scire oportet sibi paratam pestem ut participet parem.

Iam vides omnia plana et sententia verbisque emendata esse. Nam et *hominem exercitum* removimus, rem plane insulsam, cum quis in proelio volneratus significatur; et *luctus* vox proprio poetarum

more causam doloris, non effectum notat, id est tot virorum optimorum cladem, quae non intermittitur, sed *continuatur;* denique sui simillimum habemus Patroclum, qui et satis habet simplicem commiserationis vocem mittere eamque ab uno Eurypylo ad universum exercitum transferre mavolt. Ipsum autem *heu,* quod in *hominis* locum restituimus, facillimo errore cum *hom* i. e. *hominem* permixtum est. — Deinde in Ciceronis verbis *Vide quam non flebiliter respondeat, rationem etiam adferat* (sic optimi libri), *cur aequo animo sibi ferendum sit* coniunctivum alterum *adferat* facile passus sum ab Orellio cum indicativo, qui est in deterioribus libris, commutari. Quod enim respondet Eurypylus, totum versatur in ratione adferenda: coniunctivo autem *adferat* videretur ceteris, quae respondit, rationem adferendam tamquam cumulum addidisse. Librarii ut *adferant* scriberent inducti sunt vicino ac proxime antecedenti *respondeat.* — Extrema verba sic conciunavi, ut a novissimis editoribus Tregdero, Klotzio, Baitero factum est. Adhortatio illa *Quiesce igitur et volnus adliga* neque Patroclo recte tribuitur, qui modo summo studio de rebus suorum sciscitatus erat, neque Eurypylo, qui suum dolorem pluris videretur facere quam communem miseriam. Relinquitur igitur, ut Ciceronis sit ita de suo atque communi sensu commiserantis adflicti viri sortem, ut id ab eo postulet, quod ceteri minus fortes viri, si eodem loco, quo Eurypylus, fuissent, certe facturi fuerint. Quod addit *Etiamsi Eurypylus posset, non posset Aesopus,* faceto quodam blandiendi genere significat histrionis amici virtutem in agendo dolore etiam maiorem esse viri fortis virtute in ferendo.

17, 40. *Pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur; pugiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem.* Quid istuc est, quaeso, contrarii *pernoctant in nive, in montibus uri se patiuntur?* Nonne nix in montibus et potest et solet esse? non uri extra montes quisquam potest? Et qua re uri? Aestu scilicet solis, quod necesse est intellegi, nisi vel frigoris vel nivium vel hiemis notione addita. Quis autem aestivo tempore in medio ardore solis venatur? aut quem non venandi studium, ut ait Liv. V, 6, 3, per nives ac pruinas in montes silvasque rapit? V. Xen. Cyneg. VIII, 1. Hor. Carm. I, 25. 37, 19. Serm. I, 2, 105. Verg. Georg. I, 307 sqq. Noli igitur dubitare, quin tantae ineptiae in librarii potius stuporem quam in Ciceronis ignorantiam conferendae sint: scribendum necessario erit: *pernoctant venatores in nive et montibus, uri se patiuntur; et* (e) videlicet post *nive,* ut sescenties, omisso geminatoque *m* natum est *in montibus* idque ad consequentia tractum; *uri* autem praegressa *nivis* mentione iam quorsum spectet neminem fugit. At frustra est, quod in venatoribus haeremus, cum ad *Indos* nos vocet Davisius: hos enim ille reduxit ex optimorum codicum me-

moria *inde pugiles* scripsitque *pernoctant venatores in montibus, in nive uri se patiuntur Indi, pugiles — ne ingemiscunt quidem* conlato loco Tusc. V, 77, ex quo primum hoc intellegitur, barbaros et agrestes Indos vel maxime appellari, deinde non universam gentem, sed eos modo, qui sapientes habiti sint, hoc genere duritiae adsuevisse. Quid ergo? ad extremos barbaros a domesticis venatoribus aut ab ingenti hominum genere ad paucitatem sapientium eamque satis obscuram cucurrisse putas Ciceronis demonstrationem? Quin repellamus Indos eadem vi, qua inruperunt, et venatores cum nive suo loco retineamus; ex *inde* autem faciamus id, quod videlicet facillimum factu est idque ab Orellio primum inventum, dein ab eodem reiectum ego revoco et ab interitu vindico, *uide*, quo nescio an nihil possit esse vel ad spectaculi demonstrationem (v. §. 39 conl. §. 19 *aspice*) vel ad ipsius demonstrantis alacritatem accommodatius. Huic igitur praeferant licet qui volent vel Wesenbergii coniecturam *in montibus uri se patiuntur idē* (iidem), si qui aestivae erunt venationis amatores, vel O. Heinii (Progr. Posn. p. 7) *item pugiles — ne ingemiscunt quidem*, si qui otiosa et languida potius quam alacria et sanguinis plena optabunt.

18, 42. *Ego illud, quicquid sit, tantum esse, quantum videatur, non puto, falsaque eius visione et specie moveri homines dico vehementius doloremque omnem esse tolerabilem. Eius*, quod post *doloremque* addunt optimi libri, nemo recentiorum editorum tueri ausus est praeter eum, qui fere sibi sapere solet, Re. Klotzium. De universo doloris genere dictum esse, quod nunc ponit Cicero, eamque ob causam ne *eiusmodi* quidem, quod Fr. Scheibins Annal. phil. et paedag. 1860 p. 374 defendit, tolerari posse manifestum est. Manucii vel Lambini coniecturam *eis* tamquam inutilem et supervacaneam refutavit Bentleius; Bentleium ipsum *rebus* scribentem. quod idem esse volt ac *re, revera, re ipsa* (v. ad I, 116), redarguit O. Heinins (Progr. Posn. p. 9), qui ipse quoque lapsus est falso nimirum de codice Gudiano testimonio deceptus: plane enim in eo *eī* id est *eius*, non, ut Heinius tradit, *eē* id est *esse* exaratum est, ut verear, ne nemini persuadeat ille, *esse* aut hoc loco aut post *omnem* librarii errore. temere repetitum indeque natum esse *eius*. Me quidem illius ipsius libri vera scriptura *eī* longe alio et, ut opinor, ad id duxit, quod in hac contra Stoicos disputatione unum omnium verissimum est. Etenim brevi complexus Cicero, quae Stoicorum, qui dolorem malum esse *negabant*, rationi sua sententia opponi possent, concludit ita, ut suam rationem tamquam dogma quoddam et quasi caput insequentis disputationis proponat hoc modo: *doloremque aio omnem esse tolerabilem:* nam haec verba *aiendi* et *negandi* in dogmatis philosophorum proprie poni quis est qui nesciat? cfr. I, 77. Unam igitur litterulam *o* geminavimus.

19, 45. *Nunc ego non possum tantum hominem nihil sapere dicere, sed nos ab eo derideri puto. Nunc* ab optimis libris contestatum, quod quid sibi velit nescire se profitetur Wesenbergius Em. I p. 25 not., necessarium est non modo ad respondendi vicissitudinem significandam, sed etiam ut illa ipsa, ad quam devenit Epicuri argumentatio, extrema cavillatio notetur. Antea, inquit Cicero, — sic enim eius mentem interpretari libet — seria agere, etsi non satis constanter, videbatur Epicurus, nunc nos ab eo derideri puto. Cfr. p. Rosc. Am. 52: *Audio: nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat* Illud si vellet Cicero, quod eum voluisse fingit Wesenb., certe dixisset *Hunc ego tantum hominem non possum nihil sapere dicere.*

20, 47. *reliquum est, ut tute tibi imperes. Quamquam hoc nescio quo modo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat; non inscite tamen dicitur.* Interpunctionis vitium, quod Tregdero cum aliis commune est, recte correxit Baiterus: vide quae de hac sententiarum conformatione diximus ad Lael. p. 399 sq. Sed idem Baiterus imponi sibi passus est a Wesenbergio et Bakio, ut *dicitur* scriberet pro *dicatur.* Hoc si dixisset Cicero *quamquam hoc quodam modo dicitur*, neque *nescio quo modo* scripsisset, in quo nulla est circumscriptae notionis significatio (*nur in gewissem Sinne*), neque laudationem adicere potuisset *non inscite tamen dicitur.* Ut igitur omnino verum sit, *sibimet ipsi imperare* quodam modo dici, tamen, quae huius loci ratio est, ea postulat ut *quo modo* idem esse existimemus quod *quo iure* vel *quam recte.*

21, 49. Pacuvii versus ex Niptris

Tu quoque, Ulixes, quanquam graviter
Cernimus ictum, nimis paene animo es
Molli, qui consuetus in armis
Aevum agere

tamquam imperfectos et in media sententia abruptos notari voluit Wesenb. Em. II p. 46, cum ante ipse negasset ibid. p. 8 umquam Ciceronem medios mutilare versus. Scribendum esse *consuetu's* et Fr. A. Wolfius vidit et ea probant, quae docuit Fr. Ritschelius Prol. ad Plauti Trin. p. 109 sqq. Num idem in Vergilium (Aen. I, 237) recte induxerit O. Ribbeckius, dubitari licet.

22, 52. *Calanus Indus — sua voluntate vivus combustus est. Nos, si pes condoluit, si dens, si tactum dolore corpus, ferre non possumus.* Hanc paucissimorum librorum scripturam satis firmis rationibus impugnavit Moserus, quibus illud accedit, quod Wesenbergius intellexit, de more Ciceronis adiciendum fuisse verbum *est* (*si tactum dolore corpus est*). Itaque tuemur quod est in Gud. et Reg. *sed fac totum dolere corpus* idque ita interpretamur, ut Ciceronem statuamus primo *partes corporis*

uomiuasse, quo rei augeret turpitudiuem atque indignitatem. deinde, cum uihil referre intellegeret *partem*ne an *totum* diceret, se ipsum correxisse atque auditorem ad extremi mali cogitatiouem vocasse, quod ipsum ad omne supplicii genus, non modo ad combustionem, uihil esse declararet. Nam Moseri quidem interpretatio, quam amplectitur Tischerus: Wenn uns ein Fuss, ein Zahn schmerzt, so können wir es nicht ertrageu; stelle dir vollends vor, der ganze Körper empfiude Schmerzen: wie gebärdeu wir uns daun!, ea vero eiusmodi est, quae possit ex omnibus omnia facere.

23, 55. *Et si verum quaerimus, in omnibus officiis persequendis animi adhibenda est contentio. Ea est sola officii tanquam custodia Sed hoc quidem in dolore maxime est providendum, ne quid abiecte, ne quid timide — faciamus.* Non vidisse interpretes Ciceronis mentem ac sententiam uon solum prava ista verborum interpunctio declarat, sed etiam quod ***hoc quidem*** receperunt pro eo quod est iu optimis libris ***hoc idem***. Concludit Cicero locum de dolore fereudo ita, ut animi contentionem cum in omnibus officiis persequendis, tum maxime in resistendo dolori adhibendam dicat; apparet igitur neque euuntiata, quibus hauc sententiam complexus sit, interpunctione maxima divelli ac separari licere et perversum esse ***hoc quidem***, quasi alia miuus providenda sint in dolore ac non id ipsum, de quo agitur, ut animi coutentionem adhibeamus, in dolore magis quam in ceteris officiis providendum sit. Quod igitur nunc disiunctius paulo elocutus est Cicero, eodem redit ac si dixisset: Et si verum quaerimus, cum in omnibus officiis persequendis animi est adhibenda contentio: nam ea sola officii tamquam custodia est: tum hoc idem in dolore ferendo maxime est provideudum (scil. ut adhibeamus couteutiouem), ne quid viro indigue faciamus.

24, 58. *Sed quoniam de dolore loquimur, illa omittamus.* Praeferendam duxi hoc loco Regii scripturam *omittam*. Cfr. de Fin. I, 24: *Sed ut omittam pericula, labores —, ad ea, quae hoc non minus declarant, sed videntur leviora, veniamus.* Halm. ad Or. p. Lig. §. 20: *Sed ut omittam communem causam, veniamus ad nostram.* Loquitur Cicero cum auditore, is igitur sermonis est particeps, ipse autem tamquam actor primarum partium quid diceudum, quid omittendum sit decernit. Aliter res se habet IV, 27: *Atque ut ad valetudinis similitudinem veniamus* (Gud. et Reg. *veniam*) *eaque conlatione utamur aliquando.*

25, 60. Dionysius Heracleotes a Cleanthe condiscipulo interrogatus, quaenam eum ratio de seutentia, quam antea de dolore habuerat, deduxisset, respoudit, ut est apud Tregderum de Madvigii coniectura, sic: *Quia, si, quum tantum operae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumenti malum esse dolorem. Plurimos autem annos*

in philosophia consumpsi nec ferre possum; malum est igitur dolor; in libris *qui* pro *quia* scriptum et *si* ante *cum* omissum est. Desperatissimum locum ne sic quidem recte esse sanatum certissimis rationibus nuper probatum est a Bogenio Progr. Neus. 1861 p. 2; ipse quod uovi excogitavit: *Quia, cum tantum operae philosophiae dedissem, si dolorem etiam ferre possem, satis esset argumenti malum non esse dolorem*, in hoc uno laudandum est, quod omissum in libris *si* loco et per se rectiore et ab arte commendatiore (post *dedissē*) restituit; ceteris quidem rebus vehementer displicet. Quid tandem in hoc responso acuminis est? An erat, quod istuc diceret Dionysius Stoico homini, qui sapientis esse negabant dolorem in malis ducere? Contrarium si dixisset, se in maximis philosophiae studiis tamen dolorem malum esse et sentire et dicere, dixisset aliquid, quod probari posset. Quid porro vult illud *etiam?* neque doloris cum aliis rebus comparatio nunc quidem recte se habet neque vel temporis significatio vel adseverationis notio quorsum spectet intellegitur. Quamobrem aliam nos viam ingressi ea maxime sententia tamquam duce usi sumus, quae quid debeat dictum esse plane demonstrat. Etenim veritas sic opposita *plurimos autem annos in philosophia consumpsi* quid aliud patitur antegressae cogitationis quam sumptionem fictam et non veram: *Quia, cum non tantum operae philosophiae dedissem, si dolorem ferre non possem, satis esset argumenti malum esse dolorem?* Nam *cum* quin coninnctam habeat et temporis et condicionis vim (*nachdem ich — hätte*) nihil est quod dubites. Sed huic protasi *cum non — dedissem* non convenit relata particula *tamen*: neque enim omissio philosophiae quicquam ad ferendum dolorem auxilii adfert; correxi igitur (*dolorem*) *tantum*, quod compendio scriptum т̄m facillimo errore cum тn i. e. *tamen* permisceri potuisse cum alia exempla docent tum huius libri §. 64: *se tamen* (alii codd. *tantum*) *ipsa delectet.* V. ad III, 83. Dicit igitur Dionysius nihil profici philosophia ad dolorem ferendum, quem malum esse et natura ipsa doceat neque philosophia dedoceat. De omissa post *cum* negatione v. ad II, 28.

26, 62. *Videmusne, ut, apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem?* Vix mihi persuadeo tale ἀνακόλουθον in oratione plane aequabili neque longioribus ambagibus circumducta satis posse defendi. Nam quod adferunt ex Brut. X, 39: *Videsne igitur, ut in ea ipsa urbe, in qua et nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem?* genere dissimillimum est, quod ego ne referendum quidem ad hoc genus esse existimo: ita facile altera interrogatio (*ut*) ab altera (*quam sero*) excipitur, sicut *qui* a *quantus* §. 37. Quod cum causa adferri probabilis non posset — nam omnium minime cius-

modi est quod Wesenb. Em. I p. 33 suspicatur, *ut* fortasse ex *ne* ortum aut ex *ui* (*uidemus*) repetitum esse —; cum igitur additae particulae *ut* origo lateret, satius duxi *ut* mutare in *et* quam omnino delere. Pendentis quam vocant particulae *et* eum plurima alibi exempla extant (v. Madv. de Fin. p. 801 sqq.) tum in his ipsis libris reperiuntur III, 5. IV, 74. Atque in eadem sententia esse O. Heinium (Progr. Posn. p. 8) posthac non sine gaudio cognovimus.

27, 67. *urgentibus asperis et odiosis doloribus, si tanti sint, ut ferendi non sint, quo sit confugiendum, vides.* Non video quid Tregderum Baiterumque ut Guilelmi correctionem *si tanti non sit* (libri *sint*) *ut ferendi sint* Manucianae illi postponendam putarent iure commoverit. Non tanti, ut hoc adferam, ipsi Ciceroni fuit, ut in asperis doloribus mortem sibi conscisceret, id quod exponit ad Fam. VII, 3. Quod laudant Tusc. V, 117: *sin forte longinquitate producti* (*dolores*) *vehementius tamen torqueant quam ut causa sit cur ferantur, quid est tandem quod laboremus?*, id corruptum esse suo loco docebimus.

ibid. *Cras ergo ad clepsydram, sic enim diximus, et tibi hoc video non posse deberi.* Inductum ex deterioribus libris *diximus* pro *duximus*, quod vulgo interpretantur *ita inter nos convenit*, *ita constituimus*, ne in familiari quidem sermone, cum nulla sit pacti alicuius suspitio, ferendum existimo. Neque vero quod Nissenius voluit *induximus* pro *instituimus* Ciceronianum est: is *inducendi* verbo et obiectum, ut *morem*, *consuetudinem*, alia, et locum addit, velut *in civitatem*, *in iudicia*. Quod alii praeferunt *sic enim dicimus* et ipsum obscurius est — aliud esset *dictioni operam damus*, ut §. 9 — neque quicquam cur adderetur causae erat. Scripsi igitur: *sic animum induximus* i. e. sic nobis proposuimus et consuevimus. ut ad clepsydram declamaremus more verarum causarum retento. V. Kritz. ad Sall. Cat. LIV, 4. Contrario vitio in optimis libris II, 10 scriptum est *a tali quodam inductus exordio* pro *ductus*. V. ad I, 27. Gravius praeterea erratum esse in *et* particula idque, quod mirum sit, etiam a novissimo editore Baitero, non est quod ego post Orellium demonstrem: res ipsa maximeque auditoris responsio loquitur.

LIBER III.

2, 3. *Ad quam (popularem gloriam) fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens — in summa inanitate versatur consectaturque nullam eminentem effigiem, sed adumbratam imaginem gloriae.* Non mihi persuasit O. Heinii disputatio Progr. Posn. p. 14, ut a librorum auctoritate recederem; *virtutis*, quod in omnibus paene codicibus invenitur post *effigiem*, sic defendendum puto. Qui se ad popularem gloriam accommodant, ii non tam veram virtutem consectantur honeste factis plane exprimendam, quam gloria tamquam umbra sequitur (cfr. I, 109), sed quandam inanem imaginem gloriae, quae verae illius gloriae imitatrix est. Nam gloria, quae quidem recte dicitur, solida quaedam res est, ut virtus ipsa, cui tamquam imago resonat. Germanice sic verterim: er jagt keinem wesenhaften Ideal der Tugend nach, sondern nur einem Schattenrisse des Ruhms. Denn der wahre Ruhm ist etwas Gediegenes und Wesenhaftes, nichts, was einem blossen Schattenrisse ähnlich sähe; er ist das natürliche Echo der Tugend. Inanitas igitur illa, in qua vel optimi versantur, in eo posita est, quod primum gloriam consectantur, quae in se nihil habet cur expetatur (cfr. I, 109), deinde eam gloriam, quae ne vera quidem gloria est, sed adumbrata eius imago. Qui enim veram illam honestatem expetunt, quam unam natura maxime anquirit, ii nihil sequi debent nisi ipsam, ut ait Cicero, eminentem effigiem virtutis vel, quod idem est, honestatis; nunc pro ea gloriam consectantur neque eam solidam. A vero prorsus abduci se passi sunt, qui *gloriae* putabant genetivum esse quem vocant explicativum. *Gloriae,* quod paulo post additum est verbis *ea virtuti resonat tanquam imago*, vel ex huius ipsius loci, quem tractamus, recordatione natum vel ex margine, in quo pro indice positum erat *gloria*, huc illatum videtur ut *iussu tyrannorum* I, 95. (cfr. ad V, 74).

2, 4. *Atque ii quidem optima petentes non tam voluntate, quam cursus errore falluntur; quid? qui pecuniae cupiditate feruntur —, iis nullane adhibenda est curatio?* Quid causae fuerit, quo impulsus Tregderus optimorum codicum scripturam *Atque hi quidem* deseruerit, aut quid Tischeri velit explicatio *et tamen ii,* prorsus non liquet. *Atque* particulam transeuntis esse

ab hoc, quod modo descriptum erat, hominum genere optima petentium ad alterum, qui multo etiam vitiosiores sunt, atque ideo *hi* pronomen ad distinguendum tam necessarium esse quam in trito illo *Atque haec quidem hactenus*, quis paulo prudentior negaverit? In iis vero, quae secuntur: *iis nullane adhibenda est curatio*, cautius duxi vulgarem relationis morem (*qui* — *iis*) sequi quam cum libris, quorum in hac re nulla est auctoritas, et cum Wesenbergio *his* scribere, praesertim cum huic pronominis formae particulae interrogantis *ne* conlocatio repugnare videretur: v. II, 31: *ea patieturne te quicquam facere —?* et ad V, 88.

3, 5. In Enuii verbis dubitari vix licet quin recte restituerit O. Ribbeckius *neque poti* (libri *pati*) *neque perpeti potest, cupere numquam desinit*, ea quidem verbi vi, qua legitur §. 41: *spe eorum omnium, quae supra dixi, fore ut natura iis potiens dolore careat.* Ceterum ne hoc quidem loco quicquam vidit Bakius et qui eum nescio quo pacto secutus est Baiterus: *hoc* enim *ipso odiosi sunt* si scriberetur, ut illi volunt, animi morbi, de quibus cum maxime agitur, non corporis significarentur; animi autem morbos hoc ipso odiosos appellari, quod ad animum pertineant, quid tandem potest absurdius esse? Et fac id ita dici posse, quid in eo causae est, cur animi morbi perniciosiores pluresque quam corporis dicantur? Immo quod *hi* id est *corporis*, quod postremum posuerat, *morbi* ipsi quoque ad animum pertinent (cfr. V, 3) atque ob id odiosi sunt, inde plures esse animi morbos recte colligitur (v. de Fin. I, 55); quanto autem iidem perniciosiores sint, animus ille aeger docet, qui, ut ait Ennius, semper errat.

3, 6. *Est profecto animi medicina philosophia, cuius auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris, omnibusque opibus* [*viribus*], *ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est.* Teneo optimorum librorum scripturam *omnibusque opibus viribus*: nam haec dissolutionis species plane ex eodem genere est, de quo nemo praeclarius exposuit quam Madv. Op. Acad. Pr. p. 490: studium enim omnia coniungentis exprimit. Wesenbergium quidem vereor ne iterum sensus fefellerit, quem nonnihil offendit asyndeton propter adiunctum *omnibus;* quod quidem nullius discriminis esse ostendit p. Flacc. §. 14: *omnemque ei suam auctoritatem gratiam, copias opes ad hoc negotium conficiendum detulisse:* nam nihil differre unone membro dicatur *omnesque ei suas copias opes detulisse* an duobus, uti factum videmus, non est quod dicam. Quod denique omissa vox *viribus* est in Gryphiano optimo, ut ait Orellius, et in Bernensi, huius omissionis causa cum facile repeti possit a simili vocum *opibus* et *viribus* terminatione, non tanta debet videri, propter quam *viribus* tollendum putemus.

4, 8. *Quia nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum* [*id est insanitatem et aegrotum animum. quam appellarunt insaniam*]. Ad haec et quae secuutur expedienda in primis tenendum est, quod fere omnes omiserunt, *insaniam* ad mentis id est partis animi aegrotationem proprie pertinere (cfr. §. 11: *mentis, cui regnum totius animi a natura tributum est*), deinde autem a parte in totum transferri, ut omnem animi perturbationem ut ex insania mentis profectam insaniam esse demonstretur. Iam quo modo sananda sint illa *id est insanitatem et aegrotum animum* non obscurum est. Primum enim *insaniam*, in qua nulla est significatio morbi ex corpore suscepti, eo vocabulo interpretatur scriptor, quod in corpore proprie diceretur, *insanitate*, huic autem adiungit *ex aegroto animo*, quo et ipsa illa insanitas certius definitur et mentis aegrotationem ab aegrotatione animi non seiunctam esse conclusione quadam efficitur; quod denique addit *quam appellarunt insaniam*, idcirco facit, ut *insanitatis* nomine aut omnino abstinuisse veteres aut certe in hanc sententiam usos non esse indicet. De loquendi genere cfr. I, 90 *animi contractio ex metu mortis;* III, 21 *aegritudo ex alterius rebus adversis;* ad III, 83. *Et* et *ex* cum saepe permixta sunt tum I, 93 in Gud. et Reg. *qui et acta aetate* pro *qui exacta aetate;* III, 71 in Gud. *ex praecepta* correctum a manu secunda in *et praecepta;* IV, 2 in Gud.[2] *et positis* pro *expositis;* ibid. 71 *ex auctore* correct. in *et auctore*: cfr. Halm. de imp. Cn. Pomp. p. 97 edit. mai. Madv. Em. Liv. p. 521. Hanc igitur difficultatem nullo negotio removimus; illa vero, quae secuntur, multo corruptiora sunt et profecto tam insana, ut non possint a Ciceronis ingenio aut manu profecta esse. Hoc quidem apparet, Stoicorum rationem ita coniungi cum ratione veterum Romanorum, ut utramque idem velle demonstretur. Primum igitur Stoicorum ratione omnem animi perturbationem *morbum* appellantium — id enim nomen philosophorum proprium est — idemque ad stultitiam vel insipientiam id est mentis aegrotationem transferentium insipientes insanire concluditur; deinde ad Romanos rediens oratio eos contraria ratione eodem pervenisse demonstrat, ut ex animorum *sanitate*, qualem ipsi et animo comprehensam habuerint et verbo appellaverint, mentis, ut ita dicam, insanitatem insaniam dixerint. Deest igitur in verbis *sanitatem animorum positam in tranquillitate quadam — censebant*, quae vel maxime requiritur, maiorum illorum commemoratio, quos sic in locum, unde expulsi erant, restitui: *Nostri sanitatem animorum* etqs. Intercidit *nr̃i* (*nostri*) post *insaniunt*, ut I, 117, *enim* autem, quo ad vinciendas sententias opus esse videbatur, ex geminato *em* (*sanitatem*) natum est: vide ad I, 3. His igitur, quae non operosius, ut videmur, machinati sumus, profligata videntur quae vel Bakius

Schol. hyp. p. 89 vel O. Heinius Progr. Posn. p. 21 sq. acutius quam verius disputaverunt.

5, 11. *insaniam enim censuerunt id est inconstantiam sanitate vacantem posse tamen tueri mediocritatem officiorum.* Ita Tregderus ex Nonio, cum in optimis Ciceronis libris esset *stultitiam* (sic Reg. ex corr.; Gud. *stultitia*) *enim censuerunt inconstantiam id est sanitate vacantem* etqs., quae levi vitio liberata atque correcta iuveniuntur in Vatic. sic: *stultitiam censuerunt constantia id est sanitate vacantem* etc. Stultitiam posuit scriptor pro insania, quod omnes stultos et insipientes insanire demonstraverat §. 9 et insaniam iunctam stultitia modo dixerat; sanitatem autem animorum maiores suos in constantia positam putasse commemoraverat eadem §. 9. Tregderi rationem multis nominibus reprehendendam satis redarguit Wesenb. Em. II p. 52. Ex *constantia* praesertim antegresso τ littera facili errore ortum est ĭ*constantia*; *e* (*et*) et ĭ (*in*) permutata vidimus II, 36.

6, 12. *Non enim silice nati sumus; sed est natura fere in animis tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine quasi tempestate quatiatur.* — *natura fere* ex librorum scriptura *naturabile* restituit Bentleius, cum vidisset Ciceronem II, 47 sic dicentem: *est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile.* Quem quidem lusisse credamus statuamusque id inesse in *naturabile*, quod et artificio et sententiae satisfaciat: *est natura tractabile in animis et tenerum quiddam atque molle,* quemadmodum dixit Lael. 48: *Neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream esse quandam volunt: quae quidem est cum multis in rebus tum in amicitia tenera atque tractabilis, ut et bonis amici quasi diffundatur et incommodis contrahatur;* poterat idem *flexibile* dicere, ut Orat. 52: *oratio mollis et tenera et ita flexibilis ut sequatur quocumque torqueas; habile*, quo quem suspitio vocare possit, aut *agile* non item. Nam *habile* celeritatem vel mobilitatem (Gelenkigkeit) non simpliciter notat, sed eam simul ad certos usus accommodatam significat (brauchbar, zweckmässig), velut *figura corporis habilis* de Legg. I, 26, *arma habilia* de Heinr. coni. p. Tull. 18; *agile* autem, quod quis possit confirmatum putare ep. ad Attic. I, 17, 4: *si ita statueris et inritabiles animos esse optimorum saepe hominum et eosdem placabiles et esse hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiamque naturae plerumque bonitatis; agile* igitur in hanc sententiam, ut aequaret Graeci vim vocabuli ἐλατικόν, neque a Cicerone umquam neque ab aliis dictum est; substantivum quidem novatum esse a Cicerone, quod adiecit *ut ita dicam* demonstrat. Ac ne *fragile* quidem, quod quis coniectura arripuerit idque in *aegritudinem* id est *infractionem animi* (§. 14) aut *fractum animum* vel maxime cadere existimet, rectum est: habet enim caduci et fluxi, non teneri ac mollis notionem. Causa vitii

ex compendio vocis *natura* repetenda est hac *nata* (cfr. I, 59 *naturam* pro *natam* in Gud. et Reg.); *tabile* autem pro *tractabile* scriptum ut III, 81 in Gud. *tractum* pro *tractatum*. Similia sunt I, 37 *vicia* pro *vicinia* in Gud., 41 *veta* pro *vegeta* in Gud. et Reg., I, 57 *respondem* pro *respondentem* ibidem; II, 33 *discere* pro *discedere* ibidem; II, 56 *profunda* pro *profundenda* in Gud. a pr. m.; II, 62 *contempno* pro *contendendo* in Gud. et Reg.; IV, 16 *libini* pro *libidini* in Gud., 59 *toleranda* pro *tollenda* in Gud. et Reg.; V, 77 *contione* pro *contentione* in Reg. et Gud. (m. sec.); V, 84 (I, 23) *sentiam* pro *sententiam* in Reg. *Et* autem particulae ante τ omissae exempla plurima praebent cum alii tum Madv. Em. Liv. p. 70. 288. 530. 536; in Gud. IV, 55 *et* ante *tranquilla* manus sec. addidit. Non minus frequens est contrarium vitium, ut IV, 20 post *sunt* servavit *et* Nonius: v. Wesenb. Em. III p. 4. Madv. Em. Liv. X, 21, 6.

ibid. *Ne aegrotus sim; sin quid fuerit, sensus adsit, sive secetur quid, sive avellatur a corpore.* Alienam esse huius euphemismi speciem, in quam Davisii inciderat suspitio, satis demonstratum est a Tischero; quod ipse ille excogitavit *sin, inquit, qui fuerat, sensus adsit*, quod quidem non multo distat a Wolfii correctione *sin, is qui fuerat sensus adsit* [libri enim optimi *si inquit* (*inquid* Gud. a pr. m.) *fuerat*], utrumque vereor ne plus salebrarum habeat quam ut probari possit. Quis enim *sin* istud proprium enuntiatum efficere ac non cum coniunctivo qui sequitur, *adsit*, coniungendum arbitretur? Quanto melius Halmius, qui scribendum censet *si sim*, *qui fuerat sensus adsit*. Quamquam quid addito opus erat *qui fuerat?* an verendum erat Crantori ne quis eum, antequam aegrotaret, sine sensu fuisse opinaretur? Rectius igitur et ad sententiae veritatem et ad coniectandi probabilitatem sic nobis videmur scripsisse, *si, inquit, fuero, sensus adsit.* Ac ne dubites de veritate nostrae coniecturae, en Graeca, quae interpretatus est Cicero, servata a Plut. Cons. ad Apollon. p. 102, C: *Μὴ γὰρ νοσοῖμεν· νοσήσασι δὲ παρείη τις αἴσθησις, εἴτ' οὖν τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων εἴτ' ἀποσπῷτο.* — Scriptum erat *fuero*, idque in *fuerat* mutatum, ut infinitivis in *e* desinentibus vel primis personis perfecti activi saepissime videmus τ additum.

7, 14. *Qui fortis est, idem est fidens. — Qui autem est fidens, is profecto non extimescit — Atque in quem cadit aegritudo, in eundem timor. — Ita fit, ut fortitudini aegritudo repugnet. Veri simile est igitur, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem et infractionem quidem animi et demissionem* etqs. Vanam esse O. Heinii de hoc loco sententiam (Progr. Posn. p. 19), quae verbis *ita fit ut fortitudini aegritudo repugnet* ratiocinationis ordinem ac seriem perverti censet, vel

inde intellegitur, quod, nisi interposita esset media illa conclusio, pergendum fuit in hunc modum: *Veri simile est igitur, in quem cadat timor, cadere in eundem infractionem animi.* Nunc quoniam partem ratiocinationis conclusit scriptor, ut fortitudini aegritudinem contrariam esse efficeret, denuo repetendo quod iam dixit (*timorem*), sed idem augendo et amplificando (*et infractionem quidem animi et demissionem*) institutam rationem persequitur atque per plures adsumptiones continuatam ita absolvit, ut omnes *timoris* id est *aegritudinis* partes a forti viro eodemque sapienti alienas esse demonstret. — Orellium, qui in extrema conclusione *non cadet* (sic optimi libri et Nonius) *ergo in sapientem aegritudo* ex aliquot codd. deterioribus praesens *cadit* arripuit, redarguunt §. 15: *semper igitur ea sapiens vacabit,* et §. 18: *aberit igitur a sapiente aegritudo.*

8, 18. *Frugalitas, ut opinor, a fruge, qua nihil melius e terra.* Errasse Wesenbergium Em. II p. 53 et qui eum secutus est Baiterum, cum in relativo enuntiato *est* addendum putaverint, vel illa documento sunt, quae exposui Pal. Cic. p. 16. Hoc quidem loco accedit illud, quod ea vis inest in brevitate enuntiati *nihil melius*, quae non multum aut nihil absit ab epiphonemate. Cfr. III, 11: *Itaque nihil melius quam quod est in consuetudine sermonis Latini.*

12, 26. In Ennii versibus emendandis cetera egregie administravit Bentleius; *raptu* quidem, si de librorum auctoritate certius cognovisset, non dubito quin contempturus fuerit prae illo, quod et concinnius multo et elegantius est *raptis nuptiis*, quod expressum esse apparet ex Graeco κλέπτειν γάμον. Verba autem *Iovis iste quidem pronepos* Ciceronis esse, non poëtae, nemo fuit eorum, qui insecuti sunt, interpretum quin intellegeret; quod nisi ita esset, interrogatio *tamne ergo abiectus?* fundamento, ut ita dicam, suo careret neque ullo cum antecedentibus vinculo contineretur. De brevitate refutandi vide quae diximus ad Lael. p. 367. 511. — Versus, qui secuntur, bacchiacos nobis sic visum est reconcinnare:

Nolite, hospites, ad me adire: ilico istinc,
Ne contagio mea bonis umbrave obsit
Vobis: tanta vis sceleris in corpore haeret.

Atque *istic* id est *istinc* pro *istic* (cfr. Ribb. ad Verg. Aen. VI, 389) scribendum esse ante me iam Pearcius viderat: audiendum est *abite* vel *recedite*, ut in illo Diogenis responso V, 92: *nunc quidem paululum a sole.* Quod Lachmannus voluit ad Lucr. 189: *ilico istic, Ne contagio mea bonis umbrave obsit, Stetis* neque ita valde a Latinitate commendatur neque omissionis causam apertiorem ostendit, quam Bentleianum *Meo.* — *Vobis,* quod nos addidimus, non solum quomodo inter *obsit tanta* intercidere potuerit manifestius est, sed etiam ad sententiae perspicuitatem

multum adiuvat; *corpore* quidem, cum antecessisset *contagio meo*, pronomine facile carebat.

13, 28. *Epicuro autem placet opinionem mali aegritudinem esse natura, ut quicunque intueatur in aliquod maius malum, si id sibi accidisse opinetur, sit continuo in aegritudine.* Haec contorta et verbis et sententia esse primus intellexit Dobraeus Advers. II p. 373, qui deletis verbis *opinionem mali* scribendum censuit *placet aegritudinem esse naturae;* quod cum audacius videretur Bakio, aliud remedium non minus vehemens proposuit hoc, ut pro *esse* scriberetur *efficere.* Quod ipsum nos multo leniore correctione adsecuti sumus hac: *Epicuro autem placet ex opinione mali aegritudinem esse natura. Esse natura* (*φύσει εἶναι*) idem est quod nostrates dicerent *sua sponte nasci,* quod quidem non minus recte atque adeo saepius dicitur *naturale esse.* Cfr. Acad. I, 22. *Ex* post ET (*placet*) intercidisse apparet, ut I, 54 post *nec* (*nec ex se aliud creabit*).

15, 33. *Vetat igitur ratio intueri molestias, abstrahit ab acerbis cogitationibus hebetem aciem ad miserias contemplandas.* Hanc prolepsim adiectivi, qualem praebent optimi codices, poeta aut Tacito dignam esse, a Ciceronis more longissime abhorrere perspexit Wesenb. Em. I p. 14 sq.; quod autem ille extrinsecus petiit auxilii addendo vel *reddit* vel, quod multo probabilius est, *facit,* id nos ex ipsis scriptoris verbis, ut prodita sunt, adsumendum putamus *aciem* mutando in *faciens* (*insaniem* pro *insaniens* habet Reg. IV, 52). Obiectum sententiae vel ex antegresso enuntiato *animum* est vel infinitum pronomen, ut utroque modo *aciem* non desideres.

18, 41. *Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud —. Nec vero ita dici potest, mentis laetitiam solam esse in bonis. Laetantem enim mentem ita novi, spe eorum omnium, quae supra dixi* etqs. *Bonum illud*, quod est in omnibus libris, non erat quod de Schlengeri sententia mutaret Tischerus in *bonum ullum*: ad verbum respondent Latina Graecis, quae servavit Athen. VII p. 280: *οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθόν* id est *bonum illud*, quod quidem Epicurus in libro *περὶ τέλους* anquirere instituerat. Sed hoc leve; illud multo mirabilius, quod nemo criticorum viderit *enim* particulam in verbis *laetantem enim mentem ita novi* etc. vitiosissimam esse et sententiae prorsus contrariam. Ut nunc verba se habent, diceret Epicurus laetitiam mentis solam in spe esse eorum, quae nominaverat, bonorum eamque in bonis scilicet praesentibus — id enim significant verba *mentis laetitiam solam esse in bonis* — esse negaret. Quod totum contra est: utrumque contendit, mentis laetitiam non solum in praesentibus bonis, sed etiam in spe eorum potiundi esse. Apparet igitur atque extat eodem vitio hunc locum corruptum

esse, de quo supra diximus II, 26, scribendumque ita: *laetantem etiam mentem ita novi;* v. ad IV, 56. 76.

18, 43. Interrogatio, qua pervellit Epicurum Cicero, tripertita est, una a gustatu, ab auditu altera, tertia a visu et odoratu ducta. sed haec extrema tribus membris constans, quorum postremum duabus rebus usu fere coniunctis comprehensum. Qua discriptione illud velim intellegi, nihil causae esse cur *et* ante *sertis*, ut voluit Fr. A. Wolfius, delendum videatur; quod si statueres, tamen haec duo *incendes odores — sertis redimiri iubebis*, ut aequabilitatis ratio constaret, uno membro complectenda essent. His tribus interrogationibus, ut solet, Ciceronis artificium se continuit; loco quartae — nam tactum nondum attigerat — posuit condicionalem sententiam: *si vero aliquid etiam —, tum plane luctum omnem absterseris.* Callidissimi mehercule sunt interpretes, qui huius reticentiae — sic enim volunt — sententiam acu, quod dicitur, tangentes *aliquid* illud eiusmodi esse perspexerunt, quod ad ἀφροδίσια vel, ut ipse Cicero appellat §. 46, corporum complexum pertineret. Quod mihi quidem videtur nudo pronomine *aliquid*, nullo certiore indicio addito, ut in iis locis videmus, quos exempli causa attulerunt, non modo obscure significari, sed ne significari quidem omnino potuisse. Et quid causae fuisse censemus, quin id nomine appellaret Cicero, quod Horatium videmus in dulcissimo carmine II, 11, 21 sine dubitatione appellasse: *Quis devium scortum eliciet domo Lyden?* Quid igitur? absurdene id nomen reponemus, cuius partem relictam puto in *tum*: *Si vero aliquod etiam scortum, plane luctum omnem absterseris?* At quod Horatio illisque temporibus licuit, non licuit honeste quidem Ciceroni. Audio idque argumentum tantum esse duco, ut et decoris et artis rationibus multo magis satis fecisse videamur hac emendatione: *Si vero aliquid etiam deliciarum, plane luctum omnem absterseris*: omissae erant sillabae *delicia* post etiā. De vi vocis *deliciae* v. Ern. Cl. Cic. s. v.

19, 44. In poetae tragici versibus

Namque regnum suppetebat mi, ut scias, quanto e loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna occidat

recte, ut mihi videtur, optimorum librorum memoriam *accidat* spreverunt Orellius et Tregderus; qui eam tuentur, O. Ribbeck. Trag. Lat. Fragm. p. 57, Klotzius, Baiterus, qua ratione ducantur aliis divinandum reliquerunt. Si dictum esset *quibus de rebus lapsa haec fortuna accidat* (cfr. Verg. Aen. XII. 593: *Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis, Quae totam luctu concussit funditus urbem*) aut si duplicatum esset relativum *quibus quae rebus lapsa fortuna accidat*, profecto intellegerem. Quod si forte de graecismo illi cogitarunt, *lapsa accidit* ut esset ἔτυχε πεσοῦσα (ἡ τύχη), ne hunc quidem me vidisse a Latinis poetis usurpatum confiteor. *Occidit* autem *fortuna* egregie defendit testimonium

Horatii Carm. IV, 4, 70 sq.: *occidit. occidit Spes omnis et fortuna nostri Nominis Hasdrubale interempto.*

19, 46. *tu enim paulo ante ne intelligere te quidem alia ulla dicebas.* Dubium non est quin recte a Lambino correctum sit *ne intelligere quidem te.* Saepius a librario vel Gudiani vel Regii in conlocatione particulae erratum esse docent II, 14: *non audeo id dicere quidem,* quamquam hoc loco malui Halmii coniecturam (*dicere equidem*) quam Wesenbergii (*id quidem dicere*) sequi: similiter *quidem* pro *equidem* est in Gud. a pr. m. III, 31; gravius erratum est II, 30 in verbis *ne mallem quidem ullum,* ubi *quidem* ex margine, ut videtur, in locum falsissimum traductum est; in margine certe habet Regius III, 13: *quamquam id quidem primum.* III, 84 *Verum quidem haec hactenus,* IV, 52 *isto modo quidem* emendavit Wesenbergius.

20, 47. *At idem ait non crescere voluptatem dolore detracto summamque voluptatem nihil dolere.* Haec aperte vitiosa sunt: neque enim post infinitivum *crescere* in adiuncto enuntiato alium infinitivum audire licet. Quamquam neque quod in uno Leid. inventum commendavit Buherius *summamque esse nihil dolere,* neque quod margo Lambini habet *summamque esse voluptatem nihil dolere* tam verum esse puto quam quod ego restitui *summamque voluptatem esse nihil dolere*, quod iisdem verbis eodem ordine paulo infra repetitur. Minus enim probabile videtur *esse* post *q* (*que*) quam post *voluptate* intercidisse sic scriptum, ut est in Pithoeano III, 32 *e*, cum vulgo sic soleat *ēē*, velut in Reg. et Pith. III, 27. IV, 13. Similiter *esse* post *voluptate* omissum addidit eadem manus in Gud. V, 26.

21, 50. *Et queruntur quidam Epicurei — me studiose dicere contra Epicurum Ita, credo, de honore aut de dignitate contendimus. Mihi summum in animo bonum videtur, illi autem in corpore. mihi in virtute, illi in voluptate. Et illi pugnant et quidem vicinorum fidem implorant. — Ego sum is, qui dicam me non laborare, actum habiturum quod egerint.* Mirum nobis accidit altero in his loco, quo loco planissima esset, impugnatam expulsamque esse *et* particulam, altero, quo explicatum difficiliorem haberet, intactam mansisse. Postquam diligentissime Cicero et nulla, ut sibi videbatur, cupiditate aut studio Epicuri de summo bono sententiam refutavit C. 20, addit *Et queruntur quidam Epicurei me studiose dicere contra Epicurum*, nimirum indigne ferens atque miratus, quid sit, quod in tanta sua tranquillitate animi tamen a quibusdam Epicureis accusetur dicere studiose vel iracunde contra familiae illius patrem. Est igitur *et* illud cum indignatione vel interrogantis vel exclamantis (und doch), de quo v. Hand. Turs. II p. 492 et Zumpt. ad Quint. II, 5, 19; cfr. Tusc. I, 92. III, 35. Nec vero non eadem particulae vis transferri debet in alterum *et* ante *illi pugnant.* Etenim

proposita causa certaminis: *mihi summum in animo bonum videtur, illi autem in corpore,* quae nimirum talis est, ut ab honoris aut dignitatis contentione longissime absit, sed quaestio sit, quales in philosophorum scholis sine ira et studio tractari solent, ipsum certandi genus, quo quidem accusatores sui utuntnr, ita causae certaminis opponit, ut mirari se significet illos id facere, quod ipsi exprobraverant, culpamque, quam in illum contulerant, ipsos sustinere: ipsi enim, inquit, vehementius suam sententiam dcfendunt omniaque ad vincendum auxilia comparant, ego non magnopere me laborare et qnicquid mihi probaverint accepturum dico. Valet igitur hoc quoque loco *et* particula fere tantundem quod *quae cum ita sint, tamen,* sed indignationis vim suam ac propriam retinet. Illud autem enuntiatum *ego sum is, qui dicam,* quod superiori subiectum esse debebat (*während ich derjenige bin*), more Romano adiunctum esse non est quod dicam.

23, 55. *Neque tamen genus id orationis in consolando non valet, sed [id] haud sciam an plurimum. Ergo ista necopinata non habent tantam vim, ut aegritudo ex iis omnis oriatur; feriunt enim fortasse gravius, † non id efficiunt, ut ea, quae accidant, maiora videantur, † quia recentia sunt, non quia repentina.* Locum difficillimum sprcta Bentlei emendatione sic expedio. Ad id, quod opponi sibi finxerat Cicero (*dicet aliquis*), consolationem illam, nihil oportere inopinatum videri, inutilem esse, primum ita respondet, ut id orationis genus, quamvis de summa mali nihil detrahere videatur, tamen in consolando multum valere confirmet: *Neque tamen genus id orationis in consolando non valet* (hat jedenfalls seine Bedeutung und Wirknng) *et id haud sciam an plurimum* (und zwar sehr grosse): ita enim emendandam esse particulam *sed,* qua nihil possit esse pcrversius in sententia non corrigente — quid enim post antegressam adseverationem *neque — non* corrigatur? — sed nimirum amplificante, pridem recte intellexerat Ernestius, nisi quod iniuria abiecerat pronomen *id*, quod verissimum esse in hac verborum complexione *valet et id (idque, atque id) plurimum* quis est qui nesciat? Confer quae diximus ad I, 82. — Iam ipsa sequitnr huius sententiae demonstratio dncta a particula *ergo*, quia redit ad id, quod contra Cyrenaicos iam §§. 52. 53 probaverat, in necopinatis ob id qnidem, qnod subita vel improvisa vel repentina essent, non omnem inesse aegritudinis cansam, sed plagam ex iis maiorem videri propterea, quod essent recentia: *Ergo* (also, um an das Gesagte wiedcranzuknüpfen) *ista necopinata non habent tantam vim, ut aegritudo ex iis omnis oriatur: feriunt enim fortasse gravius, non id efficiunt, ut ea quae accidant maiora videantur: quia recentia sunt, maiora videntur, non quia repentina* (sic Gud. m. sec.) Nam errorem

perstringit hominum ex falsa opinione snsceptum: repentina ipsa non id efficiunt re, nt maiora videantur, sed opinione hominum recentia et repentina permiscentium. Haec non repugnant vel iis, quae §. 52 proposuerat, vel illis, quae infra in eandem sententiam repetit §. 59. Hoc igitur posito tamquam fundamento argumentationis, quo ipso necopinatorum vis, qnam volebant esse Cyrenaici, valde extenuatur, pergit ea particula *(igitur)*, qna vulgo utuntur, cnm a propositione, quam vocant, ad rei ipsius explicationem transeunt, qua hoc loco Cicero iam ante videtur usurus fuisse, nisi orationem ex rebus iam demonstratis et confessis duci significare voluisset. Ipsius autem summa argumentationis eo redit, ut, quod dies vel natura ad aegritudinem ex inopinatis levandam valeat, idem valere doceat rationem, quae et humana esse, quae acciderint, et tolerabilia aliorum exemplis maerenti persuadeat.

25, 59. In Euripideo carmine ex Hypsipyla translato mendum mihi videtur residere in extremis versibus

Reddenda terrae est terra, tum vita omnibus
Metenda, ut fruges; sic iubet Necessitas.

Quid, quaeso, vult illud *tum?* An hanc alteram cansam esse putas, cur nequiquam mortis cogitatio humano generi angorem adferat? At *terrae terram reddere* non genere ipso ab *metenda vita* differt, sed aut vitae cum fruge similitudinem praeparat aut eandem moriendi necessitatem alia ratione ex natura terrae petita confirmat. Nec minus inepta est temporis significatio non ad communem moriendi necessitatem, sed ad causam, quae eius timorem levet, accommodata. Quare non dubito quin Cicero scripserit

Reddenda terrae est terra, tam vita omnibus
Metenda, ut fruges.

Tam — ut inter se relata in poeta qnidem non magis offendunt quam *aeque — ut, non secus — ut*, similia, de qnibns v. Diar. Schol. Darmstad. 1828 p. 608.

25, 60. *necessitas ferendae condicionis humanae quasi cum deo pugnare cohibet.* Wesenbergio Em. II p. 55 ex paucis codd. *prohibet* restituenti iure obsecuti snnt novissimi editores. Originem vitii demonstrat Regii scriptura *quohibet*, quo pertinet etiam quod modo antecessit *ex quo memoratione* (Reg.) vel *ex quo nemo ratione* (Gud.) pro *ex commemoratione.*

26, 63. *Itaque et Aeschines in Demosthenem invehitur, quod is septimo die post filiae mortem hostias immolavisset. At quam rhetorice, quam copiose! quas sententias colligit, quae verba contorquet!* Facere non possum qnin levitatis accusem quicunque hunc locum attigerunt contempta aut neglecta scriptura optimorum librorum *quam excopiose*, pro qua in deterioribns est *quam et copiose.* Cogitanti mihi qnam saepe inter se per-

mixtae essent *c* et *g* litterae quamque facile *p* cum *n* sic scripto ℩ permutari posset (*onus* pro *opus* v. III, 79 in Gud., *voluptatem* et *voluntatem* V, 20 ibid.), nihil visum est veri similius quam ortum esse *excopiose* ex *ingeniose*, ut hoc adverbium per chiasmum, quem vocant, ad *sententias collectas*, alterum illud *rhetorice* ad *verba contorta* referendum esset. Exempla superioris illius permutationis ex Gud. et Reg. haec habes: III, 21 *si haec referre* pro *si aegre ferre;* III, 38 *agriculus* pro *acriculus;* IV, 34 *cogitantur* pro *concitantur;* V, 7 et saepius *Lygurgum* pro *Lycurgum*, ut nihil dicam de *neclecta* pro *neglecta*, ut IV, 58. V, 6.

28, 69. *Quid? ex ceteris philosophis nonne optimus et gravissimus quisque confitetur multa se ignorare et multa sibi etiam atque etiam esse discenda?* Cui multa etiam atque etiam discenda sunt, is mihi obliviosus potius quam non satis perfectus sapiens videtur. Hoc igitur ne crederemus a Cicerone profectum esse tam ambiguis atque incommodis verbis, commode accidit, quod ab optimis libris non *multa*, sed *multi* proditum est, unde intellegas sic scriptum fuisse antiquitus *et multi sibi etiam atque etiam esse discendū*, quod nimirum accommodatum est ad Solonis illud γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος, ut prius illud ad Socratem. Bakius vitium odoratus ille quidem erat, sed violentius correxit eiectis verbis *atque etiam* sic: *et multa sibi etiam esse discenda.*

29, 71. In versibus Sophocleis verba *cum fortuna mutata impetum convertat*, quae temporis, non causae significationem habent, corrigenda esse concedent, quibus persuasum est de veritate eorum, quae Madvigius docuit vel de Fin. p. 690 sq. vel ad Lael. p. XIX sq. ed. Havn. 1835. Quod hoc loco recta, idem obliqua oratione dixit scriptor §. 73: *consolatores ipsos confiteri se miseros, cum ad eos impetum suum fortuna converterit.* De vitii genere v. Wesenb. Em. I p. 17 sq. ad III, 59: *Mortalis nemo est, quem non attingat dolor*, ubi qui *attingit* tuentur, graecismum inferunt ne a priscis quidem poetis Latinis admissum: nam longe diversa sunt, quae ex hoc genere attulit Fr. G. Holtzius Synt. Prisc. Script. Lat. II p. 117. — Verborum, quae secuntur: *Haec cum disputant, hoc student efficere, naturae obsisti nullo modo posse; ii tamen fatentur graviores aegritudines suscipi quam natura cogat* vitium, quod mirum sit, solus deprehendit Ernestius correxitque *iidem tamen*: nam hoc quidem certissimum est, hac dissolutione sententiarum in uno eodemque subiecto res inter se contrarias vel dicente vel faciente *is tamen* pro *idem tamen* dici non posse. Quamquam vereor ne operosior sit ille emendandi conatus multoque simplicius et apertius quod nos coniectura adsecuti sumus *et tamen:* nam *ei* id est *ii* et *et* inter se saepissime permutata esse constat. De vi particularum,

quarum propria sedes est in iis adinngendis, quae superioribus contraria sunt, v. Madv. de Fin. II, 85 p. 289.

29, 72. *existimant enim dis immortalibus se facilius satis facturos, si eorum plaga perculsi afflictos se et stratos esse fateantur.* Non dnbitavi ex deterioribns qnibusdam libris id verbum recipere, qnod cum more Ciceronis magis conveniret qnam simplex illnd *stratos* pro composito *prostratos: adflictum* enim *et fractum animum* saepins dixit, ut ad Attic. XII, 21, extr. et pro domo sua §. 97. Quod in Pithoeano extat *stractos*, unde nata sit vitiosa scriptura indicio est.

31, 76. *sunt qui abducant a malis ad bona, ut Epicurus.* Confer quae de hoc loco explicavimns ad I, 18. — Aeschyli versns ex Prom. 377 sqq. *Οὔκουν, Προμηθεῦ, τοῦτο γιγνώσκεις, ὅτι Ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι* pessime profecto interpretatus esset Cicero, si vertisset, ut est in Tnscul. libris, *mederi posse rationem iracundiae*, ut plane nescires, ntrum maerentis rationem an, nt par erat, consolantis diceret. H. Stephani emendationem *orationem* pro *rationem* scribentis et frequens utrinsqne vocabuli permutatio (v. ad I, 73) et exempla probant synaeresis a Lachmanno allata ad Lucr. p. 115 et 193. V. ad IV, 52.

32, 77. *Erit igitur in consolationibus prima medicina docere aut nullum malum esse aut admodum parvum; altera et de communi condicione vitae et proprie, si quid sit de ipsius, qui maereat, disputandum; tertia summam esse stultitiam frustra confici maerore.* Varia sunt ac mirabilia interpretum molimina, qnibus hunc facile corrnptissimum locum vel explicare vel emendare conati sunt. Velnt Fr. A. Wolfius cum loco gerundivi *disputandum* infinitivum *disputare* requireret, ad illnd defendendum *ἀνακολουθίας* rationem adhibuit, quam nemo intellegit qualis sit aut unde profecta sit; Ernestins autem offensionem, quae videbatur, ipsa causa offensionis, gerundivum dico, tollenda ita snstulit, ut novam eamque mnlto maiorem adferret: nam *de* praepositionem, etiamsi per grammaticam rationem possit ex *docendi* verbo suspensa esse, quod qnidem et antegresso et seqnente iterum accnsativo c. infinitivo vix credibile est, tamen eam sententia ipsa respuit ac repudiat: quid enim alind est *docere aliquem de communi condicione vitae* quam, id qnod ineptissimum est, *certiorem facere?* Neqne magis probanda est Tischeri ratio, qui putat ex antegresso verbo *docere* ad hoc enuntiatum andiri licere *dicere* vel *disputare,* quod, si qnando, profecto non aliter licet quam in enuntiatis secnndariis ac ne tum quidem mutata structura. Quae cum ita sint, cum qnod tertio loco positum est consolandi genus ex eodem verbo aptum sit, qno primum, alterum quoqne eadem verborum structura comprehensum esse paene necesse est. Itaque primum hoc intellego, addendum esse infinitivum *esse* omissum videlicet inter *vitae* et *et: altera et de*

communi condicione vitae ēē *et proprie*, scilicet *malum*, cuius notionem ex prima sententia ad hanc ultro transferimus; in qno *malum de communi condicione vitae* brevitate qnadam loquendi sic dictnm volumus pro *malum de malis, quae habet communis condicio vitae; proprie* antem *malum* recte dici einsmodi, qnod in nnius alicnius singulari casn versetur, non est qnod doceam. De omisso *esse* v. ad III, 47. Sed corrnptiora sunt qnae restant. Nam nec coninnctivus *sit* praecipiendi rationi couvenit a futuro (*erit*) dnctae neque ad geuetivum *ipsius* ex enuntiato generali audire licet *condicione*. His ductus rationibus satis luculentis persuasi mihi idem hoc loco accidisse, quod supra §. 73, ut *fortunae* vox fortasse obscuriore compendio scripta omitteretur, scriptumque fuisse *si quid erit de ipsius, qui maereat, fortuna disputandum*. Atque hoc profecto esse solacio, si quem doceas praecipna fortnna neqne ea tamen a commnni hominum condicione separata conflictari quis non expertus sciat? De *erit* et *sit* permixtis v. ad II, 30 (*sunt — erunt*).

ibid. *Et tamen non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso, quod esse summum malum Cleanthes ipse fateatur.* Egregie lapsus est Wesenb. Em. II p. 40 et qui eum sequitur Baiterus, cum praesens coniunctivi *fateatur* loco imperfecti *fateretur* vitiosum et vel in *fatetur* vel in *fatebatur* mntandum esse censuit. Quorum hoc extremnm, quod Baiterus amplexus est, dici nullo modo potuit: quis enim iu placitis aut dogmatis philosophornm, quae quidem disciplina ac litteris tradita sunt, imperfecto nsus est? Itaque *fatetur* praeferrem, nisi iustissimam causam esse intellegerem coniunctivi *fateatur*, in quo ipso inest Ciceronis reprehensio ex ipsius mente, non ex cogitatione Cleanthis (*vidit*) suspensa, Germanice sic vertenda: aus etwas, was doch nach Cleauthes' eigenem Geständniss das höchste, non, ut volebat Nissenius, das einzige Uebel ist: nam si turpitudinem Cleanthes solum malum dnxisset, cetera omnia mala esse atque ex iis aegritudinem suscipi recte negasset; nunc summum malum dixit turpitudinem aliaque scilicet minora, atque idem tamen unnm consolantis officium putat malum illud omnino non esse (v. §. 76): quae sententiae eiusmodi sunt, ut inter se pngnare videantur. Similis ratio est coniunctivi I, 37: *ut ea fieri apud inferos fingerent, quae sine corporibus nec fieri possent nec intellegi*, nisi quod suum iudicium scriptor praeterito tempori accommodavit.

33, 80. *Tu enim de sapiente quaesieras, cui aut malum videri nullum potest, quod vacet turpitudine, aut ita parvum malum, ut id obruatur sapientia vixque appareat; qui nihil opinione affingat* etqs. Admodum audaci, ne dicam temerario conatu Bakius quattuor coniunctivos ab libris optimis contestatos indicativis mutavit, quod in describendo sapiente eadem via, quam pri-

mum ingressus erat, pergendum scriptori esset. Non vidit igitur, quod in promptu erat, accommodatum esse hoc alterum relativum enuntiatum ad interposita verba *ut id obruatur sapientia vixque appareat*, ut quibus rebus cerneretur illa sapientia planius fieret; Germanice reddideris: indem er nichts hinzudichtet etc. Cfr. ad IV, 6.

34, 82. *sic philosophia quum universam aegritudinem sustulit, tamen si quis error aliunde extitit —; singularum rerum sunt propriae consolationes.* Haec nulla ratione inter se cohaerere atque et sententia et verborum structura corruptissima esse tam manifestum est, ut nemo facile inveniatur quin velit in facillima emendatione Keilii Lignitiensis acquiescere, praeter Bogenium (Progr. Neus. 1862 p. 16), qui sibi propiore si dis placet via ad verum videtur pervenisse sic scribendo *sic philosophia cum universa aegritudine sustulit illam, si quis error* etqs.: quod quidem dupliciter vitiosum est. Nam primum illud ipsum, quod recte Germanice dixeris *mit der Hypochondrie überhaupt (ist jede besondere Art derselben beseitigt)*, Latine non post nisi proprio enuntiato efferri (cfr. p. Deiot. 36: *omnia tu Deiotaro tribuisti, cum et ipsi et filio nomen regium concessisti.* de Nat. Deor. I, 4: *haud scio an pietate adversus deos sublata fides etiam tollatur* et similia); deinde, ut omissum *etiam* moleste ferimus, ita abesse malumus otiosum plane atque adeo, si verum quaerimus, falsum pronomen *illam*, quod articuli loco positum non minus abhorret a Latinorum more quam illud brevius dictum et quasi decurtatum *cum universa aegritudine.* In Keilii coniectura facile intellegitur, quomodo potuerit et antegresso *sustulit* particula *et* omitti et quod supererat *iam* in *tamen* mutari. V. Wesenb. Em. III p. 3 not.

34, 83. *Hoc detracto, quod totum est voluntarium, aegritudo erit sublata illa maerens; morsus tamen et contractiunculae quaedam animi relinquentur. Hanc dicant sane naturalem, dum aegritudinis nomen absit grave, taetrum, funestum.* Ineptissimi sunt, qui *hanc* pronomine aegritudinem ipsam declarari volunt, quasi sanus quisquam dixerit *hanc dicant sane naturalem aegritudinem, dum aegritudinis nomen absit:* quo quid potest esse absurdius? Quare hoc quidem recte vidit Bentleius corruptum esse numerum vocis, qualis est in optimis libris, *contractiunculae*, praesertim quem etiam alia sat gravis causa vitii coargueret: nam *contractiuncula* minuendi causa pro abstracto *contractio* positum (cfr. IV, 14: *aegritudo animi adversante ratione contractio)* pluralem vix admittit. Sed ne sic quidem sanatus locus est: nam si, ut Bentleius volt, scribitur *morsus et contractiuncula quaedam animi relinquetur,* quid tandem causae est, cur ad *contractiunculam* potius quam ad *morsum* pronomen insequentis enuntiati (*hanc*) referretur, cum utraque res et morsus

et contractiuncula naturalis sit expecteturque '*haec dicant sane naturalia?* Quid autem *morsus* sibi volunt, nisi quid sit quod mordeat aut unde morsus existant dicatur, velut alibi *morsus doloris* vel *curarum?* Id igitur, quod et ratio grammatica et res ac veritas flagitat, in archetypo putamus sic fuisse *morsus tantum ex contractiuncula quadam animi relinquentur* (nur einzelne vorübergehende Stiche in Folge einer gewissen Beklommenheit des Herzen werden bleiben. Diese mag man naturgemäss nennen etc.), quemadmodum Sen. Cons. ad Marc. c. 7: *Ex discessu, non solum amissione carissimorum necessarius morsus est.* Ac ne quid dubitationis relinquat nostra coniectura, v. IV, 15: *ut aegritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat;* adde illud, quod eandem confirmat atque commendat, in Gud. et Reg. (a pr. m.) exaratum esse *quadam*, non *quaedam*. De loquendi genere pariter ac de vitii fonte v. ad III, 8. *Tamen* cur in *tantum* corrigendum esset, satis superque verbo demonstratum est a Bentleio: v. ad II, 60; eundem de numero v. *morsus* errasse docet de Offic. II, 24.

LIBER IV.

1, 1. *Quum multis locis nostrorum hominum ingenia — soleo mirari, tum maxime in his studiis, quae — in hanc civitatem e Graecia transtulerunt. His* pronomen dumtaxat ita recte se haberet, si philosophiae, in quo genere ipsae Tusculanae versantur, studia demonstraret: quod non ita esse ex §. 5 intellegitur, in qua cetera studia poesis et eloquentiae a sapientiae studio aperte distinguuntur. Recte igitur Ernestio obsecuti sunt ex recentioribus Tischerus et Baiterus.

1, 2. *Erat enim illis paene in conspectu praestanti sapientia et nobilitate Pythagoras.* Utrumque et sapientia Pythagorae et nobilitas non illa quidem generis, sed famae ac nominis, egregie convenit cum iis, quae dixit Cicero I, 38: *Pythagoras tenuit magnam illam Graeciam cum honore disciplinae tum etiam auctoritate.* Atque hanc maxime nobilitatem id effecisse, ut ad illorum voces doctissimas Romani homines aures vellent adhibere, cum res ipsa facile persuadet, tum ea docent, quae explicandi causa ab ipso scriptore subiecta sunt. Igitur Madvigii coniectura *praestanti sapientiae nobilitate* neque a sententia quicquam habet adiumenti et a verborum ratione etiam magis repellitur: *praestans* enim cum idem sit quod *nobilis* vel *excellens,* ad virtutem vel laudem, qua quis floret, non ad ipsam excellentiae notionem accommodari licet. Itaque rectius saltem diceretur *praestantis sapientiae nobilitate,* quamquam ne id quidem vulgatae scripturae praeferendum duco.

2, 3. *Ex quo perspicuum est et cantus tum fuisse rescriptos vocum sonis et carmina. Rescriptos* qui tueri conabantur advocato Graecorum verbo ἀναγράφειν, eos, opinor, et Latini sermonis consuetudo et Wesenbergii de hac re disputatio Em. III p. 1 satis redarguit; ipse vir Danus auctore Lambino et I. Fr. Gronovio ad Liv. VII, 2 defendit *descriptos,* quod cum sic interpretatur *signatos vel notatos cantus ex vocum sonis,* neque rem ad percipiendum difficilem ulla apertiore descriptione inlustrat: nam *vocum sonos signatos,* non *cantus ex vocum sonis signatos* intellego quid sit; et iis ntitur exemplis, in quibus *describendi* vis longe alia est, non notandi vel signandi, sed digerendi vel disponendi, velut de Legg. III, 44: *descriptus populus*

censu, ordinibus, aetatibus, ceteris. Debebat igitur non *notatos* interpretari, sed *dispositos*, ut Tischerus vertit *nach den Tönen der Stimmen eingerichtete (d. h. componirte) Gesänge*, neque, ut nunc constat inter peritos, *descriptos*, sed *discriptos* scribere (v. Fra. Bücheler. Mus. Rhen. XIII p. 598 sqq.) Idque verum esse neque de sonorum signis potius quam harmonia recte cogitari ipse numerus pluralis *vocum* demonstrat, qui docet cantum illum ex compluribus diversi generis vocibus *pro rata portione*, ut ait Cic. in Somn. Scip. c. 5 de mundi harmonia, *distinctis* id est *discriptis* ita compositum fuisse, ut *acuta cum gravibus temperata varios aequabiliter concentus efficerent.* Quod num re vera illis priscis Romanorum temporibus ita fuerit, viderit ipse Cicero; nos quidem eius sententiam ac voluntatem ex eorum, quae dixit, ratione et modo recte videmur expressisse intellegimusque in errore nos fuisse, cum corrigendum censeremus *descriptis* id est signo quodam notatis et ut ita dicam deformatis *vocum sonis.*

2, 4. *Multa etiam sunt in nostris institutis ducta ab illis, quae praetereo, ne ea, quae repperisse ipsi putamur, aliunde didicisse videamur.* Ex vitiosa optimorum librorum scriptura *pperisse* utrum quod Davisius in editionem 2 receptum Ernestio et Tregdero probavit *repperisse*, an quod idem antea praetulerat *peperisse*, restituendum sit, difficile est diiudicatu. Ego ut Wopkensii (Lectt. Tull. p. 121 ed. Hand.) sententiae accedam moveor non solum locorum, quos ille attulit, similitudine (de Fin. III, 3. Orat. 114. de Nat. Deor. II, 74. ad Fam. IV, 13, 7. de Legg. II, 36, quibus adde de Offic. II, 8), sed etiam eiusdem vitii in scriptis libris frequentia: cfr. in Gud. et Reg. Tusc. I, 116 *propriora* pro *propiora*, in Gud. III, 57 *p̄eventurus* pro *perventurus*, in Pith. IV, 9 *pranderem* pro *panderem*, in Medic. ad Famil. *repertitos* pro *repetitos* (Orell. ed. 2 p. 47), *partefieri* pro *patefieri* (ibid. p. 98) alia.

3, 6. *Itaque illius verae elegantisque philosophiae — nulla fere sunt aut pauca admodum Latina monumenta, sive —, sive etiam quod imperitis ea probari posse non arbitrabantur; quum interim illis silentibus C. Amafinius extitit dicens, cuius libris editis commota multitudo contulit se ad eandem potissimum disciplinam, sive —, sive quod invitabantur illecebris blandae voluptatis.* Haec ne quis suspecta habeat aut vitii insimulet, quod primarii enuntiati verbo ac tempori *sunt* non respondeant verba *cum interim extitit*, quae eiusmodi videantur, ut *erant* expectetur, illud admoneo, quod interpretes neglexerunt, accommodatas esse temporis illas particulas verbo secundariae enuntiationis *arbitrabantur*, de quo genere loquendi v. Matth. de anacoluth. ap. Cic. p. 7 sqq. (Script. Var. p. 59 sqq.). Deinde autem ut hoc loco optimi codices *nulla fere ac pauca*, ita rursus iidem V, 114 *delectationem animi aut voluptatem* exhibent. — In verbis, quae

insecuntur, Gudianum secutus cum Baitero scripsi *ad eam potissimum philosophiam*, quod idem esse apparet atque *ad eius (Amafinii) potissimum phil.:* hoc enim pronomen, non *eandem*, ut ex Regii scriptura *eadem* vulgo edebatur, postulat adverbii *potissimum* ratio, quod cum dilectum significet ex multis compluribusve rebus factum, ad distinguendum necessario requirit eiusmodi pronomen, a quo absit aequalitatis notio. *Eadem* uti h. l. ortum est ex repetitione antecedentium litterarum (*s*)*e ad*, ita V, 61 ex geminatione sequentis sillabae *de* (*gustare*): cfr. Regii scripturam V, 18. — In *inlecebris blandis* ut acquiescamus, quamvis facilis sit coniectura *inlecebris blanditiisque* (v. de Fin. III, 1: *ne blanditiis eius* (*voluptatis*) *inlecebrisque impediatur disputandi severitas*), sed tamen adiectivum ut teneamus suadet et optimorum librorum auctoritas et ipsius nominis conlocatio satis arguta, quod non item dici potest de vulgato *blandae voluptatis*; ipsum autem dicendi genus non magis insolens est quam in illis, quae attuli ad Lael. VIII, 28 p. 191: *caritas benevola*, *concors amicitia* (de Univ. c. 5), *arrogans crudelitas* (ad Fam. V, 4, 2, a Lambino mutatum in *arrogantiam et crudelitatem*), *impudens audacia* (Ter. Heaut. II, 3, 72), alia.

3, 7. *quodque maximum argumentum est non dici illa subtiliter, quod et facile ediscantur et ab indoctis probentur, id illi firmamentum esse disciplinae putant.* Optimos libros, in quibus est *quod etiam facile ediscantur*, mala, ut videtur Orellio, coniectura emendaverat Davisius sic *quod et tam fac. edisc.*, pro qua ille meliorem, si dis placet, proposuit hanc *quod et iam fac. edisc.*, cum adderet ‚*ex quo semel ab Amafinio sunt prolata*', quasi vero ulla antea edisci potuerint, cum nulla essent. Orellium, ut solet, Moserus secutus est; Davisium primum sua laude ornavit Wesenb. Em. III p. 2, qui rectissime interpretatus est *tam facile, quam videmus:* v. nostra ad Lael. §. 13 p. 66. Quasi praeteriens erroris admonuerim Fr. Hofmannum, quod in ep. ad Attic. I, 19, 1 Poggii codicem secutus edidit *si tam breves epistolas vellem mittere, quod tu soles facere:* in hac tam expressa plenaque comparatione necesse est scribi *quam tu soles fac.; quod* autem (qđ) et *quam* (qã) difficillime inter se discerni itaque persaepe permixta esse, ut in Gud. Tusc. III, 44, constat. Exemplis *iam* vocis cum *tam* permutatae, quae multa attulit h. l. Wesenberg., testimonium adde Madvigii Em. Liv. p. 290.

4, 7. *nos institutum tenebimus, nullisque unius disciplinae legibus astricti — quid sit in quaque re maxime probabile, semper requiremus. — Itaque expositis tridui disputationibus quartus dies hoc libro concluditur.* Tribus hic locus vitiis liberandus fuit. Ac primum laboranti sententiae recte subvenit Bentlei manus, cum correxit *nullius unius disciplinae legibus:* nam *nullis*

unius, quod praebent optimi libri, ita dictum est, quasi nolit Cicero unius modo disciplinae, sed complurium aut omnium legibus astrictus esse, quod perversum esse nemo non intellegit. Dupliciter autem erravit Orellius, primum de vi ac significatione verborum *nullus unus*, quae vult idem valere quod *nullus omnino;* deinde quod, hac in sententia cum esset, tamen recepit Bentleianam illam correctionem, quasi Cicero se ab omnibus omnino legibus liberum ac solutum dixerit et non, ut ipse V, 82 profitetur, nullis vinculis ullius certae disciplinae impeditum. Itaque illud, quod Orellius volebat, dici debuit *nullisque ullius disciplinae legibus;* hoc autem, quod Cicero et debuit et voluit dicere, non potuit dicere nisi hoc modo *nullius unius discipl. legibus.* Nam *nullus unus* idem est quod nostrates dicunt *kein einzelner*, id quod plane intellegitur ex his locis: Brut. 216: *Itaque in Curione hoc verissume iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari quam verborum splendore et copia;* agitur enim de quinque oratoris partibus, quarum in quacumque una plane claudeat, orator esse non possit, sed tamen alius in alia magis excellat; de Rep. II, 65: *nullumque ex iis (civitatum generibus) unum esse optimum*, quod licet interpretari *per se solum;* Tusc. V, 105: *Nemo de nobis unus excellat;* Liv. II, 6, 3; *eos inter se, quia nemo unus satis dignus regno visus sit, partes regni rapuisse.* Contra est, cum invertuntur voces hoc modo *unus nullus*, velut de prov. cons. 7: *provincia — sic spoliata et nudata est, ut, nisi C. Virgilius intervenisset, unum signum Byzantii ex maximo numero nullum haberent;* similiter Graeci *ἓν οὐδέν*, de quo v. intp. ad Greg. Cor. p. 56 sq. — Sequitur deinceps, ut illud *requiremus* eiciatur: nam qui requirit, ex aliis cognoscere volt quod quaerit (cfr. infra §. 10 et de Nat. Deor. I, 10: *qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt)*, non ipse disputando invenire, qua in re proprie ponitur vel *exquirere*, ut II, 27: *quam (civitatem) finxit ille (Plato), cum optimos mores — exquireret*, de Fin. I, 11, vel *anquirere*, ut IV, 27: *cui nihil necesse sit nisi ubi sit illud, quod veri simillimum videatur, anquirere.* Nos quidem cum Gebhardo praetulimus *anquiremus*, quod rationi Academicae in utramque partem disputandi, qualem descripsit Cic. Acad. II, 7, optime videretur convenire. Scriptum erat sine dubio *āquiremus*, cui *r* littera adhaesit ex antegresso verbo *semper;* in nonnullis deterioribus libris invenitur *inquiremus* (cfr. III, 3). Postremo ne *concluditur* quidem sanum et incorruptum existimo, quod ita recte et proprie diceretur, si maior quaedam significaretur quasi silva ac materies rerum disputatarum, quam ut unius libri ambitu facilius comprehendi posset, quomodo Nep. Epam. c. 4 extr.: *Uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere constituimus.* Nunc liber quasi tabula quaedam est mar-

ginata, qua dies quartus, id est ea quae illo die acta sunt, tamquam pictura *includitur;* v. ad Lael. p. 306. Itaque hoc restitui, cum scirem nihil freqnentius esse permutatis *c* (*con*) et *i* (*in*) praepositionibus, velut in eadem voce de Univ. c. 3: *animum inclusit* (sic codd. apud Orell., editt. *conclusit*), Tusc. IV, 3 in Gud. et Reg. *constituta* pro *instituta.*

6, 13. *Nam quum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur.* Constanter hoc loco, nti par est, Cicero Stoicorum εὔλογον et ἄλογον ὄρεξιν sic distinguit, ut illam cum ratione animi motionem, hanc sine ratione appellet, unde apparet vitinm traxisse verba, qnae transscripsimns, quod quidem magnopere cavendum est ne cum Bentleio corrigamns sic scribendo *nam cum cum ratione animus movetur,* quem vocum sonum auribus veterum plane absurdum visum esse non nostro solum sensu indicamus, sed etiam eorum locorum anctoritate, quibus levi cum declinatione vitatum videmns, comprobare nobis videmur, nt de Orat. II, 240: *cum esset cum eo Tarracinae de amicula rixatus;* in Pison. in.: *Is cum Romam cum filio venisset;* de Div. I, 8: *cum essem cum Quinto fratre in Tusculano,* quo loco plura attulit O. Giesius. Longe diversa ratio est vocum interpunctione separatarum, velut ad Her. III, 1: *interea prima quaeque et nobiscum, cum voles, et interdum sine nobis legendo consequere.* Itaque hoc, qnod suus quemque sensus facile doceat, id aciem fugisse eius viri, cuius aures teretes soleant esse et religiosae, profecto mirandum est; unum praeterea novi, qui simili errore lapsus sit, Fr. Hofmannum, qni ep. ad Attic. XI, 6, 3 (Epist. Select. I p. 213) hanc proposuit coniecturam: *ut, cum cum his placeret modo propius accedere, ut hac de re considerarem;* hunc igitur consolari iam poterit tanti viri societas. Quod nos restituimus *nam cum ratione animus cum movetur,* vel maxime sustentatur simillimo exemplo III, 40, ubi in Gud. et Reg. scriptum est *animus rem condidit* pro *animus cum re concidit.* De ipsa conlocatione particulae v. Zumpt. Verr. p. 855. Tusc. I, 37. II, 27. V, 3.

6, 14. *Praesentis autem mali sapientis affectio nulla est. Stulti autem aegritudo est ea, qua afficiuntur in malis opinatis animosque demittunt et contrahunt rationi non obtemperantes. Metu* definito, quem ex malis opinatis *futuris* nasci cognovimus, ad *aegritudinem,* quae una ex quattuor perturbationibus restabat, ita transit scriptor, nt eam, qnoniam ex malis praesentibus oriatur, sapientis esse neget, stultorum dicat esse eaqne eos affici in malis *opinatis* animosque contrahere sine ratione. Ex qua descriptione sententiae primum hoc apparet, cum maximo eius incommodo inferri particulam *autem*: quis enim ferat *sapientis aegritudo nulla est, stulti autem est?,* quod admonet me similis vitii I, 20: *Xenocrates animi figuram negavit [esse, verum nu-*

merum dixit esse, aut illius, quod est huius libri §. 30 in Gud. a prima manu *quod animi valentes morbo tentari non possunt, corpora autem possunt.* Quare dubitare non licet, quin recte emendaverit Davisius et Halmius *stultorum aegritudo est,* praesertim quod plurali numero praedicati *adficiuntur* vel maxime commendetur. Quamquam qui potuit *stultorum* corrumpi in id, quod optimi libri habent *stulta autem?* Haec dubitatio cum per se magna sit, tum valde augetur antecedentis enuntiati forma, quam asperam vel, ut ipse loquitur, scabram iure appellat Bentleius reponitque dativum *sapienti,* qui quidem vereor ne a Ciceronis consuetudine non minus abhorreat. Haec reputanti mihi veri videbatur simillimum quod scripsi *Praesentibus* (*praesentib;*— sic *corporibus* pro *corporis* de Fin. III, 75 in Palatin. A. B.; *pravitatibus* pro *pravitatis* in Bruxell. Tusc. V, 78) *autem malis sapientis adfectio nulla est; stultorum tum* (*stultorūtum*) *aegritudo est*, quae quid velint explicare me non opus est; tantum adicio, pluralem *malis* nunc ob eorum, quae secuntur (*in malis opinatis*), convenientiam paene necessarium esse. Reliqua emendatiora dedit Bakius *eaque adficiuntur in malis opinatis.* Quod libri praebent *ea qua adficiuntur in malis opin.* hanc aegritudinem quasi singularem quandam ac propriam ab alia eiusdem generis forma, velut qua quis in veris malis adficeretur, id quod ineptissimum est, secerni iuberet. V. O. Hein. Progr. Posn. p. 11. In *que* et *quae* vel *qua* permiscendis sescenties peccatum est a librariis, velut, ut alia praeteream, in Gud. et Reg. *ea quae* pro *eaque* IV, 24. 31; *omnino quaeque* pro *omninoque quae* IV, 41; *et aeque* pro *et ea quae* V, 46; v. ad IV, 47.

7, 16. *voluptati (subiecta est) malevolentia* [*laetans malo alieno*]. Nihil eorum, quae adfert Wesenb. ad damnanda verba *laetans malo alieno,* quae etiam a Nonio contestata sunt, verum est. Neque enim ex III, 60 satis intellegitur, quid malevolentia sit voluptati subiecta: nam ibi ex universa verborum comprehensione, quae solacium ex commemoratione alienorum malorum ad malevolorum animos levandos accommodatum esse dicit, qui sint illi malevoli, per se sine ulla notatione perspicuum est; hoc autem loco sic nudam malevolentiam quis intellegat? quam nemo est profecto quin libidini potius quam voluptati subiectam expectet. Igitur ne definitio quidem haec est, ut volt Wesenb., sed rei, in qua certo et proprio nomine careret lingua, circumlocutio. *Mala mentis gaudia* appellavit Vergil. Aen. VI, 279.

8, 19. Quam adieci *pudoris* definitionem, ea et ad verbum respondet definitioni Zenonis Graecae ap. Diog. Laert. VII, 111 *αἰσχύνη φόβος ἀδοξίας* et quomodo omitti potuerit, cum librarii oculus a voce *laboris* ad similiter desinens *dedecoris* aberraret, facillime demonstrat. Nam *dedecus* Stoicorum secutus rationem honestati fere opponit Cicero, ut de Legg. I, 55, Tusc. II, 14.

Wesenbergius Em. III p. 3 quod participium expectat, quale est *terrori* additum, unde ruboris causa patefiat, velut *calefacientem*, aut quid dedecoris sensus suapte sponte efficiat oblitus videtur aut ea, quae de pudoris effectu dicta sunt, tantummodo comparandi causa adscita esse parum intellexit.

ibid. *ex quo illud Ennius: Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat.* Quid tandem moverit criticos, ut optimos libros desererent, vix ac ne vix quidem perspicio, qui sciam et rectissime dictum esse *ex quo illud Ennius*, quamvis potuerit alio modo dici, et meminerim similium locorum Cat. m. §. 25: *Melius Caecilius de sene, alteri saeculo prospiciente, quam illud idem ‚Edepol senectus‘* etqs. et de Offic. III, 63: *ex quo Ennius ‚nequiquam sapere qui ipse sibi prodesse non quiret.‘*

9, 21. *Quae autem libidini subiecta sunt, ea sic definiuntur.* Hoc quoque loco defendendam putavi, quam praeter Tregderum plerique neglexerunt, optimorum codicum auctoritatem *definiuntur.* Etenim quamvis proclivis error sit in modis verbi eiusque exempla etiam in his optimis libris permulta inveniantur (cfr. Wesenb. Em. II p. 56 not.), tamen nulla necessitate coactum aspernari ac repellere testimonii fidem levitatis est. Quid? quod hanc varietatem loquendi per se non inprobabilem etiam exemplo confirmare tali possumus, in quod criticorum manus nullae facile invadant: §. 27 bis autegresso activo *definiunt* secuntur haec: *Offensionum autem definitiones sunt eiusmodi, ut — insita, similiterque definitur et mulierum odium — et generis humani.*

ibid. *discordia ira acerbior intimo † odio et corde concepta.* Hanc scripturam Gudiani et Regii qui defendere conaretur unus repertus est Re. Klotzius, quem quidem satis redarguit Wesenb. Em. III p. 4 sq. Quod ipse ille Danus et sibi et Baitero probavit a Lambino primum inventum *intimo animo et corde concepta*, in quo notationem cum definitione coniunctam esse existimat, id neque ab emendandi probabilitate satis commendatur et quandam nimiam scriptoris curiositatem praefert, quasi verendum sit, ne quis aut unde ductum sit *discordia* aut quid cor ipsum sit ignoret. Itaque proxime a vero afuisse arbitror C. Foertschium Quaest. Tull. II p. 17 transponentem verba sic *ira acerbior odio et intimo corde concepta*, in quo nihil iam offendit nisi *et* illud, quo sententiam corrumpi intellego: nihil enim novi attributi in his verbis inest *intimo corde concepta*, sed causa potius, quae faciat, ut discordia acerbior odio sit. In archetypo igitur sic videtur scriptum fuisse *ira acerbior odio, intimo corde concepta,* quod cum obscurius videretur librario, cum utriusque ablativi et rationem eandem esse et *intimo* adiectivum commune putaret, verba scilicet transposuit, particulam *et* adiecit, quae quidem

ante *c* tam facile adici quam omitti potuit, ut est omissa in Monac. 1 (*intimo odio corde concepta*). Transpositionis ratio non dissimilis est illi, quod habent optimi libri III, 67: *non rem ipsam atque causam fontem esse maeroris* pro *rem ipsam causam atque fontem esse maer.* Alia eiusdem modi attulit Wesenb. Em. I p. 20; v. ad III, 46.

10, 24. *Intelligatur — in motu esse semper; quum autem hic fervor — inveteraverit et tanquam in venis — insederit, tum existit et morbus et aegrotatio.* Nihil tam repugnans est rectae rationi, quam quod sibi persuaserunt interpretes Ciceronem post protasim ex verbo *intellegatur* suspensam (*cum inveteraverit et insederit*) nulla re interruptum verborum cursum subito mutasse atque apodosim in rectam orationem convertisse (*existit*). Non viderunt religiosi homines, quod neminem fugit mediocriter versatum in scriptis libris tractandis, nulla in hac causa ne optimos quidem libros auctoritate esse tamque facile inter se permutari indicativum (*it*) et coniunctivum (*ĭt* id est *erit*), quam activum (*it*) et passivum (*ıī* id est *itur*). De illo vitii genere v. Wesenb. Em. II p. 38 ad Tusc. II, 1: *nec qui pauca perceperit*, et Madv. Em. Liv. p. 181 n. 1, eodemque revocanda sunt *dubitaȓt* (*dubitarunt*) pro *dubitant* Tusc. II, 49; *caecetur* pro *caecātur* (*caecaretur*) Wesenb. ibid. p. 38. Itaque hoc loco, qui in re consueta ac fieri solita versatur, hoc unum recte se habet: *cum autem — inveteravit et — insedit, tum existit;* illud, quod quis suspicari possit: *cum inveteraverit et — insederit, tum existet*, non item. Confer, ne alia adferam, IV, 51: *Haec cum constituta sunt* (*sint* GR) *iudicio, tum est robusta illa et stabilis fortitudo*, et quae infra secuntur: *cum est concupita pecunia nec adhibita continuo ratio —, quae sanet eam cupiditatem, permanat in venas illud malum*, in quibus ipsis cum imperfecto *sanaret* contra temporum rationem misere peccatum esse intellexisset Bentleius idque confirmatum iudicium esset auctoritate Madvigii Gramm. Lat. §. 383 n. 3. (ed. 3), tamen eius discipulus Wesenbergius (Em. II p. 38 not.), ut *sanaret* tueretur, alia omnia magistri praecepta ab huius loci ratione alienissima citare maluit, quam levi mutatione vitium foedissimum tollere. Multo distat ratio Tusc. V, 39: *hic si est excultus et si eius acies ita curata est, ut ne caecaretur erroribus, fit perfecta mens:* nam *excultus* et *curata* vera, ut ita dicam, perfecta sunt, conlecta ex multis antegressis excolendi curandique momentis, ex quibus recte consilium (*ut ne*) et proprio Romanorum more suspensum est.

12, 27. *ut sunt alii ad alios morbos procliviores* (*itaque dicimus gravedinosos quosdam —, non quia iam sint, sed quia saepe sint*), *sic alii ad metum, alii ad aliam perturbationem.* Wesenbergium, quod Em. II p. 22 Manucii coniecturam codice

non contemnendo Gryphiano firmatam secutus sit, et alii et ego laudandum censeo: *sint* enim, quod est in optimis libris omisso *sic*, natum esse ex ipso *sic* pro sīt habito quis non largiatur? Sed idem tamen vir indicium suum falsissima fulsit ratione, cum *sint* coniunctivum negaret ne ferri quidem posse, sed dicendum fuisse *non quia iam sint, sed quia saepe sunt;* qua in re dupliciter erravit: neque enim, si indicativo opus esset, *sunt* in hac falsae causae et verae relatione omitti potuit: nam longe diversi generis est syllepsis eiusmodi *quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam*, de qua v. Madv. de Fin. p. 378; nec vero quicquam obstat quominus adfirmans enuntiatum (*quia semper sint*) pari modo ad dicentium cogitationem referamus atque ipsum illud negans (*non quia iam sint*), quod si non ita voluisset Cicero, non magno sententiae discrimine dixisset *non quia iam sunt, sed quia semper sunt*, quemadmodum locutus est de Republ. I, 30: *Aelius Sextus egregie cordatus et catus fuit et ab Ennio dictus est, non quod ea quaerebat, quae nusquam inveniret, sed quod ea respondebat* etqs. (v. Krüger. Gr. Lat. §. 638 n. 2). Nunc igitur maluit oblique loqui omisitque repetitionem verbi *sint* ut III, 55 verbi *sunt*: *non quia recentia sunt, sed quia repentina.* Quamobrem ne infra quidem §. 28 in verbis *quia proclives ad eas perturbationes, non quia semper feruntur* modus verbi contra optimos libros mutandus est: poterat scriptor uti·ille quidem coniunctivo, sed ita, ut et ex dicentium mente aptus esset et ad veram causam simul pertineret. Cfr. II, 9: *Itaque mihi semper Peripateticorum — ratio — non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset —, sed etiam quod esset —.* Nam hoc, quoniam tetigi locum, statim adicio, vehementer errari ab iis, qui *proclives* volunt esse praedicati loco pro *proclives sunt*, quod contra morem Ciceronis esse demonstravimus ad I, 86. Itaque facile ego non deteriorum librorum scripturam *proclives sunt*, at Bentlei amplecterer coniecturam *proclive*, praesertim quod contrario adverbio *semper* unum commodissime videatur respondere, nisi hanc adverbii formam, id quod optimus quisque liber testatur, prae altera *proclivi* sprevisset Cicero: v. Madv. de Fin. p. 766. Quamobrem *prolivius* (*proclivi'*) praetuli, cuius exempla praebui ad Lael. p. 278. Nam, ne quis *praeceps feror* adferat, cuius similitudine *proclivis feror* tueri velit, *praeceps* adiectivum ipsius corporis habitum significat; *proclivis* quidem non magis id declarat quam *sublimis*, quod pro adverbio a poetis et Livio eiusque imitatoribus poni coeptum est.

13, 29. *Non enim omne vitium pares habet † dissentientis, ut eorum qui non longe a sapientia absunt, affectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens, sed non distorta nec prava.* Cum corporis vitium antea sic sit definitum,

cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas, animi autem vitiositas ita: *habitus aut adfectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens,* facile intellegitur corruptam esse et iis, quae modo exposita sunt, coutrariam scripturam Gudiaui et Regii *non omne vitium partis habet dissentientes* verissimeque a Beutleio correctum esse *paris dissensiones.* Senteutiae ita inter se cohaereut, ut *enim* particula causam adferat, cur in altera leviore corruptione opiniouum inconstantia saltem et repugnantia efficiatur, neque vero talis semper, ex qua deformitas aut pravitas consequatur. Haec ut explicarem Tischeri me movit si minus deformis, at prava et certe vitiosa interpretatio. De vitii genere v. ad IV, 4. III, 30 et ad I, 68; adde I, 73 in Gud. et Reg. *revertens* pro *reverens.*

13, 30. *Sunt enim in corpore praecipua pulchritudo, vires, valetudo, firmitas, velocitas; sunt item in animo.* In praecipuis corporis semper, ut par est, primo loco nominatur *valetudo* (aut, si quaudo commemorata est, *integritas sensuum*), ut factum videmus iis locis, quos attulit Weseuberg. (de Fin. V, 80. IV, 49. Acad. Post. I, 19; adde Tusc. V, 30. 45.); sed iisdem illis locis simul hoc probatur, *vires* a *valetudine* uumquam separari, ut ob id ipsum valde suspectus videatur quem ille proposuit bonorum ordinem: *valetudo, pulchritudo, vires, firmitas, velocitas.* Huc accedit, quod idem nulla iusta causa, sed plaue arbitratu suo atque adeo contra scriptoris voluntatem *firmitatem* cum coguato *virium* nomine (§. 31: *viribus corporis et nervis et efficacitati*) couiungit, quam opiniouem et ipsa *efficacitatis* uotio a *firmitate* prorsus disiuncta et, quod etiam maius est, definitio, quae sequitur, *pulchritudinis* redarguit: *quaedam apta figura membrorum,* cui iu animo respondet *opinionum iudiciorumque aequabilitas et constantia cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens.* Rectius igitur dixeris firmitatem cum pulchritudine iunctam ordincmque verborum hunc esse debere: *valetudo vires, pulchritudo firmitas, velocitas.* Quare sic malo statuere, librarium deceptis vocum similitudiue auribus earum ordinem transcribeudo temere mutasse, ut *bonorum* et *malorum* ordo inversus est IV, 65 in Gud., ut *cognovit nomen* pro *cognomen invenit* scriptum in Gud. et Reg. IV, 49. Nam illud quidem nullius momeuti est, quod propositam rerum euumerationem non eodem ordine, quo instituerat scriptor, persecutus est: v. Schol. Lat. I, §. 3 extr.

ibid. *Est autem quaedam animi sanitas, quae in insipientem etiam cadat, quum curatione et purgatione medicorum conturbatio mentis aufertur.* Auimum insipieutis uou sanum esse demonstratum est III, 8 sqq.: iu *insipientem* igitur si caderet sanitatis animi uotio, nou posset aliter, quam si mens eius

ex corporis morbo vitium traxisset, unde furor ac deliratio (conturbationem mentis vocat Cicero) nasceretur, idque medici curatione ablatum esset: atque eiusmodi homines sana mente esse vulgo dici notum est. Quod si dixisset Cicero: *est — quaedam animi sanitas, quae in insipientem etiam cadat, cum curatione — medicorum conturbatio mentis ablata est*, nihil esset quod offenderet; nunc ipsum praesens tempus *aufertur* plane ostendit de quodam animi, ut ita dicam, statu agi, qui medicorum curatione auferri soleat; is autem non in sanitate insipientis versari potest, quae si esset, curatione medicorum non esset auferenda, sed in *insanitate sapientis*, id est in *furore*, quem in sapientem cadere posse quasi praeteriens dixerat Cic. III, 11 confirmatque Diog. Laert. apud Mos. T. II p. 328, qui in descriptione Stoici sapientis cum dixisset eum non insaniturum, addit *προσπεσεῖσθαι μέντοι αὐτῷ φαντασίας ἀλλοκότους διὰ μελαγχολίαν ἢ λήρησιν, οὐ κατὰ τὸν τῶν αἱρετῶν λόγον, ἀλλὰ παρὰ φύσιν.* Quae cum ita sint, ut primum visa est Lambino, sic mihi quoque videtur valde probabilis atque adeo plane certa emendatio Adriani Turnebi haec: *Est autem quaedam animi insanitas, quae in sapientem etiam cadat, cum curatione — medicorum conturbatio mentis aufertur.* Huius autem morbi cum *atra bilis* causa soleat esse, nihil video quod magis ad rem appositum sit quam Lambini remedium, quo ipso corruptum a librariis medicorum remedium sanavit: *et purgatione,* quod nescio quo sensu ductus O. Heinius Progr. Posn. p. 11 non admodum elegans dixit. Videlicet elegantiam medicamenti magno opere curant medici. Quod in optimis libris invenitur *perturbatione*, natum videlicet est ex *purbatione* eique *t* littera addita, ut iis, quae III, 29 commemoravimus.

13, 31. *Itemque viribus corporis et nervis et efficacitati similes similibus quoque verbis animi vires nominantur.* Rationis dicendi, quod quidem ad Ciceronem attineat, plane ignaros esse, qui *similibusque* tueantur, in quibus etiam novissime Re. Klotzius, idque vel *et quidem similibus* interpretantur vel *similibus quoque*, hodie nemo est paulo peritior quin sciat: illud postularet, ut antecedens enuntiatum plenum esset atque integrum (*similes sunt:* v. ad III, 27. I, 86); hoc autem neque omnino verum est et, si quando ita esse videtur, in novae sententiae initio atque in transitu ad partem argumentationis narrationisve usu venit (cfr. Madv. de Fin. III, 73 p. 476 et Nägelsb. de arte Lat. scribendi p. 536 ed. 2). Rectissime igitur Manneius quod est in Cod. Mon. 1 *quoque* restituit. ut omnes, quod sciam, editores contra optimos libros de Legg. II, 11 *adsentior, ut, quod est rectum, verum quoque sit.*

14, 31. *Illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo tentari (non possunt, corpora) possunt, sed corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum*

non item, quorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt. Longissime a vero aberrarunt Bentleius et qui eum secutus idemque etiam longius progressus est Madvigius. Quid enim? valentes animos, qui quidem certe iidem sunt ac sani id est nullo motu perturbati (cfr. III, 11) iique solius sapientis proprii (cfr. IV, 30), eo morbo — sic enim illi cogunt — adfici putamus, qui ex aspernatione rationis eveniat? Qui quidem si quando adficiuntur morbo, ut possunt adfici, eum non ex iudiciorum opinionumque discordia, ut insipientes, trahunt (οὐ κατὰ τὸν τῶν αἱρετῶν λόγον), sed ex mala adfectione corporis, in quo atra bilis abundat (διὰ μελαγχολίαν παρὰ τὴν φύσιν), ut supra vidimus ad IV, 30. Quamobrem rectissime se habet, quòd est ab optimis libris contestatum *animi valentes morbō tentari non possunt, corpora possunt;* idque verum esse etiam inde efficitur, quod *morbi* vim, nisi insanire ipsum Ciceronem volumus, in utroque enuntiato eandem esse neque modo de animi, modo de corporis morbo intellegi necesse est. At huic rationi quam maxime repugnat correctionis particula *sed,* quae si locum haberet, nova dissimilitudo deberet ad eosdem animos *valentes,* non ad *quosvis* animos pertinere. Quod ita verum est, ut minimo auxilio laboranti veritati subveniendum putemus scribamusque *et corporum offensiones sine culpa accidere possunt* ctqs. De *et* et *sed* permutatis v. ad I, 82.

14, 32. *Nec vero in omnem morbum ac perturbationem animus ingeniosi cadit; non enim in ulla efferata et inmania; quaedam autem humanitatis quoque habent primam speciem.* Praetuli faciliorem, ut mihi videbatur, Bentlei coniecturam: *multa* et *ulla,* cum non talis causa subesset, qualis hoc loco, permixta esse videmus in Gud. et Reg. III, 46. Madvigii emendatio, quamquam verborum complexionem quodam modo concinniorem reddit, tamen neque ad sententiam perfectior est quam illa altera: illic enim ad vv. *sunt multa ecferata et inmania* audiendum est *in quae non cadit,* hic ad vv. *quaedam autem* contrarium *in quae cadit;* neque vero ex *sunt* sive plene sive per compendium (s̃ vel s̃t vel sūt) scripto quomodo oriri potuerit *non* vel n̄ apertius demonstrat.

14, 33. *quoniam tamquam ex scrupulosis cotibus enavigavit oratio.* Nihil admodum causae est, cur cum Lambino et Bentleio *scrupulosis* mutemus in *scruposis:* et *scrupum* et *scrupulum* nullo fere sententiae discrimine, nisi quod in deminutivo sit, proprie saxum acutum et asperum, translate offensionem quandam pungentem appellari testatur de Rep. III, 26: *improbis semper aliqui scrupus in animis haeret,* quem eundem alibi *scrupulum* vocari compertum est. Qui vero *scopulosis cotibus* vel *scopulosis locis et cotibus* maluerunt, dupliciter errarunt; neque enim viderunt ita bis dici eandem rem nec tamen id dici,

quod maxime fuerit dicendum, cotes admodnm acutas esse: haec enim suptiliter a Stoicis disputata, nisi enavigandi imago alio eum vocasset, certe Cicero *spinosiora* dixisset: quae ipsa, cum in rebus minutis versarentur, cotibus comparavit non *scruposis*, sed *scrupulosis*.

15, 35. *Quae (libido) si quando adepta erit id, quod ei fuerit concupitum, tum fertur alacritate, ut nihil ei constet, quod agat. Adepta erit,* quod est in margine Lamb. 1584 pro *eademptaretur*, si verum est, in apodosi *fertur* praesens ferri non posse atque in eius locnm futurum *feretur* substituendum esse nemo profecto est quin concedat Wesenbergio Em. III p. 7; *fertur* quidem perfecto conveniret *adepta est*, quod ipsum extat in veteribus quibusdam editt. nec tamen eiusmodi est, quod praeferamus, quia et longius recedit ab illa optimorum codd. scriptura *eademptaretur* nec recte adinnctum haberet coniunctivo modo *quod ei fuerit concupitum*. Quamobrem et *fuerit*, quod ab omnibus fere libris proditnm est, et probabiliorem Lambini emendationem *adepta erit* adsciscenda putavimus, hac una re a Wesenbergii iudicio dissentientes, quod in simplici *feretur* qnicquam vitii inesse contra ipsnm et Bentleium negamus. Neque enim video quid obstet, quominus cursns imaginem cogitemns, in quo impotentia ista incitata alacritate ita feratur, ut numquam sibi constet atque de curriculo iam iamque deflectat. *Ecferri* qnidem, quod est cursu extra terminos provehi, alacritas vel laetitia gestiens vulgo dicitur nulla re vel verbo addito; nunc, cum nihil ei constet quod agat, in cursu esse id est ferri libido putanda est (*ecfrenate ferri* dixerat III, 11) atque, antequam quicquam constare possit, ablata cursu alio avolasse. Hoc igitur teneo verbum, etsi scio infra V, 37 in Gud. et Reg. inveniri *ad ferendum* pro *ad ecferendum*. Passivum cum activo permixtum (v. ad IV, 24) in his libris praebent Gnd. et Reg. I, 75 *liberetur* pro *liberet;* II, 51 *suscitabitur* pro *suscitabit;* III, 69 *quaerebat* pro *querebatur;* 64 *declaratur* pro *declarat*; IV, 48 *quaeruntur* pro *quaerunt;* 74 *ostendat* pro *ostendatur;* V, 17 *ecferunt* pro *ecferuntur;* 69 *sustineant* pro *sustineantur;* 119 *observant* pro *obruantur.*

17, 39. *Qui si error stultis extenuetur die —, sapientes ne attingat quidem omnino.* Erravit cum Bakio Tischerus, qnod indicativo *extenuatur* opus esse putavit neque intellexit esse haec non Ciceronis, sed rationis, quam ille praecipientem induxerat, verba eaque eodem modo explicanda, quo Lael. X, 35: *Magna etiam discidia — nasci* (Scipionis oratio est), *cum aliquid ab amicis quod rectum non esset postularetur, — quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, ius tamen amicitiae deserere arguerentur ab iis quibus obsequi nollent*, in quo enarrando olim lapsum me esse ingenne confiteor. Ceterum necessario scribendum contendo contra Baiterum *cum res eaedem* (Gud. et Reg.

eadem) maneant: etenim insipientes aliter ferunt inveterata, aliter recentia, res id est ferendi modus non idem manet, manent ea, quae ferunt. Longe alia ratio est loci, quem ille attulit, III, 31.

19, 44. *Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat, Miltiadis tropaeis se e somno suscitari.* Doederlinus ,In his verbis' inquit, ,demiror et coniunctivum *posset* et magis etiam universae enuntiationis sedem; neque enim Ciceronis erat hoc loco causam et rationem reddere nocturnae ambulationis, sed id negotium responso Themistocleo reservare integrum. Quamobrem scribe: *Themistocles quaerentibusque respondebat: quod somnum capere non posset; Miltiadis* cet.' Quae hactenus vera sunt, quod coniunctivus ille *posset* ex *quod* suspensus id ipsum ex parte occupat, quod responso Themistoclis relinquendum erat. Sed causam ambulationis nocturnae universe significare quidni licuerit scriptori? Quare non transponenda verba in illum modum, id quod iure reprobatum est a Baitero, sed corrigenda putamus: *cum somnum capere non posset.* De *quod* et *cum (quom)* permutatis v. Ad. Kiessl. Mus. Rhen. XVI, 1 p. 57.

20, 46. *Reliquas quoque partes aegritudinis utiles esse dicunt; misericordiam ad opem ferendam et hominum indignorum calamitates sublevandas.* Haec ut incorrupta esse demonstrent adferunt interpretes Hor. Serm. II, 2, 103: *Cur eget indignus quisquam, te divite?* Ovid. Met. I, 631: *indigno circumdat vincula collo,* alia (v. Mos.), in quibus ipsum praedicatum enuntiati tale est quod malum aliquod describat, non, ut hoc loco, commoditatem opportunitatemve. An tu putas opem ferri nullam posse ad calamitates eorum, qui sublevatione indigni sint, sublevandas? hoc autem quo alio modo expresseris quam illo *ad calamitates hominum indignorum sublevandas?* Quare futilem esse apparet vulgatam scripturam unaque litterula resecta ex optimis libris restituendum *et calamitates hominum indignorum calamitate sublevandas.* Videlicet *calamitates,* quod est in Gud. et Reg., ex repetitione temeraria natum esse, quam vitium ex sequenti *s* (ublevandas) traxisse, ut IV, 37 *animos* ante *sic* pro *animo*, 45 *adficisse* pro *adfici se*, V, 58 *convenisset* pro *convenis et*, III, 81 *eos sublato* corr. in *eo sublato*, sescentis aliis locis, probabilius visum est. Non dissimile est, quod ad numeri mutationem attinet, IV, 56: *non enim suscipere ipsi aegritudines propter alios debemus, sed alios, si possumus, levare aegritudine.*

21, 47. *Quid est igitur, quod occurrat in hac quaestione, quo possit attingi aliquid veri simile?* Veri, ut mihi videtur, simillimum is attigit, qui optimorum codd. scripturam *aequa* secutus *e quo* maluit quam simplex *quo* scribere. Ipsum enim *attingendi* verbum ductum a cursu maritimo definitionem Zenonis

6*

tamquam locum intellegi vult, e quo egressa disputatio ad id, quod velit (veri simile), pervenire possit. De vitii genere v. ad IV, 14; *aequa* pro *aequo* scriptum propter antegressum vocabulum *quaestione;* v. ad I, 37.

21, 48. *Pacideianus* scripsi, quod ita et Mediceus prodidit Epp. ad Qu. Fr. III, 4, 2 Noniusque Merceri et versu Horatii confirmatur Serm. II, 7, 97; *Pacidianus*, ut hoc loco Gud. et Reg., sic de opt. gen. orat. 17 habet Sangallensis. In Lucilii versibus quamvis arrideat Tischeri coniectura *in os prius accipiam ipse, Quam gladium in stomacho furi ac pulmonibus sisto,* quippe quae a librorum memoria *suria* (vel *furia*) proxime absit, tamen hoc convitium vereor ne in quemlibet alium servum magis videatur cadere quam in gladiatorem. Quod quoniam eiusmodi vox ad causam odii explanandam requiritur, ab ipso Lucilio sumpsi, qua alio loco in Aesernino — nam is h. l. describitur — usus est, *spurci.* Dixerat poeta, ut est ap. Non. v. *componere* p. 237 et v. *spurcum* p. 393: *Aeserninu' fuit Flaccorum* (an *a?*) *munere quidam Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque: Cum Pacideiano componitur, optimu' multo Post homines natos gladiator qui fuit unus.* Idem nomen Damae libertino tribuit Horatius Serm. II, 5, 18: *Utne tegam spurco Damae latus?*

23, 52. *Semper Aiax fortis, fortissimus tamen in furore:*
Nam facinus fecit maximum, quum Danais inclinantibus
Summam rem † perficit manus, proelium restituit insaniens.

Versus ex Pacuvii, ut videtur, Aiace sic restituit G. Hermannus:

— facinus fecit maximum, cum Danais inclinantibus
Summam rem perfecit, manu sua restituit proelium
Insaniens.,

quem secuti sunt O. Ribbeckius et Baiterus. Nihil dico de numeris, qui ictus insuavioris repetitione displicent: tautologia ipsa, quam reliquit haec emendatio, intolerabilis est. An *facinus facere maximum* et *summam rem perficere* ulla minima ex parte inter se differunt? Quo nomine etiam Bentlei coniectura reprehendenda est

Summam rem perfecit manu, rem restituit insaniens;

etsi, quale fuerit illud facinus maximum, extrema versus parte recte significat. Huius igitur partis sententiam in priorem partem transferendo sic scribimus

Summam refecit rem, manu restituit proelium insaniens.

Summam rem, ut vulgo, salutem universae reipublicae dixit: cfr. interp. ad Verg. Aen. II, 323: *Quo res summa loco, Panthu?* quam in sententiam Cicero *summam rempublicam:* v. Ern. Clav. Cic. s. v. *summus.* Heinr. p. Tull. p. 69. Zumpt. ad Verr.

p. 264. De re, in qua prorsns erravit Bentleius, v. Il. XV, 415 sqq., Soph. Ai. 1273 sqq. *Proelium* vocem in duas, nt ait, Bentleius, sillabas coarctatam contra illius indicinm defendent exempla, quae memoravi ad III, 76. Vitinm inde ortum videtur, quod *re* sillaba verbi *refecit* pro *rem* habita, deinde *fecit* in *perfecit* mutatum est. Ab allitteratione, qnam vocant, cuius perstudiosos fuisse veteres Romanornm poetas constat, non mediocrem nostrae coniecturae commendationem accedere non est quod dicam.

26, 56. *At etiam aemulari utile est, obtrectare, misereri. Cur misereare potius quam feras opem, si id facere possis?* Quae adhuc dixerat Cicero, in ceteris animi perturbationibus, quas utiles esse aiebant Peripatetici, refellendis versata erant; nunc quo iure aut qua ratione opponi sibi fingit illa *At etiam aemulari utile est?* Vitium, quod inest in *etiam* particula, ut recte perspexit Bakius, ita pessime correxit *at tamen aemulari utile est*, oblitus aut ignarus eorum, qnae Madv. docet de Fin. p. 289 et 429, uno modo recte dici *at tamen*, ubi *at* in descensu ad minus post *si, si non, etsi* posito snpperaddatnr *tamen*, interposito vocabulo. Debebat igitur *At enim* scribi: v. ad III, 41; infra IV, 76.

26, 57. *Sunt enim omnia ex errorum orta radicibus, quae evellenda et extrahenda penitus, non circumcidenda nec amputanda sunt.* Audaci, ut solet, conatu Bakins relativum enuntiatum ad *radices* referri et usqueqnaqne femininum genns restitui voluit, quem erroris convinceut ea, quae vel Stürenburgins scripsit de usu pronominis relativi p. Arch. IV, 8 p. 60 vel nos ad Lael. p. 506. Germanice verteris: ‚Alle diese Ansichten haben ihre Wurzeln in falschen Vorstellungen, und man muss sie deshalb (die Ansichten) völlig ans der Seele zu reissen, nicht zn vermindern oder zu beschneiden suchen.'

27, 58. *corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in iis ipsis est.* Rectissime dictum esse quod Bakius postulat: *animorum salus inclusa in ipsis est* non nego; idem tamen summo, nt videor, iure defendo optimorum librornm scripturam *in his ipsis:* neque enim animorum adiumenta adiumentis corporum, sed ipsi animi, de qnibns cum maxime agitur itaque *hi* vocantur, corporibns, quae quidem comparandi causa commemorantur, oppositi sunt.

28, 61. *ut, etiam si et mala sint illa, quae metum aegritudinemve, et bona, quae cupiditatem laetitiamve moveant, tamen sit vitiosa ipsa commotio.* Malui in his Bentlei sententiam qnam Lambini sequi: *nec* enim et *uel* facilins inter se permutari quam *nec* et *et* quis est cui non appareat? Cfr. ad I, 51.

36, 77. Recepi coniecturam Al. Fleckeisenii *Quis item* (libri *autem*) *malitia te?*, quippe quam omnium facillimam pu-

tarem. De permutatione vocnm *autem* et *item* v. Hensing. de Offic. III, 3, 15: *quod item in poematis — usu venit.* — In Thyestae vv. O. Ribbeckinm secutus restitui *Ipsus*, quod snadet etiam Abrinc. et Erlang. I scriptnra de Orat. III, 217 *ipsius*: v. Piderit.

37, 80. *Et si fidentia — scientia quaedam est et opinio gravis non temere assentientis, metus quoque est diffidentia expectati et impendentis mali; et si spes est expectatio boni, mali expectationem esse necesse est metum. Ut igitur metus, sic reliquae perturbationes sunt in malo. Ergo ut constantia scientiae est, sic perturbatio erroris est.* Hoc primum intellegendum puto, id qnod fuernnt qui negarent (v. O. Hein. Progr. p. 19), *metum* iis perturbationibus, qnas vitiosas et opinabiles esse iam demonstratnm est, per *quoque* particnlam recte adiungi; qui si primum appellatur diffidentia expectati et inpendentis mali, significatur in levi et inbecilla opinione versari (hanc enim esse *diffidentiam* ex contraria *fidentiae* notione apparet); si autem additur, qnod facile potest supervacaneum videri, *mali expectationem* esse metum, *in malo esse* metum aperte declaratur. Quae vero secuntur verba *Ut igitur metus, sic reliquae perturbationes sunt in malo* aut insana sunt — nam inverso ordine dicendum erat *ut igitur reliquae perturbationes, sic metus in malo est* —, aut *reliquae perturbationes* non snnt nniversum genus, sed eius ipsius generis, de quo agitur, partes: cfr. §. 16. Atqne in hoc ut acquiescam, nt reliquas perturbationes *eiusdem generis* esse existumem, ea ratione adducor, quod unde orta sint illa verba ratio reddi probabilis nulla potest. Qnod si pergit Cicero: *Ergo ut constantia scientiae, sic perturbatio erroris est*, quaecumque adhuc contra Peripateticos disputata sunt conligit atqne ita ad id, quod unnm opponi posse videbatnr, elevandnm transitum parat.

37, 81. *Ergo ut optima quis valetudine affectus potest videri natura ad aliquem morbum proclivior, sic animus alius ad alia vitia propensior.* In optimorum codd. scriptura *ut natura* nihil alind latet nisi *vel natura*: nam ea particula et saepissime permixta est cnm *ut* (v. ad I, 54) et hoc loco vel maxime convenit scribentis voluntati, qui nt alterum fieri posse concedit, ut quis ipsa natura ad vitia propensior sit, ita alternm optinet, ut eorum, qui culpa vitiosi sint, vitia e falsis opinionibus constare defendat. *Optimum* autem *quemque*, ut hoc adiciam, non erat qnod eiceret Bentleius neque ei obsecnti sunt ex recentioribus Klotzius et Baiterus: satis est ex his Tusculanis attulisse III, 28: *Ex philosophis optimus et gravissimus quisque confitetur multa se ignorare.*

38, 82. *Etsi enim omnis animi perturbatio gravis est nec multum differt ab amentia, tamen [ita] ceteros, quum sunt in aliqua perturbatione aut metus aut laetitiae aut cupiditatis, com-*

motos modo et perturbatos dicere solemus; at eos, qui se aegritudini dediderunt, miseros, afflictos, aerumnosos, calamitosos. Vereor ne cui non admodum probabile videatur quod Nissenio placuit *tamen ita* ut ex repetitione vocis *amentia* natum delere. Quod nunc Cicero de perturbationum differentia disputat, petitum est ex communis vitae opinione et consuetudine, non ex philosophiae, cui omnis perturbatio insania est (v. III, 8 sqq.), disciplina ac ratione: scripsit igitur *tam̄ ī uita* id est *tamen in vita.* De *vitae* significatione v. Ern. Clav. s. v.; adde de Fin. I, 11.

LIBER V.

1, 1. *Quod etsi difficile est probatu —, tale tamen est* etqs. Quod optimi libri praebent *difficili est*, facile quis crediderit ortum esse ex *difficili'* (*difficilius*) *est* (v. Wesenb. Em. I p. 27); quod quominus accipiamus impedit non tam Nonii testimonium aut rectins relatus ad positivum *difficile* comparativus *facilius*, qnam ipsorum librorum, unde notata varietas est in hac re perpetuns error, qui ne gravissimis quidem vitiis carent, velut *inexpiabile religione* I, 27, *omne contentione* III, 25, *lamentare* pro *lamentari* II, 31, *omnis* nominativo pluralis III, 17, aliis. v. Wesenb. Em. I p. 13.

1, 2. *Nam quum ea causa impulerit eos, qui primi se ad philosophiae studium contulerunt, ut — totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent, profecto spe beate vivendi tantam in eo studio curam — posuerunt.* Iustam hic locns dnbitandi causam et aliis et mihi attulit: neqne enim verum est eos, qui primi se ad philosophiae studium contulerunt, eo id fecisse consilio, ut optimum vitae statum exquirerent, id qnod certe in eos philosophos, qui ante Socratis aetatem fuerunt, non cadere ipse Cicero §. 10 confessus est. Quid igitur? tam manifesti mendacii insimulemns virum optimnm? Quod ne sic quidem satis excnsari poterit, si *primorum philosophorum* nomen latius patere atque ad ipsnm pertinere Socratem statueris: nam physici restarent, qni a se alienam fuisse illam rationem contenderent. Non temere igitur Bentleius, vir sagacissimus, Ciceronis veritatisque patronus extitit, cum scribi volnit *nam cum aliqua causa impulerit*, quod si aliquam haberet a litterarum similitudine, qnam unam in his rebus seqni oportet, probabilitatem, ntraqne, nt aiunt, manu amplecterer. Nunc consideratins dnxi id restituere, quod et sententiae et arti aeque satis faceret: delevi *ea* ut ex dupliciter scripta sillaba *ca* (*causa*) ortum. Iam omnia recte se habent: nam *ut* particnla non ex *ea causa* suspensa est, sed snscepti philosophiae studii consilium vel modum declarat; *primi* antem *philosophi* non cuncti vocantur, sed ii ipsi, qui de vitae ratione qnaerere coeperunt. Infelicissime, ut plerumque, in emendando loco versata est Bakii coniectura: qnod enim invenit ille *nam quaecumque causa impulerit*, et in

grammaticae et in logicae ratione misere claudicat: illa enim indicativum *impulit* postulat, haec, ut *cuicumque causae* non certa aliqua causa (*spes beate vivendi*), sed certum quoddam attributum causae, velut *satis magna*, opponatur.

2, 6. *Sed — haec indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse philosophos arbitrantur.* Tam Gudiani scriptura *primi sit* quam Regii prior *primisset* talis est, ut rectum esse quod Victorii editio primum exhibuit *primis sit* cui non facile persuadeat? Cfr. ex iisdem libris III, 59 *multi sunt* pro eo, quod Lambinus restituit, *multis sunt;* II, 57 *turpe esse* pro *turpes esse;* V, 82 *in sapiente situm* pro Lambiniano *in sapientis situm*: v. ad I, 73 et Wes. Em. III p. 22. Iure igitur miramur, quid causae impulerit Baiterum ut Bakii coniecturam nec re nec specie probabiliorem *primis est* accipere mallet.

3, 7. *Itaque et illos septem, qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, et — Lycurgum — et iam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientes.* Futiles sunt de hoc loco et H. Sauppii et Schlengeri coniecturae. Atque ille quidem imperfecto maxime tempore (*habebantur — nominabantur*) offensus, quod non cadere putat in eos, qui etiam Ciceronis aetate ita et habiti et nominati sint, non intellexit ad rei antiquae notationem — id autem ipsum nunc agitur, ut philosophandi studium antiquissimum esse demonstretur — unum omnium accommodatissimum esse imperfectum, quo quidem rem etiamnunc ita esse non negatur. Quare facilius probarem alterius sententiam, qui circumcisis ceteris partibus hoc trunci relinquit *illos septem qui nominantur,* nisi, id quod utriusque conatum evertit, additum illud *a nostris* obstaret, quod qui potuerit in glossatoris mentem aut manus venire vix ac ne vix quidem perspicitur. Quod cum ita sit, cum nihil admodum scrupuli resideret, si scriptum legeremus *illos septem, qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, accepimus fuisse sapientes*, nunc, quod ex abundanti atque adeo cum rationis ac sententiae damno addidit scriptor *et habitos esse*, facillimam, opinor, ex interpositis compluribus subiectis *et Lycurgum et iam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem* habebit excusationem. Usu enim venire ut interiecta aliqua sententia id, quod dictum iam sit, leviter immutatum iteretur quis et qui nesciat? Vide quae de hoc genere, quod latissime patet, commentatus sum ad Lael. p. 85.

4, 10. *Socrates autem primus philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit* etqs. Qui primi praepositionem *e* in suspitionem vocarunt, sive Orellius fuit sive F. A. Wolfius (v. Orell. ed. separ. p. 423), iustissima dubitandi causa commoti

videntur. Quae enim res e caelo devocatur, eam in ipso caelo id est inter deos versatam esse putandum est. Quod etsi physicorum philosophia quodam modo dici potest versata esse atque adeo habitasse in caelo hoc est in caelestibus rebus contemplandis, in quibus quasi defixa tenebatur; tamen in hac rerum comparatione, quam videmus, philosophiam e caelo devocatam et in urbibus conlocatam vix licet aliter interpretari, quam ut, cum a dis ipsis tractata esset, Socratem eam in terris primum coluisse credamus, id quod veritati prorsus repugnat. Aut igitur *de caelo*, ut Orellio placuit, aut *a caelo*, quod est in deterioribus libris Mon. 2. Gud. 2. Duisb., necessario scribendum erit. Mihi quidem arridet *a caelo*: ita enim vel res vel locus, in quo quis occupatus cum fuit, alio abducitur, plane usitateque notatur; cfr. Liv. IV, 39: *suos ab tumulo devocavit* et intpp. ad Cic. de imp. Cn. Pomp. XIV, 40: *ab instituto cursu ad praedam aliquam*. Atque hoc denique, quod sentiam, conformationi, quam vocant, vel, ut alii, personae confictioni, quam praeclarissime demonstrat *coëgit* verbum, satis respondet.

5, 13. *Velut iste chorus virtutum — imagines constituit ante oculos cum amplissima dignitate, ut ad eas cursim perrectura nec eas beata vita a se desertas passura videatur.* Singularis verborum ordo, qui a solutae orationis scriptoribus abhorret, hoc loco in singulari sententiae ratione positus est. Finge quovis alio loco conlocatum subiectum *beata vita*, coniuncta habebis verba *eas a se desertas*, quod quidem eiusmodi est ut nemo possit reflexivum pronomen non ad *eas* i. e. *virtutes* referre itaque decipi: nam *a se ipso deseri* verborum complexio est usu recepta et tralaticia. Iure igitur Baiterus h. l. a Bakii vel potius Ernestii sententia, qui verba sic transponenda putant: *ut ad eas cursim perrectura beata vita nec eas a se desertas passura videatur*, discedendum putavit.

6, 16. *qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tandem esse non miserrimus?* Ad explicandam *elidendi* vim qui adferunt *nervos virtutis elidere* (II, 27) aut *stirpes aegritudinis ipso trunco everso elidere* (III, 83), quid rei esset plane videntur ignorasse: illis enim locis *elidere* idem est quod rem loco aliquo infixam et haerentem evellere, quo pertinet etiam Horatianum illud *nervis elidere morbum*. Debebant *naves* commemorare tempestate *elisas* (Caes. B. Civ. III, 27) i. e. plane convulsas atque contusas. Quod etsi ab ipsa aegritudinis vi ac natura abesse videtur, quae neque tam vehementi impetu atque tam subito utatur — nam aegritudines *exedunt* animos *conficiuntque* curis: de Fin. I, 59 —; tamen hoc loco traducta a fluctibus et tempestate imago et ipsa voce *fractus* significatur et consilio scriptoris de industria rem exaggerantis defenditur.

6, 17. *Quod si est, qui — omnia humana, quaecunque*

accidere possunt, tolerabilia ducat, — quid est cur is non beatus sit? Librorum scripturam *quae cuique accidere possunt* ex recentioribus unus inventus est qui tueri auderet, Re. Klotzius: non vidit homo acutus, pronomini *cuique* in enuntiato, in quo nihil inesset distributionis, locum non esse diversumque esse V, 55: *id enim licere dicimus, quod cuique conceditur,* in quo pronomen, ut solet, ex primaria sententia in relativam coniectum est. Melius esset, quod in suo codice se invenisse testatur Andr. Schottus: *quae cuiquam accidere possunt,* probatum item Bentleio; sed ne hoc quidem rectum est: nam *cuiquam* pronomen oppositum flagitaret *sibi* (*tolerabilia ducat*). Manet igitur, quae Ernestio nescio quo pacto molesta fuit, tautologia *quaecumque accidere possunt*, quae quidem nulla est. Quo enim alio modo Latine dicatur *alle nur möglichen menschlichen Unglücksfälle,* aut quid differt ab hoc loco, ut exemplum adferam, de Orat. I, 9: *qui omnia, quaecumque possent, vel scientiae pervestigatione vel disserendi ratione comprehenderint?*

7, 19. *Cave enim putes ullam in philosophia vocem emissam clariorem ullumve esse philosophiae promissum uberius aut maius.* Quod in cod. Vatic. invenitur *a philosophia*, ortum videlicet ex omissa post *ullam* praepositione *in*, recte Fr. A. Wolfius nimis illuminatum vel, ut posteriores artis magistri locuntur, figuratum appellat. Quod autem Baiterus sive hac scripturae varietate sive ipsa repetitione vocis *philosophia* commotus utrumque et *a* et *in philosophia* ab ipso scriptore profectum negavit, non reputavit vir optimus diversa sententia philosophiam, primum artem philosophandi (auf dem Felde der Philosophie), dein translate artis studiosos vel auctores vocari.

7, 20. *Nam Xerxes quidem refertus omnibus praemiis donisque fortunae — praemium proposuit, qui invenisset novam voluptatem. Qua ipsa non fuit contentus, neque enim unquam finem inveniet libido.* Admonet me et Bentlei de *praemiis* fortunae dubitatio et Lambini correctio *muneribus* scribentis pro *praemiis* Horatiani illius loci Carm. I, 1, 29 sq.: *Me doctarum hederae praemia frontium Dis miscent superis*, in quo explicando a multis graviter erratum est. Etenim *praemium* hedera dicitur tamquam *insigne* et *praecipuum* poetarum lyricorum *ornamentum* ab ipso Baccho deo iis concessum, quae capiti imposita facit ut divino adflatu concitati in caelo atque inter ipsos deos conlocati sibi videantur: cfr. intpp. ad Prop. III, 1, 19: *Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae* et IV, 1, 62: *Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.* Atque ut hoc loco Cicero *praemia fortunae* (Germanice appellemus *Vorzüge*), similiter Vergilius Aen. IV, 33 *Veneris praemia* dixit, quae Homerus δῶρ' Ἀφροδίτης. — *Contentus non fuisset*, quod in nullo, ut videtur, codice inventum sola Bentlei coniectura nititur, cur a Baitero

certae et constanti librorum memoriae praelatum sit vehementer miror. Nec enim nova voluptas inveniri non potuit, cum Persarum regibus καινοποιητὰς eorum, quae ad mensam pertinent, fuisse constet ex Athen. XII p. 515 D. (v. Mos. ed. III p. 46) et auctor, qui id memoriae prodiderit, si hodie nullus aut si in obscuro est, mox fortasse erit ut in lucem protrahatur.

8, 22. *Dicebantur haec, quae scripsit etiam Antiochus pluribus locis, virtutem ipsam per se beatam vitam efficere posse.* Memorabilior est optimorum codd. scriptura *quae scripta sit etiam Antiochus*, quam ut a more illo librariorum sillabas in medias voces inferendi (v. ad §. 120) facile repetatur. Neque vero illud, quod ex nonnullis codd. deterioribus recepit Davisius edit. 2 *quae scripta sunt.* mutato, quod consectarium erat, nominativo *Antiochus* in dativum, satis habet probabilitatis: ut libenter profitear plus omnibus hoc loco vidisse Rc. Klotzium, cum invenerit *scriptitavit.* Cfr. Brut. §. 267: *M. Bibulus, qui et scriptitavit accurate — et egit multa constanter.*

9, 24. *In eo (libro) etiam putatur (Theophrastus) dicere in rotam beatam vitam non escendere.* Tantum apud me valuit Gudiani auctoritas, qui liber, si qui alius, a glossematis liber est, ut verba, quae inde ab Erasmo et Manucio a plerisque pro insitivis habita atque eiecta essent *id est genus quoddam tormenti apud Graecos*, postliminio, ut aiunt, reducenda putarem. Homines Romani, qui quidem Graecarum rerum notitia non penitus imbuti esset, nisi hanc explicationem adiecisset Cicero, certe in rotae voce de fortunae rota, non de tormenti genere cogitassent. An vero Cicero, cum haec scriberet, eos, quibus scriberet, ita vel moris Graeci peritos vel in litteris eorum versatos opinari potuit, quibus illud τὸ ἐπὶ τροχοῦ στρεβλοῦσθαι vel ex usu oculorumque aspectu vel ex Aristophane satis notum esset? Quare ut hanc interpretationem hoc quidem loco paene necessariam fuisse existimo, ita lineam, quae in Regio verbis illis antiquo, ut tradit Halmius, atramento subducta est, a correctoris manu, quae multa in illo codice vitiavit, profectam arbitror. Infinitum est criticorum in hoc divinandi genere hariolationes exagitare: vide quae de glossematis, quae ineptissima videbantur Wesenbergio Em. I p. 3, dixi ad I, 52 et III, 8. Bakii quidem in hac re singularem temeritatem nemo non novit: qui cum sescenta alia et *montem* etiam *Cariae* I, 92 subvertisset — Ciceronem in *monte Latmo* potuisse dicere concedo, *in Latmo* simpliciter non item —, cumque V, 98 verba, quae Lacedaemonius quidam admiranti Dionysio docendi causa subicit *his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur*, expellenda censuerit, mirandum profecto est cur idem nihil offensus sit simili scriptoris ipsius diligentia I, 96, cum adderet *Graeci enim in conviviis solent*

nominare cui poculum traditurі sint, eaque alii viro multo modestiori cavillanda reliquerit, Hottingero.

9, 27. In verbis Metrodori: *Occupavi te, fortuna, atque cepi omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me aspirare non posses* non illa unius eiusque non optimi libri, Duisbergensis, memoria, sed ipsa res ac sententiae ratio ut id, quod Moserus voluerat, *possis* scribatur videtur flagitare aut non mutato imperfecto *ut — ne posses*. Plutarchus περὶ εὐθυμίας p. 476 haec solum habet: προκατείλημμαί σε, ὦ τύχη, καὶ πᾶσαν τὴν σὴν ἀφῄρημαι παρείσδυσιν, unde nihil licet de tempore verbi coniecturae facere. Neque tamen ausus sum testium fidem optimorum deserere: potest enim profecto Metrodori oratio ad malum referri praeteritum, quod se subterfugisse aut pro nullo vel habuisse vel tulisse glorietur, ut similis sit imperfecti ratio, quae I, 5: *inde ita magnos ad nostram aetatem, ut non multum — Graecis cederetur.* Quamquam libris mss. in hac re nihil tribuendum esse docent Gud. et Reg. III, 9 *possit* pro *posset*: v. Madv. Em. Liv. p. 55. 101. 182 not. 527. 550.

10, 28. *Quos dicam bonos, perspicuum est; omnibus enim virtutibus instructos et ornatos tum sapientes, tum viros bonos dicimus.* Veriorem esse Manucii et Lambini correctionem *quos dicam* quam Victorii, quae Orellio placuit, *quid dicam bonos* vel maximo documento hoc est, quod subiecit Cicero eundem in modum: *Videamus, qui dicendi sint beati;* scribendi quidem error ad utrumque et *quos* et *quid* pariter poterat ducere; illud v. V, 30 *quod si titulus* et V, 91 *quod cum tristiores vidisset*, hoc III, 42 *quid in bonis*, IV, 35 *quid agat:* v. Tregd. Praef. p. IX extr. et Wesenb. Em. III p. 19. Ceterum *quid dicam bonos* vereor ne non pari iure dici liceat atque, ut hoc fingam, *quid dicam sapientiam;* certus quidem locus, quo niteretur illa verborum constructio, nullus extat: nam Phil. II, 31: *Tu homo sapiens et considerate, quid dicis? Si parricidas: cur honoris causa a te sunt — semper appellati?* ad aliam rationem revocandum esse facile intellegitur.

10, 31. *Neque enim et haec loqui — et eadem, quae vulgus, in malis et bonis numerare, concedi ullo modo potest.* Haec, quae ex altera eaque audaciore Bentlei coniectura arripuit Tregderus, vel hoc ipso nomine reprobanda sunt. Sed ne illa quidem eiusdem viri correctio *Namque et haec loqui — concedi nullo modo potest* aut a Latinitate satis commendatur aut ad optimorum librorum scripturam *Nec hunc et haec loqui — nullo modo potest* propius accedit. Ex qua quod Wesenbergius Em. I p. 25 restituit *Nunc et haec loqui — concedi nullo modo potest*, id et originem vitii ex dittographia ductam (*nc̄* primo pro *nec* habitum scriptumque, dein ab ipso librario in *nunc* vel *hunc* correctum est) plane demonstrat et sententias

ipsas recte tam apteque inter se conectit, ut ea res ne Klotzii quidem aciem praeterierit unusque inventus sit Bogenius Progr. Neus. 1861, qui ad elegantiam eius esset optusior. Liceat igitur repetere ac dilatare, quod brevi Wesenbergius. Cicero eum Peripateticos veterisque Academiae studiosos admonet, ut, si sapientem, quod faciant, semper beatum esse dicere velint, animum inducant corporis et externa bona, quorum splendore coepiantur, ea contemnere, nihil aliud dicit quam hoc, recte eos sapientem semper beatum dicturos esse, si animum induecerent illa — contemnere: nunc, cum id non faciant, non recte eos dicere. Quo quid apertius, quid verius possit esse non video. Tam igitur laudandus est in hoc loco coniecturae inventor, quam fuit reprehendendus in simili causa II. 45. *Nec* pro *nunc* restituit Madv. de Legg. III, 26.

11, 33. *Verum tamen — non ego hoc loco id quaerendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit quodque eius auditori Aristoni, bonum esse solum, quod honestum esset; sed si ita esset, tum ut totum hoc, beate vivere, in una virtute poneret.* Mirabilia sunt ac paene portentosa hoc loco interpretum molimina, quibus laboranti et sententiae et verborum structurae subvenire conati sunt. Velut Orellius ‚Sensus est' inquit: ‚sed postulandum puto (quod facillime elicitur ex *quaerendum puto*), ut tum demum, si Peripateticus sive Brutus ipse quoque agnosceret cum Stoicis bonum esse solum quod honestum esset, is (Peripateticus, non Stoicus, uti falso plerique acceperunt) totum hoc beate vivere in una virtute poneret: nunc vero, ubi hoc quidem ponit, sed simul alia bona statuit, ipse secum pugnat. Pro *poneret* facile legerim *poneretur.*' Haec a sano homine scribi aut probari potuisse vix credibile videtur. Ut nihil dicam quam difficile sit, quod illi nimirum facillimum videtur, ex vv. *quaerendum puto* id verbum audire, quod vi ac significatione plus digitum recedat, unde tandem aut ex qua particula sententiae Peripatetici illius vestigium odorere idque singulari numero impressum, cum antea semper plurali legeris? At huic difficultati occurrit mutatum *poneret* in *poneretur*. At remanet multo foedissimum vitium in condicionali sententiae forma. An quicquam ut fiat postulari potest, cuius faciendi condicionem ille ipse, qui postulat, nullam esse fateatur? Hoc igitur necessario sic erat dicendum: *si ita est, tum ut — ponatur.* Ut nunc sunt verba, non possent nisi ad ipsius Zenonis placitum referri sic loquentis: ‚Bonum est solum quod honestum est, sed si ita est, tum placet ut totum hoc beate vivere in una virtute ponatur'; ¡id quod absurdissimum esse quid non clamat? Nam et *sed* particula in re posita, quae ex altera consectaria est, et *hoc* pronomen ad Ciceronis videlicet, non ad Zenonis orationem spectans, et ipsa sententia rem, quae cum maxime agitur, quid tandem quaerendum

sit, in medio relinquens neque cum iis, qnae secuntur (*Quare demus* etc.), ullo vinculo cohaerens — haec omnia ad evertendum illius interpretationis conatum concurrunt. Neque vero melius ceteri interpretes praeter Bentleium et, qui coeptum a Bentleio opus expolivit, Fr. A. Wolfium: nam *utrum*, quod ex margine edit. Lamb. 1584 arripuit Bentleius, in simplici interrogatione, si quando invenitur, non potest nisi a quadam anacoluthiae ratione repeti, cuius h. l. ne minimum quidem indicium est; ex Cicerone illud a Iecpio invectum removit Madvigii coniectura p. Rosc. Am. 102; removendum etiam restat Verr. II, 69, 167: *An hoc dicere audebis: utrum de te aratores, utrum denique Siculi universi bene existiment aut quo modo existiment, ad te id non pertinere?*, quo loco scribendum apparet *bene* (*benene*) *existiment an quo modo existiment*. Sed ne Wolfii quidem emendatio *ni ita esset, num totum hoc beate vivere in una virtute ponerent* satis ad unguem, ut aiunt, emendata est. Neque enim hoc quaeri potest, num ponat Zeno totum hoc beate vivere in una virtute, quod quidem eum ita facere constat; ergo ne hoc quidem, *num positurus esset, nisi bonum esset solum, quod honestum esset*, quod idem a re, quam factam scimus, alienum est; sed illud unum, *num, ni ita esset, r e c t e poneret*. Hoc igitur adverbium, quod rem causamque maxime continet quodque unum ad fulciendam grammaticam verborum structuram commodissimum est, post *virtute* opinamur intercidisse. Ita in Stoico homine oblique tanguntur Peripatetici: quod illum, ut sibi constet, non facere cognoscimus, id hos cum inconstantiae vitio in se admittere intellegimus. Postremo *poneret* numerus nihil est cur mutandus videatur: cum Zenone maxime rem esse scriptori ex iis apparet, quae proposuerat auditor §. 32: *inter Zenonem et Peripateticos nihil praeter verborum novitatem interesse.* Scribendi vitia, quae correximus, satis usitata sunt: *num* et *tum* permixta in Gud. et Reg. III, 77 *num in illa re — mali nihil fuisse?*; coniectura non necessaria restituit *num* pro *tum* Orellius I, 10; *ut* autem quemadmodum casu, ut videtur, in Bernensi aliisque libris deterioribus omitti, ita in Gud. et Reg. ceterisque inter *tū* et *totum* addi potuit; denique de *si* et *nisi* permutatis v. ad I, 43. Ceterum recentiorum Latinitas quid quantumque efficere possit si quem cognoscere lubet, inspiciat Bogenii Progr. Neus. 1861 p. 13.

12, 35. *Haud scio, inquit; nunquam enim cum eo collocutus sum. An tu aliter id scire non potes?* Ita Tregderus ex compluribus codd. Oxoniensibus et Coloniensi, cum in optimis libris esset *an tu an aliter*. Ex quo qui *ain tu? an aliter* refinxerunt, ut Victorius, Lambinus, alii, in errorem inducti videntur Medicei auctoritate, a quo proditum est ad Attic. IV, 5, 1 *Ain tu? an me existimas —?*, quamquam ibi Lambinus Mala-

spinae coniecturam *Ain tu? mene existimas* sequi maluit. Non pati linguae rationes interrogationibus *ain tu? ain vero? ain tandem?* vel *itane? itane vero? itane tandem?* aliam interrogationem subiei nisi id ipsum, quod mirabile aut incredibile videtur, vel nulla vel *ne* particula inferentem, et exemplorum multitudine (v. Wund. p. Planc. p. 142 et Hand. Turs. III p. 495 sq.) satis confirmatur et ab aliis, ut Bakio Bibl. crit. nova III p. 79, qui h. l. *ain tu? aliter* scribi volt, et Madvigio Opp. Acad. I p. 44, qui Iac. Gronovii coniecturam de ep. ad Attic. X, 8, 4 factam impugnat, intellectum est. Itaque deleto altero *an* scribendum fuit aut *an tu aliter* aut *ain tu? aliter*, quorum hoc et a Platonis verbis, quem exprimit Cicero — Polus enim interrogaverat τί δαί; — propius abesse et ad interrogantis habitum animique adfectum — est enim *ain tu?* cum cavillatione admirantis — melius convenire non facile negaveris. Sed tamen hoc dudum putavi optimorum codd. testimonio, ne alterum illud *an* ex prava eiusdem vocabuli repetitione repetendum arbitrarer, quod mihi quidem rem diligentius consideranti manasse visum est ex compendio *tā̄n* i. e. *tandem*, cui similia ex codice Erfurtensi notavit Freundius, velut *ūn* pro *unde*, *q̄n* pro *quando*, *ān* pro *ante*. Scripsi igitur *Ain tandem? aliter id scire non potes?*, idque ipsum restitui velim in epistula, quam supra commemoravi, ad Attic. IV, 5, 1: *Ain tandem? me existimas?* —, a quo initio item ducta est ep. ad Fam. IX, 21: *Ain tandem? insanire tibi videris?* Neque vero idem tantum tribuendum existimavi unius Gudiani fidei, ut *id* post *aliter* omittendum arbitrarer, praesertim quod et a numerorum suavitate commendari et facile post *alit̄* praetermitti potuisse intellegerem.

12, 36. *neque enim laetabitur unquam nec maerebit nimis, quod semper in se ipse omnem spem reponet sui.* Baitero ex deterioribus libris *in se ipso* recipienti non solum simillimus locus suffragatur Lael. IX, 30: *ut nullo egeat suaque omnia in se ipso posita iudicet*, sed etiam ipsa sententiae ratio, quae, quantum ego intellego, multum differt ab iis exemplis quae vel Madvigius attulit Gr. Lat. §. 487, b vel Nägelsbach. de praeceptis Latine scribendi p. 247 ed. 2. Rectissime se habet, quod est vel in Erfurtensi de imp. Cn. Pomp. XIII, 38: *Non potest exercitum is continere imperator, qui se ipse non continet*, vel in Vaticano Phil. II, 118: *Sed de te tu videris: ego de me ipse profitebor:* nam in his similibusque subiectum recte potest aliis oppositum cogitari: quae quidem cogitatio alienissima est a locutione *in me ipse repono spem*, quasi quicquam referat utrum ipse in me an alii spem reponant aut meane sponte vel meo Marte, ut aiunt, an aliorum impulsu operave id faciam. Ceterum ut ego quoque veteris poetae verba adgnoscam facit et verbum in hac re certe minus usitatum *reponet* et genetivus *sui* pro *suam*,

nisi *sui* ex *sibi*, quod paene crediderim, corruptum est (cfr. Medic. *siui* ad Fam. XI, 20, 1): v. §. 30: omnia sibi in sese esse posita.

13, 37. *neque est ullum, quod non ita vigeat —, ut aut flores aut fruges fundat aut bacas omniaque in omnibus, quantum in ipsis sit, — perfecta sint.* Dici *quantum in ipsis est* potuisse nemo negat, debuisse dici, id quod Baitero probavit C. Halmii auctoritas, in ea sententia, quae tota ex animi cogitatione suspensa sit (*nullum est quod*), novis, credo, mihique incognitis rationibus effectum est. Similia aliorum peccata perstrinximus I, 23. Ne illud quidem adduci potui, §. 82 scribendum esse *nisi molestum est* in ea oratione, quae tota ad urbanitatis normam composita esset: *a te impetrarim libenter, ut, nisi molestum sit, — audire velim.*

14, 40. *Non sane optabilis quidem ista, inquit, rudentibus apta fortuna.* Temere hic locus a Wesenbergio Em. I p. 22 ad eorum revocatus est rationem, in quibus cum *quidem* particula aliquid concessum est, contrarii aliquid obicitur per *sed*. In his sane valeat lex, quam scripsit praeceptor Wesenbergii Madvigius de Fin. IV, 44 p. 552 sq., ut facile concedam tam peccatum esse a librariis Orat. §. 13 (*multis quidem illa adiumentis*) quam de Legg. II, 14 (*quamquam quidem illi — scripserunt*) pro eo quod et sententia et linguae ratio, quae *quamquam quidem* nullo interposito verbo coniungi vetat, pariter postulaut: *quamquam illi quidem — scripserunt*): quo de loco ut fallitur Peterus Brut. Exc. V p. 276, ita cetera exempla, quae adfert, velut *ut quidem*, *cum quidem*, *quoniam quidem* huc non pertinent. Sed tamen ab hoc genere segreganda esse illa exempla, in quibus *quidem* particula vel responsionis indicium est vel non concessionem cum exceptione aliqua, sed adfirmationem solam significat itaque vel ad universam sententiam vel ad unam aliquam eius partem refertur, praeter hunc locum, quem cum maxime tractamus, plane demonstrat ad Attic. XV, 13, 5, in quo nulla est librorum mss. varietas: *Sed ait totum negotium Sestium nostrum suscepisse, optimum quidem illum virum nostrique amantissimum; quaero autem, quid tandem Sestius in hac re facere possit.*

14, 41. *Ut enim innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet, sic sine metu is habendus est, non qui parva metuit, sed qui omnino metu vacat.* Qui *parva metuit* (sic est in optimis libris) is profecto magno, non parvo metu praeditus est: eiusmodi igitur metus ex parvis rebus susceptus non ipse parvus, ut volt Madv. de Fin. V, 90 p. 781, sed parvi aut pusilli animi appellari recte poterit, quod ipsum in rem, quae agitur, omnium minime caderet. *Parum* autem, quod est in deterioribus libris, *metuere* aperte in vitio est hominem-

que notat levem et inprovidum: de huius enim adverbii vi rectissime praecepit Madv. l. l.; ne *pauca* quidem *metuere*, quod placet Baitero, tam ad timiditatis, quam ad fortitudinis gradum referri licet. Quod cum ita sit, facile acquiescerem in Tischeri coniectura *non qui parvo metu est*, si ullum in libris, quorum in his Tusculanis maxima fides est, indicium extaret *est* verbi cum nominibus in vocalem desinentibus in unum confusi (*metust*). Nunc praetuli id, quo maxime ductus sum eorum, quae antecedunt (*non qui leviter nocet*), similitudine: *non qui parce metuit* i. e. *modice*. Cfr. ad Fam. I. 9, 23: *quia verebar non eos, qui se laesos arbitrarentur (etenim id feci parce et molliter)*. Phaedr. IV, 16, 9: *Parce gaudere oportet et sensim queri*. Idque ipsum vide ne restituendum sit in Sen. ep. CXVI extr.: *Dolebimus, sed parce* (vulgo *parum*): *concupiscemus, sed temperate*. De *c* et *v* litteris inter se permutatis v. Madv. Em. Liv. p. 458 (*vertebatur* et *certabatur*), Bentl. ad Hor. Carm. I, 35, 38 (*revocant* et *recoquunt*).

15, 43. *Atque quum perturbationes animi miseriam — efficiant, duplexque ratio perturbationis sit, quod aegritudo et metus in malis opinatis, in bonorum autem errore laetitia gestiens libidoque versetur, quae omnia cum consilio et ratione pugnent: his tu tam gravibus concitationibus — quem vacuum — videris, hunc dubitabis beatum dicere? — At quicumque*, quod extat in optimis libris, ortum puto ex prave repetitis extremis antecedentis vocabuli sillabis *ata* scribendumque, quod in transitu ad novam rationem eamque argumentorum numerum complentem constans est (v. Schol. Lat. I §. 16), *cumque*. Similiter infra §. 52 *ut* post *serviet* illatum monstrum illud genuit *ut nos autem*. In verbis, quae secuntur, cum ab iisdem libris proditum esset *cum omnia cum consilio — pugnent*, satius duxi omissum videlicet post *omnia* pronomen *ea* addere quam aut cum Bentleio, id quod difficilius ad credendum est, *cum* ex *quae* corruptum putare aut cum Orellio ex deterioribus libris inscite inculcatum *haec* adsciscere. Duplicis protasis quae sit ratio quid attinet me dicere?

16, 48. *Vir igitur temperatus, constans, sine metu, sine aegritudine, sine alacritate ulla, sine libidine, nonne beatus?* Alacritatem ipsam numquam in perturbationibus animi numerat Cicero, sed addit ad eam rem declarandam attributa vel *gestiens* vel *exultans* vel *nimia* vel *insolens* vel *inanis* vel *futilis*, ut hoc ipso nomine explodendae sint coniecturae vel H. Sauppii (*sine alacritate, nulla libidine*) vel Phil. Wagneri (*sine aegritudine, alacritate nulla, nulla libidine*). Ac ne *illa* quidem, quod de Nissenii sententia posuit Tischerus, quorsum spectet ullo coniectandi artificio adsequi licet: neque enim separatim neque modo dixerat scriptor de alacritate. Verum sine dubio vidit Bentlei

acies, cum incidit in *alocritatem futilem*: *ulla* enim natum est ex *futtu*, *li* autem siillaba hausta ante *fi* (*ne*): nam sic scriptum extat *futilis* iu Gud. et Reg. IV, 37 (*futtuli*).

17, 49. Ex Ennii disticho

A sole exoriente supra Maeotis paludes
Nemo est qui factis aequ'perare queat

expellendum esse pronomen, quod ex paucis libris deterioribus invexerat Davisius, versus docent a Seneca ep. XVIII, 5 traditi: *Si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquam est, Mi soli caeli maxima porta patet*, quos cum illis coniunctos fuisse admodum est probabile. Ita ex antegresso *mi* vel ad *aequiperare* accusativum *me* vel ad *factis* audire licet *meis*: nam *aequiperandi* verbum ab Ennio etiam dativo iunctum esse constat ex Annal. II fr. 7: *Ingens curast mis concordibus aequiperare*. V. Holtz. Synt. Prisc. Script. Lat. I p. 314.

17, 50. *Quid? quum fateutur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, nonne fatendum est eandem vim virtutum esse ad beatam vitam?* Inane est Tregderi argumentum *vim virtutum* scribentis, quod pluralis numerus propter praecedens *vitiis* postulari videatur. Nam nec genetivus recte respondet ei, quod antecedit *in vitiis*, et *virtutem* singulari numero non unam aliquam, sed genus universum complecti cum ex tota hac quaestione, quae cum maxime agitatur, tum ex similibus locis §. 42 (*haec virtutem efficere*) et §. 51, in qua *virtuti virtutum interitus* subicitur, satis intellegitur. Vitia quidem innumerabilia sunt nec qui uno aliquo adfectus, idem omnibus est; virtus autem ex Stoicorum quidem doctriua nulla est nisi consummata. Neque verum est, quod ait ille meliorum codicum vestigia (*vim virtutem*) ad *vim virtutum* magis quam ad *vim in virtute* ducere: cfr. ad I, 7, 27.

17, 51. *libra illa Critolai, qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa, tantum propendere illam lancem putet, ut terram et maria deprimat. Boni lancem*, quod est in optimis libris, qui ex glossemate repetunt et aut *illam lancem* cum codice Bernensi (v. Orell. edit. p. 151) aut simpliciter *illam*, ut Baiterus, scribi volunt, suae inopiae alienam stultitiam vix credibilem praetendere videntur. Nec vero Bentlei coniectura *illam animi lancem* satis vel brevitate dicendi vel, quod maius est, per se ipsa defenditur: ex *animi* enim aut eius compendio *āi* qui potuerit *boni* oriri vix perspexeris. Beierus quod suspicatus est de Offic. T. II p. 211 *tantum praeponderari lancem putet* quid sibi velit me quidem prorsus fugit, sed tamen id verbum suppeditat, quod ad originem vitii aperiendam commodissimum sit. Nam *boni* et *hanc* inter se simillima esse nemo facile negaverit et *propendere* cum v. *praeponderare* permixtum ex eodem genere est, quod attigi III, 12.

Scripsi igitur *tantum praeponderare illam hanc lancem putet, ut terram et maria deprimat:* nam hanc esse vim *praeponderandi* verbo plane intellegitur ex l. de Offic. III, 18: *Qui autem omnia metiuntur emolumentis — neque ea volunt praeponderari honestate,* quocum conferas velim §. 36: *honestas omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia. Propendere* Ciceroni idem est. quod posterioribus *praeponderare* verbi vi neutrali: v. infra §. 86. *Deprimendi* verbum positum, quod mirum sit, in ea re, quae suo pondere alteram elevet, tuetur simillimus locus de Fin. V, 92.

19, 54. *Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse et eum quidem cum repulsa, si, quum sapiens et bonus vir, qualis ille fuit, suffragiis praeteritur, non populus a bono consule potius, quam ille a populo repulsam fert.* Nimis credulos, ne dicam leves, se praebuerunt, qui a Madvigio inducti *bono*, quod extat in optimis libris ante *populo*, ex prava repetitione ortum esse crediderunt. Beatos homines, qui quicquid incommodi aut impedimenti obiectum est tam molli pede transeant. *Vano* autem. quod in illius locum substitutum est ex codicibus quibusdam Oxoniensibus et editt. vett. ab Orellio idque etiam Bentleio probatum, haud scio an non minus prodat correctoris quamvis non insulsi manum quam illud in codice Relaudi inventum *malo;* nec vero satis placet ipsum vocabulum *vano*, quippe quod vitiorum admoneat, quae cum huius sententiae ratione discrepent, velut mendacitatis, gloriolae, perfidiae. Quare sic potius mihi persuasi, Ciceronem *bono consuli* opposuisse *non bonum populum*, quod quantum differat a *malo populo*, in quo nihil insit neque leporis neque veritatis, facile intellegitur. Nam illud quidem fieri nullo modo potest, ut *bono populo* per dissimulationem dictum putemus, quod neque per contrarii rationem licet. a quo abhorret *traductionis* (v. Goell. ad Orat. p. 261: *cum continenter unum verbum non eadem sententia ponitur*) forma; neque ille vocis *bonus* usus apud Latinos tam late patet quam apud Graecos vocabuli *χρηστός*, ut etiam *stultum* et *fatuum* significet: *vir* quidem *bonus* vel *optimus* etiam de improbissimis hominibus dici post Quintilianum monuerunt Heinr. pro Tullio 13 p. 78 et Osenbr. p. Rosc. Am. 23 p. 78. Atque ut hoc loco omissam putamus negationem *non* ante *bono*, ita temere ante idem vocabulum addita est in Nonii libris V, 87 verbis *quae bona malave videantur* (v. Tregd. p. 181).

19, 55. *At Cinna collegae sui consulis Cn. Octavii praecidi caput iussit, P. Crassi, L. Caesaris, nobilissimorum hominum, quorum virtus fuerat — cognita. M. Antoni, omnium eloquentissimi, quos ego audierim, C. Caesaris, in quo mihi videtur specimen fuisse humanitatis.* Coniecturae meae. quam cum vivo eo communicaram, non erat quod diffideret Tischerus.

Quoniam quid in collega Cn. Octavio fecerit Cinna plena et absoluta sententia declaratum est, nisi idem praedicatum *iussit* repetitur, aliud illum in ceteris qui secuntur viris fecisse necessario opinamur, quam nos fallere opinionem non nostro, sed scriptoris vitio cognoscimus. Simili olim remedio sanaveram corruptum locum pro Sest. 55: *Sed ut a mea causa iam recedam, reliquas illius anni pestes recordamini; recordamini — sic enim facillime perspicietis, quantam vim omnium remediorum a magistratibus proximis respublica desiderarit — legum multitudinem cum earum, quae latae sunt, tum vero, quae promulgatae fuerunt* (in libris mss. alterum *recordamini* omissum est). In Tusculanis eodem modo peccatum videmus in Gud. et Reg. III, 82 (*philosophia cum universam aegritudinem sustulit, sustulit etiam*). IV, 27 (*gravedinosos quosdam, quosdam torminosos*). IV, 47 (*ut perturbatio sit adpetitus vehementior, vehementior autem intellegatur is*). Ceterum *consulis* hoc loco qui deleri volunt non reputant, quantum augeatur facinoris descriptio in eo viro interficiendo, cui respublica summa commissa sit.

19, 56. *nam hunc illi duco simillimum.* Sensus, ut saepe, iterum fefellit Wesenbergium Em. I p. 27, cum scribi mallet *illius duco simillimum*. *Similis* cum dativo iunctum adiectivi servat naturam itaque in praedicato h. e. in similitudine sententiae caput inesse declarat; contra genetivus tanquam ex substantivo aptus maius sententiae pondus in se declinatum ostendit. Quod si h. l. *illius* scripsisset Cicero, hoc dixisset. neminem esse, qui cum Laelio recte comparari posset, praeter Catulum, quod quam ineptum sit apparet. Itaque recte se habet de Fin. IV, 65: *His similes sunt omnes, qui virtuti student;* pessime rursus vel de Nat. deor. I, 123 *homunculis similem deum* vel ad Fam. XI, 20, 1 *homo sibi simillimus.*

20, 58. *Ita sordido ancillarique artificio regiae virgines ut tonstriculae tondebant barbam et capillum patris.* Cum multiplex daretur h. l. coniectandi copia — nam nec transpositae *que* particulae rara exempla sunt (v. Madv. Em. Liv. p. 499) et omissa a librario vox *ancillari* facile ei verbo, cui praeponenda erat, subici potuit —, mihi illud praeferendum visum est, quod a codice Marburgensi et vett. editt. ante Victorium oblatum maximam demonstrandi vim haberet *sordido atque ancillari.* Neque enim omnia artificia sordida ancillarum servarumque sunt et regias virgines ancillari officio functas esse quid eo magis potest esse contrarium?

20, 60. *Sic distrahuntur in contrarias partes impotentium cupiditates. Quum huic obsecutus sis, illi est repugnandum.* Rem, quam ipsa natura rerum fert, quid tandem est, quod ad ratiocinationem revocet scriptor? An quicquam maius dici potest quam quod est? Itaque vel hic locus vitio liberandus fuit,

quod saepius iam attigimus: v. ad III, 71; de erroris fonte diximus ad IV, 46. Idem vitium cum resedisset in Tusc. V, 85 *cum — extulerint*, Madvigio auctore (de Fin. p. 690) expulsum est a Tregdero.

21, 61. *Nam quum quidam — commemoraret in sermone copias eius opes, maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum* etqs. Nollem obsecuti mihi essent de eiciendo vocabulo *opes* cum Tischero Baiterus. Nam et *opes* cum *copiis* multis locis coniunctae inveniuntur, quorum illud ad imperii vim, hoc ad rerum affluentiam pertinet, neque membrorum concinnitas adiecto v. *opes* ullo modo turbata est. Etenim *copiae et opes* tanquam universum potentiae genus complectentes ἀσυνδέτως iunctae (v. ad I. 31. Madv. Opp. Acad. I p. 490) hisque singulae generis partes tribus membris recte subiectae sunt; pronominis autem collocatio eadem est, quae p. Cluent 54: *timor eius, perturbatio, suspectus incertusque voltus, crebra coloris mutatio*, quae quo modo discribenda sint facile apparet. De verbis. quae sequuntur: *Visne igitur — ipse eam degustare?* v. ad IV, 6.

22, 63. *Quam huic erat miserum carere consuetudine amicorum — homini praesertim docto a puero et artibus ingenuis erudito. Musicorum vero perstudiosum, poetam etiam tragicum; quam bonum, nihil ad rem —. Sed ut ad Dionysium redeamus, omni cultu — carebat.* Hanc tam inconditam tamque hiantem orationem fuerunt qui ex anacoluthia vel. ut ipsi loquuntur, grata scriptoris neglegentia repeterent eamque documento esse clamarent, non ultimam his libris manum accessisse. Scilicet tam dissolutus fuit in scribendo vir optimus. qui se oracula narrare non sentiret. An quicquam illis accusativis magis obscurum, antegresso praesertim dativo, cui accommodari facillime potuerint? Has igitur ‚*horrendas ambages*' ab ipso scriptore profectas esse non magis credi potest quam quas eodem nomine notavimus II, 37 (*militiam*). Quid ergo? Bentleione parebimus dativos usquequaque reponenti: *musicorum vero perstudioso, poetae etiam tragico, quam bono, nihil ad rem?* Id vero fidei parum habet. Quare non dubitavi ex paucis libris deterioribus id verbum adsciscere, unde accusativi ratio plana fieret, *accepimus* idque post *tragicum* conlocare disiunctum ab eo, quod ipsa *vero* particula cum eis, quae antecedunt. conectendum esse declarat. Nam musicorum quod perstudiosus fuit Dionysius, ad eius universam humanitatem doctrinamque pertinet, cuius mentionem inchoaverat scriptor verbis *artibus ingenuis erudito;* quod ipse poeta fuit, id tamquam in cumulum addi parenthesi aliqua consentaneum fuit. Scripsi igitur *homini praesertim docto a puero et artibus ingenuis erudito, musicorum vero perstudioso; poetam etiam tragicum accepimus — quam bonum, nihil ad rem.* Per-

studiosum ut scriberetur effecit proxime secutus accusativus *poetam; fuisse* infinitivo, quem addit Lambinus, opus non esse demonstrat de Fato V, 10: *Stilponem — acutum sane hominem et probatum illis temporibus accepimus.* De omisso in optimis libris verbo *accepimus* idem est statuendum, quod de v. *accessit* III, 3, *fortuna* III, 73, *doloris* V, 84 (*defendet* in Reg. I, 10).

23, 65. *est enim ad portas Achradinas magna frequentia sepulcrorum.* Pro librorum scriptura optimorum *agragianas* dedi *agragentinas*, scriptum, ut videtur, agragтinas, ea adiectivi forma, quam libros mss. secutus Plinio maiori restituit Silligius. Quod Camerarius volebat probavitque Dorvillio in Siculis p. 193 *Acragantinas* sive *Agragantinas*, neque tam facile corrumpi in *agragianas* poterat neque ipsa Graeca forma, quam cur maluerit scriptor difficile dictu est, commendatur; in poeta quidem nihil haberet offensionis; v. Lachm. ad Lucr. p. 48. *Acraganas* autem Lambino vel *Agragianas* Wesenbergio defensum qua veriloquii ratione sustentari possit non video. *Achradinas* vero *portas* ex vetere Ursini libro, qui nullus est, invectas non magno molimine destruxit Wesenbergius Em. III p. 23.

ibid. *animum adverti columellam — eminentem.* Bentlei de hac syntaxi dubitationem dirimit certissimum exemplum Plauti Pseud. I. 2, 10: *nunc adeo hanc edictionem nisi animum advortitis omnes*, nihil ut causae sit cur optimos libros deseramus vel hoc loco vel de Inv. II, 153: *duo — naufragum quendam natantem — animum adverterunt* (sic Turic.). Sallustii (Iug. XCIII, 2) et Hirtii (de bello Alex. 65) suffragari libros et a Davisio ad h. l. et a Ruhnkenio ad Rut. Lup. p. 77 commemoratum est.

ibid. *Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum.* Re diligentius examinata iam mihi nec *milites*, quod ego nuper coniectaveram, nec *famuli*, quos in eorum locum substituit Lattmannus in Mützellii Diar. Rer. Schol. 1862 pro *multis* probandi videntur, et *milites* quidem, non quo risum moveant centuriatim, ut ait ille inludens, falcibus infestis ad tumulum accedentes, sed quod unde vel ipsi coacti aut ex quo armamentario falces apportatae sint difficile dictu est; *famuli* vero multo minus, qui cuius fuerint aut unde falces habuerint aeque latet. Mallem *rustici*, quos certe in suburbio habitasse eorumque in manibus fuisse illud instrumentum putandum est; sed rusticos fuisse operarios propter falcium mentionem nullo negotio intellegitur; plus intererat addi *multos* fuisse, ne quis tam spissum opus tam celeriter confectum mirari posset.

23, 66. *alterius mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur cum oblectatione sollertiae, alterius in caede et iniuriis cum et diurno et nocturno metu.* Quid secutus Baiterus ex duobus nullius auctoritatis libris *in iniuriis* adsciverit non perspicio:

nam neque genere diversae sunt caedes et iniuriae neque cur singulas voces tam diligenter secerneret scriptor quicquam causae erat; immo aequabile vitae genus alterum alteri omissa praepositione rectius multo opposuit. Itaque vel hoc loco comprobatur verum esse quod Zumptius statuit ad Div. in Caec. XII, 41 p. 29, tutissimum esse in hac re non incertum aliquem sensum, sed auctoritatem sequi librorum.

24, 68. *Ex quo triplex ille animi fetus existet, unus in cognitione rerum positus et in explicatione naturae, alter in descriptione expetendarum fugiendarumve rerum, tertius in iudicando, quid cuique rei sit consequens.* Primum hoc apparet, ad philosophiae munus non tam proprie pertinere *describere* quae bona malaque sunt, quam quid bonum sit, quid malum, definire et constituere, quod ipsum inest in *discribendo*, sine quo nec ipsa bona malaque inter se discerni nec fines bonorum malorumque inveniri possunt. Quare hoc quidem recte Baiterus, quod ex optimis libris *discriptione* dedit (v. ad IV, 3), sed prave idem et huic ipsi sententiae, quae subest discriptionis vocabulo, contrarie scripsit *expetendarum fugiendarumve rerum.* Sunt sane quidem et expetendarum et fugiendarum rerum certi quidam gradus et sua cuiusque generis discrimina, quae nosse vehementer utile est; sed tamen philosophi hoc unum maxime interest, ut quid fugiendum, quid expetendum sit quamque late utriusque generis fines pateant cognoscat ac perspiciat. Non igitur *fugiendarumve* scriptum oportebat, sed *fugiendarumque*, ut est in Gud. et Reg. utque ediderant Lamb. et Dav. edit. 1, nisi quod illi libri ex dittographia scilicet addunt *ve.* Quod sequitur in iisdem mutilum sine dubio et decurtatum *ne vivendi* (in Reg. et *ve* et *ne vivendi* erasa sunt), rectissime, ut mihi videtur, suppletum est a Wesenbergio *et in ratione vivendi*, qui nihil nobis reliquit nisi ut in tertia quoque philosophiae parte Regii secuti vestigia (*iudicandone quid)* congruens et conveniens antecedentibus substantivum *iudicatione* (iudicatione) restitueremus: cfr. IV, 26: *Haec autem opinatio est iudicatio se scire, quod nesciat.* Sic omnia substantiva et ipsa quoque *ratio vivendi* artem facultatemque significant ex ingenio ad veritatem investigandam incitato profectam.

24, 69. *Quo tandem gaudio affici necesse est sapientis animum cum his habitantem — curis, ut, quum totius mundi motus — perspexerit* etqs. Neque abiciendum est *ut*, quod Bentleio et Davisio visum, neque in eam sententiam interpretandum, quam voluit Moserus: nam ab exempli non ficti, sed veri ratione alienissimus est coniunctivus *perspexerit — viderit;* ac ne tempus quidem convenit cum participiis *habitantem pernoctantemque*: cfr. §. 70. Immo dicturus scriptor, quid curis illis efficiatur, unde tantum sapientis animus gaudium percipiat:

ut, cum — perspexerit, ipse se adgnoscat coniunctumque cum divina mente se sentiat (§. 70), parenthensi interposita et structurae intercapedine facta insequenti capite id, quod in animo habuit, subicit. — Extrema paragrapho vehementer errant qui cum Victorio et Lambino scribendum censent *unde terra et quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria sustineat.* Haec qui legit, si modo Ciceronis consuetudinem novit, non potest non una complexione comprehensa cogitare, non, ut illi volunt, ad priorem enuntiati partem *sit* audire (v. ad I, 86. IV, 28): ex quo quam prava sententia nascatur dicere me non opus est. Rectissime igitur Davisius *sustineant in*, quod est in Gud. et Reg., id ipsum ex *sustineantur* corruptum esse scribendumque vidit *quibus cavernis maria sustineantur, qua omnia* (et terra et maria) *delata gravitate medium mundi locum semper expetant* (cfr. I. 40). *In qua* qui retinent idque interpretantur: *quo modo fiat, ut in ea* (terra) *omnia delata sua gravitate — expetant*, primum grammaticae vim adferunt, dein sententiam ipsam pervertunt: nam terra ipsa, non omnia, quae in ea sunt, medium mundi locum semper expetit.

25, 70. *Haec tractanti animo — existit illa a deo Delphis praecepta cognitio, ut ipsa se mens adgnoscat —, ex quo insatiabili gaudio compleatur.* Miror tot doctis hominibus tam facile impositum esse a Bentlei auctoritate, ut *compleatur*, quod esset in omnibus libris mss., mutandum censerent. Nam stultissime facere, qui coniunctivum ad praeceptum dei referri velint, quid est quod dicam? praesertim cum illud ipsum *ut — adgnoscat* non dei sit praecipientis, sed Ciceronis explicantis *illam cognitionem*, ut nullo negotio intellegatur *ex quo — compleatur* ad eundem philosophiae effectum spectare idemque valere quod *atque ex eo.* Atque hoc maxime coniunctivo quid voluerit scriptor, cum orationem §. 69 sic incoharet *ut, cum — perspexerit*, plane cognoscitur.

ibid. *Ipsa enim cogitatio de vi et natura deorum studium incendit illius aeternitatis imitandae neque se in brevitate vitae collocatam putat, cum rerum causas alias ex aliis aptas — videt.* Multiplex de hoc loco error est Wesenbergii Em. II p. 42: neque enim vidit, quod pridem perspectum erat Buherio, *illius* non cum *aeternitatis* iungendum, sed ex v. *studium* aptum et ad *mentem*, quod modo subiectum antecesserat, referendum esse, ut rectissime se habeat, quod excepto Pithoeano in omnibus libris invenitur *conlocatam*. Idemque *aeternitatis imitandae* scripsit contra librorum, ut videtur, omnium, ut certe confirmare possum, optimorum testimonium, Madvigii secutus praeceptum de Fin. I, 60 p. 112 sqq., quod profecto eiusmodi est, ut et rationis vi ac pondere, quae mihi quidem in deformitate soni vitanda maxime posita videtur, et exemplorum copia praeclare stabiliatur: nam

Terentii locum ex Hec. III, 3, 12, qui unus obstare videtur: *eius* (mulieris) *videndi cupidus*, satis specioso argumento elevavit Madv. l. l. Qua re commotus id, quod verum ac germanum esse omnia probant, *imitandi* retinui, *aeternitatis* autem. quod *aeternitatē* scriptum proclivi errore cum *illius* conecti eique accommodari potuit (v. ad I, 37), mutavi in *aeternitatem*. Atque id ita oportuisse scribi, quo structurae ambiguitas tolleretur, paene mihi persuasum est.

25, 72. *Quid eo possit esse praestantius, quum [contineri] prudentia utilitatem civium cernat, iustitia nihil in suam domum inde derivet, reliquis utatur tot tam variisque virtutibus?* Omissum in uno alterove futili libro v. *contineri* post Lambinum nemo fuit interpretum quin expellendum putaret; Moseri quidem Tischerique, qui eius defensionem susceperunt, conatum refutavit fregitque O. Heinius Progr. Posn. p. 13. Etenim sapientis praestantia vel in eo est, ut prudentia sua utilitatem civium contineat, vel ut cernat, quae sit illa utilitas; quod vero prudentia non sua, ut illi sine ulla ratione volunt, sed omnino utilitatem civium contineri cernit, in eo nec praestantiae quicquam nec usus virtutis ullus cognoscitur. Quamobrem ne illud quidem probari potest, quod primum mihi in mentem venerat *cum contineri prudentia utilitatem civium cernat sapientia*, quo modo ut membrorum concinnitas restituitur, ita sententia nihilo sanior fit. At unde tandem illud *contineri?* de quo ne auctor quidem expellendi Lambinus aliud potuerit excogitare quam quod nulla fide dignum sit. semidoctum aliquem, quod quidpiam deesse videretur, hoc verbum e regione huius loci adscripsisse aut etiam in textum invexisse. Miram doctrinam, quae rebus luce clarioribus tantas obducat tenebras! Istud igitur ab animo meo non potui impetrare ut crederem: placuit scribendi lapsum adgnoscere eumque corrigere in hunc modum: *cum fidens prudentia utilitatem civium cernat*. Cfr. de Offic. I, 81: *Haec sunt opera magni animi et excelsi et prudentia consilioque fidentis* coll. Tusc. V, 8: *qua maxime arte confideret*, quod verbum ad efficiendi facultatem spectare docet de Offic. I, 73. Nihil hoc participio ad mitigandam ablativorum maximeque *iustitia* asperitatem opportunius esse quis non videt? Vitii origo et causa fuit repetita *cum* sillaba (cfr. I, 7 *commotus* in Gud. et Reg. pro *cum motus*); terminationes autem *eri* vel *eris* et *ens* facillime inter se permutari ostendunt, ut exemplum adferam, Gud. et Reg. II, 31 *intueris* exhibentes pro *intuens*.

ibid. *Adiunge fructum amicitiarum, in quo doctis positum est cum consilium omnis vitae consentiens — tum summa iucunditas e cotidiano cultu atque victu.* Cum mutuae sint amicitiarum commoditates idque in *consilio omnis vitae consentiente* satis declaratum esset, necesse erat summam illam iucunditatem

e cotidiano *convictu*, non *victu*, repetere. Hoc igitur, quod flagitat sententiae integritas, quomodo verbis expressum fuerit ab ipso scriptore, monstratur optimorum librorum scriptura *victurus* id est *e cotidiano cultus atque victus usu* (aus dem Verkehr im Privatleben). Ita *cultum atque victum*, qui domesticus et familiaris est, *vitae omni*, cuius maior pars ad rempublicam pertinet, eadem dicendi brevitate, quae cernitur in genetivo, opposuit. *Vitae* quidem *communis usum* satis tritum loquendi usu nemo profecto ignorat.

26, 73. *An Epicuro, qui tantummodo induit personam philosophi* —, *dicere licebit* etqs. Nescio quid ineptae dicacitatis habet quod est in optimis libris *quia tantummodo induit*, idque iure spretum a plerisque editoribus. Contrario vitio *qui* pro *quia* scriptum invenitur in Gud. et Reg. II, 60; *quia* pro *qui* ante *a* litteram III, 78.

26, 74. *Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem consuetudinemque patiendi, praecepta fortitudinis, duritiam virilem* etqs. Verba ineptissima *praecepta fortitudinis* ex margine, ubi pro indice posita erant, temere inlata (v. ad III, 3) me auctore delevit Tischerus adprobavitque O. Heinius Progr. Posn. p. 13, uncis inclusit Baiterus. Fontem etiam, ne quid dubites, unde manarint, possum ostendere de Fin. II, 94: *Fortitudinis quaedam praecepta sunt ac paene leges, quae ecfeminari virum vetant in dolore.*

27, 76. *Sint enim tria genera bonorum* —, *sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa iaceant humi* —, *alia autem illa divina* — *caelum attingant*, [*ut*] *ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim?* Licet mirari tenacem pravi, ut ait poeta, hominum superstitionem, quae errorem scribendi manifestum et vulgarem propagare et in scriptoris optimi artificium incredibilia conferre quam monstrata veritate stultitiae suae se damnare maluerit. Quamquam ab hoc crimine liberandus nunc est acerrimus olim erroris defensor O. Heinius Progr. Posn. p. 12, qui sero intellexit, id quod verissime Madvigius de Fin. p. 211, frustra anacoluthi nomine obtegi, quae institutam structurae rationem subito nulla causa, nulla orationis inflexione, nullis interpositis, alio transferrent; velut hoc loco concessionem per plura membra aequabiliter ductam subito abrumpi relinquique *ἀναπόδοτον* volunt. Hoc igitur fieri nullo pacto posse et Lambino, qui primum vidit, et Wesenbergio, qui rem argumentis probavit Em. II p. 14, credendum fuit. De *ut* ex praecedenti *nt* orto v. Madv. Em. Liv. p. 89. 170; idque etiam in *et* particula saepissime factum, ut post *nt* temere vel omitteretur vel adderetur, docet idem eodem loco p. 193. 273. 431. 468. et p. 555.

29, 83. *Et quoniam videris hoc velle —, quod quidem Carneadem disputare solitum accepimus, sed is ut contra Stoicos, quos studiosissime semper refellebat et contra quorum disciplinam ingenium eius exarserat, nos illud idem cum pace agemus.* Librorum scriptura *nos illud quidem* a duobus viris satis, ut videtur, probabiliter emendata cum sit, a Buherio in *nos illud idem*, a Wesenbergio Em. I p. 21 in *nos quidem illud*, utrum utri praeferendum censebis? Neutrum nempe, si vocis *quidem* nec litterula nec loco mutato scribendum cognoveris *nos illud quiete et cum pace agemus.* Ita alterum adverbium *quiete* contrarie refertur adverbio *studiosissime* significatque *languidius, remissius;* alterum *cum pace* id est *tranquille* respondet ardori contentionis (*exarserat*); cfr. IV, 49. De *et* post *e* (*quiete*) omisso, sequente praesertim *t* vel *e*, cfr. I, 98 *iuste eum fide;* III. 66 *curae aegritudinis;* IV, 22 *mente a recta ratione;* idem additum habet Reg. IV, 8 *aegritudine et sublatus*, Gud. et Reg. V. 87 *longe et retro ponenda.* V. ad II, 27.

30, 84. *nihil bonum nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat.* Qui de naturae primis bonis dubitarunt, cum tamen viderent eadem aliis locis a Cicerone prima naturae commoda appellari (de Fin. V, 58. Acad. II, 138), primum quid interesset inter *bona* et *commoda*, quae mihi quidem nullo discrimine separari videntur, non explicarunt; deinde *prima naturae*, quae volunt. neque ipsa bona esse, sed primas adpetitiones naturales, unde prima naturae bona efflorescerent (v. Madv. de Fin. p. 831), neque frui illis quemquam posse, sed duci ad ea, quae fruenda essent. intellexisse putandi sunt. Quod si alibi Cicero has res natura diversas in unum confundit, alieno id exemplo et saepe non sine magna sententiae obscuritate facit, ut demonstratum est a Madvigio l. l. p. 832 sqq., neque id vitio vertendum Romano homini, si quidem etiam Clitomachus affirmabat numquam se intellegere potuisse, quid Carneadi probaretur (Acad. II, 139).

30, 85. *Nec enim licet iis, qui laudem cum dolore petendam esse dicant, negare eos esse beatos, qui illam adepti sunt.* Laus per se ipsa *expetenda* est, sed cum dolore id est dolore tamquam socio addito, qui ad potiundum poterat esse impedimento, *petenda* id est *paranda.* Ut igitur haec res fefellit Bakium, ita idem de modorum (*dicant — sunt*) ratione rectissime iudicavit. Aut enim dicendum erat *nec enim licet iis, cum — dicant, negare* aut *nec enim licet iis, qui — dicunt, negare; sint* autem *adepti* cum per se necessarium est, quod non certum quoddam genus hominum circumlocutione describitur, tum firmissime munitur coniunctivo qui sequitur *quamquam enim sint*, qui ipse nisi praegresso coniunctivo ratione explicari nulla posset.

31, 87. *Sequitur igitur horum ratione vel ad supplicium be-*

ata vita virtutem cumque ea descendet in taurum —, nec eam minis (blandimentis) corrupta deseret. Multo minus hoc loco dubitationis habet asyndeton *minis* (nam id esse *minimis* optimorum librorum quis negat?) *blandimentis*, quam III, 6 *omnibus opibus viribus*: utrumque summo iure defendit O. Heinius Progr. Posn. p. 8. Quod si nunc minus commodum videtur Wesenbergio Em. II p. 11 propter zeugmatis, quod vocant, rationem, huic ille certe nimium tribuit, quod mihi quidem aut nullum aut minimum videtur: nam *corrumpere* etsi proprie in rebus blandis ponitur, tamen ipsa verbi vi in omnia cadit, quaecumque ut quis a recta via deflectat neque iam integer moribus sit efficiunt. Ipsam autem sententiam *nec eam — deseret* non iam ad Phalaridis taurum atque supplicium referendam esse eamque universo quodam iudicio vim omnem virtutis in utramque partem complecti res ipsa declarat. De vitii genere v. ad §. 120.

ibid. *Nemo est enim, quin [eorum] bonorum animum putet esse iudicem.* Prorsus inani argumento impugnavit Wesenbergius Em. I p. 21 eorum sententiam, qui pronomen *eorum*, ut et optimi libri et Nonius postulant, cum v. *bonorum* iungunt: negationem enim *(nemo est)* non ad omnes omnino homines pertinere, sed ad eos referri, qui modo nominati sunt, *Epicurum, Hieronymum et si qui sunt, qui — curent defendere*, quis tam captus mente non videat? *Eorum* autem *bonorum* rectissime Cicero, quia non universum genus, quod quidem vulgo vocatur, complectitur, sed ea significat, quae a philosophis in sententiis de finibus nominantur, quibus beatam vitam contineri volunt.

31, 88. *Quid? is tibi mortemne videtur an dolorem timere, qui eum diem, quo moritur, beatum appellat? An* particulam ab interrogatione eiusdem generis nomina copulanti alienissimam esse primus vidit Tischerus recteque revocavit ex Vindobonensi *aut dolorem;* similiter peccatum cum saepius tum in Guelferb. paulo ante in verbis *Quis enim parum est contra mortem aut dolorem paratus?* memoravit Moserus. Sed eundem Tischerum de collocanda *ne* particula egregie lapsum esse vel haec exempla demonstrant ex ipsis Tusculanis petita: II, 28: *nec tam quaerendum est, dolor malumne sit;* II, 31: *Quid ergo? ea (prudentia) patieturne te quicquam facere?;* III, 4: *Quid? qui pecuniae cupiditate feruntur —, iis nullane est adhibenda curatio?;* III, 8: *Quid? tibi omnisne animi commotio videtur insania?;* IV, 59: *utrum illudne non videatur aegre ferendum;* V, 26: *sed hoc isne dicit, qui — opprimi possit?* Atque ex hoc maxime loco, quem extremum posui, quid discriminis intersit inter vulgatum h. l. verborum ordinem et eum, quem volt Tischerus, luculentissime apparet: *isne* si dixisset Cicero, certe subiecisset *qui — appellet* (ein Mann, der); nunc pronomen *is* ad eum, quem modo descripserat *(ab eo, quem mollem*

dicimus), nulla opponendi vi referri. relativo autem enuntiato ipsius interrogationis, quam proposuerat, refutationem contineri voluit, quod quo magis appareret, poteram interrogationis signum post *timere* ponere; transposita vero particula *ne* mortem ac dolorem ea esse significavit, quae cum maxime quaererentur. V. Madv. de Fin. II, 107 p. 325.

31, 89. *Qui tandem isti grandiloqui — melius se habent quam Epicurus?* Vide de h. l. ad I, 12.

32, 90. *An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere; nostrates philosophi facere non poterunt?* Sunt qui *nostrates* philosophos Graecos interpretentur idque inde repetendum censeant, quod bonus Cicero oscitanter ex Graeco vel Zenonis vel alius libro vertisse videatur. Quid quaeso aliud est sua peccata in alienam culpam eamque incredibilem transferre? Istorum causa somniorum, quae a Wesenbergio profecta Em. III p. 29 ad alios manarunt, perfectum fuit, quod in optimis libris extat, *potuerunt*, quod cum futuro mutandum esse pridem intellectum est a Lambino. Ab ipso auctore et parente familiae Epicuro transit Cicero ad suae aetatis gentisque Epicureos eosque item paratos *esse*, non *fuisse* contra paupertatem demonstrare vult. Nihil igitur adferunt, qui ex consequenti enuntiato, quod praeteritorum revocet memoriam, ad illud perfectum *potuerunt* stabiliendum aliquid praesidii ac firmamenti petunt; immo ita etiam credibilius fit, quod nemo umquam philosophorum fecerit, id ne Latinos quidem Epicureos esse facturos. Nam illud quidem non attinet dicere, alienissimum esse quem proferunt ex §. 103 *nostrum Demosthenem*, quasi hoc idem sit quod *Graecum* Demosthenem ac non, ut nostratium more loquar, *amicum meum*. *Poterat* pro *potuerat* habet Medic. a prima manu ad Attic. I, 16, 3.

ibid. *Omnes fere philosophi omnium disciplinarum nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsisset, eodem hoc animo esse potuerunt.* Haec si a Tacito aut aliquo argenteae aetatis scriptore dicta essent, quid vellent recte intellegerem; ad Ciceronis normam si interpretamur, sententiae vitio laborant. Quorsum enim spectat haec condicionalis forma enuntiati: *Omnes philosophi, nisi fuissent, quos natura vitiosa — detorqueret, eodem hoc animo esse potuerunt vel potuissent?* quam quominus probemus impedit et adiectum *fere*, quod non licet ad rem cogitatam ipsaque mente comprehensam atque fictam accommodare, et vero exempla, quae subiciuntur, quae rem factam, non talem, quae potuerit fieri, declarant. Scribendum igitur fuit *nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsit.* Contrario vitio liberavit Madvigius Em. p. 172 Livium VIII, 35: *Forte ita eo anno evenit, ut, quotiescumque dictator ab exercitu recessisset* (vulgo *recessit*), *hostes in Samnio moverentur.*

32, 94. *Hoc loco multa ab Epicureis disputantur eaeque voluptates singillatim extenuantur; quarum genera contemnunt, quaerunt tamen copiam.* Aberrasse a vero Madvigium de Fin. p. 94, cum deleta *non* particula sic explicaret locum: *Generatim voluptates contemnebant et extenuabant, velut obscenas, cibi, ceteras; vivere tamen in omnium copia malebant,* vel hoc documento est, quod ad genera voluptatum universa eandem transtulit rem, quam in singulis fieri dixerat Cicero, ut extenuarentur. Accedit, quod accurate distinxit scriptor genera voluptatum, cum scripsit *eae voluptates, quarum genera* sive, quod dubium est, *contemnunt* sive *non contemnunt:* ex quo efficitur id quod dictum sit neque in omnia genera voluptatum convenire, ut vult Madvigius, neque in unum illud, quod secundo loco positum est, ut censet O. Heinius Progr. Posn. p. 13. Quod cum tertium illud genus Epicurei funditus eiciendum putarent nec esset cur eius voluptates singillatim extenuarent, relinquitur, ut duo priora genera intellegantur et necessariarum et naturalium (de Fin. I. 45. 46); idque ita esse ea, quae deinceps dicuntur de obscenis voluptatibus, quae ad secundum genus pertinent, et de victu, qui primi generis est, plane demonstrant. Horum igitur genera Epicurei *non* contemnebant, quoniam voluptatem ipsam per se, quia voluptas esset, semper optandam putabant, sed tamen earum copiam quaerebant, hoc est genera ita probabant, ut tamen singularum voluptatum non multitudinem, quod prorsus ineptum est, sed et parandi, ut ita dicam, facilitatem et potiendi opportunitatem quaererent. Nam id semper cavebant illi homines, *ut et necessariae cupiditates nec opera multa nec impensa explerentur et naturales ne multa desiderarent* (de Fin. l. l.). Tenenda igitur est et librorum scriptura *non contemnunt* et explicatio Orellii; *copiam* quidem nunc simpliciter eadem vi dixit scriptor qua infra §. 99 *copiam facilem;* facilitatem interpretaremur, nisi huic verbo alia subiecta esset notio.

33, 95. *Totumque hoc de voluptate sic ille praecipit, ut voluptatem ipsam per se, quia voluptas sit, semper [optandam] expetendam putet.* De duabus, quas Wesenb. Em. II p. 11 proposuit, coniecturis alteram recepi *optandam et expetendam.* Sic enim et scriptum legimus V, 42 *illam maxime optatam et expetitam securitatem* similiterque peccatum a librario videmus V. 76 *corporis externa* pro *corporis et externa.*

34, 98. ' *labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, fames, sitis.* Wesenb. Em. I p. 21: ,Sic codices', inquit, ,quasi venantes tantum Lacedaemonii, non item currentes sudaverint.' Venantes sudasse Lacedaemonios non mirum est videri ei, qui venatores in montibus uri fecerit II, 40. Itaque hoc quidem apparet, sudorem non ex venatu, sed ex cursu manare: haec autem si rei amplificandae causa dissolute posuisset Cicero, dixisset

certe *cursus*, *sudor*, non inverso ordine *sudor*, *cursus*. Quare non dubitavi quin deleto commate alterum vocabulum ex altero suspensum darem.

34, 99. *Quamquam si quaedam etiam suaviora natura desideret, quam multa ex terra arboribusque gignuntur, quum copia facili tum suavitate praestantia.* Quod Lambinus voluerat propter membrorum nimirum aequabilitatem, cuius perstudiosum novimus Ciceronem, probaratque Wesenbergio Em. III p. 28 *cum copia facili tum suavitate praestanti*, id iam in textum videmus receptum a Baitero nulla, ut mihi videtur, iusta causa. *Copiam facilem* dixit Cicero, quam supra simpliciter *copiam* §. 94, una notione facilem ad eas res potiendas aditum complexus.

35, 102. *Cur igitur divitiae desiderentur aut ubi paupertas beatos esse non sinit? Signis, credo, tabulis, ludis. Si quis est qui iis delectetur, nonne melius tenues homines fruuntur, quam illi qui his abundant?* Sublatis abstersisque, quas nescio qua culpa mea reliquerat Tischerus, maculis emendatum hunc locum dedimus in Mützellii Diar. Rer. Schol. 1860 p. 68: *Signis, credo, tabulis studes:* nam *et*, quod ille cum Baitero addidit, neque libri adgnoscunt neque ego addendum putaveram, qui nihil hoc asyndeto rectius esse intellegerem: v. Madv. Opp. Acad. I p. 490. *Studendi* autem verbum in re proprie dici, ad quam quis animi voluntate feratur eiusque usu in primis delectetur, cum ex Verrino illo, ut ipso vocabat, *studio* (v. Zumpt. et Halm. ad Verr. IV, 1) et quod proverbii simile est de Fin. V, 5: *suo quisque studio maxime ducitur*, tum ex Terentii Andr. I, 1, 28 (v. Ruhnk. ad h. l.) satis constat. *Stupes* quod volebat O. Heinius, neque per se aptum est, quippe quod in baronem potius quam in quemlibet hominem caderet (de Fin. II, 77), neque hac vi mirandi praeditum ablativo iungi licet; Horatius Serm. I, 6, 17 de stulto populo ‚*stupet in titulis et imaginibus.*' De pronominibus *iis* — *his* mutandis secuti sumus Wesenbergium Em. I p. 19. — In verbis, quae secuntur, cum in Gud. a prima manu extaret *nostrae urbe*, scripsi, ut in editt. vett. vulgatum erat, *nostra in urbe* (nostraıurbe). Praepositionem Fr. A. Wolfius per se satis probabiliter ante *nostra* addiderat praegressa praesertim *m* (*omnium*) littera: v. I, 27 et saepius; reiciendam qui putarunt vel similitudine ducti ablativorum *tota urbe, media urbe*, ut Moserus, vel propter sequens *in publico*, ut Orellius, egregie lapsi sunt: similitudo enim, quam volunt, nulla est, repetitae autem praepositionis in parte cum toto iuncta creberrima sunt exempla, velut de Fin. V, 4 *in omni parte Athenarum in ipsis locis;* de Orat. I. 109 *in principio in omnibus disputationibus*, II, 301 *in causis in omni parte orationis;* genus ipsum loquendi, quod vocant *καθ' ὅλον καὶ μέρος*, notissimum est.

37, 106. *Id (exilium) si propter alienam et offensam populi voluntatem malum est, quam sit ea contemnenda, paullo ante dictum est.* Ex eo, quod nulla sententia optimi libri *sicuta paulo* (in Gud. ex *sicut apollo* correctum eadem manu), factum deinde in deterioribus *sicuti* cum ab omnibus editoribus expulsum esset, suo ac debito patrocinio ita defendit O. Heinius Progr. Posn. p. 9, ut pro *sicuti* scribendum putaret *sapienti*, quod sententiae certe aptum esse ea ostenderent, quae secuntur §. 107: *de sapiente enim haec omnis oratio est.* At haec ipsa tum primum sapientis admonitum esse Ciceronem declarant; nec vero vestigiis leviter factae correctionis *sicuti* insisti oportuit. Mihi in *sicuta* relictâ videtur pars maior eius vocis, quam requiri ea ipsa, quae paulo ante §. 103. 104 dicta sunt, demonstrant: *contemnenda ac levicula*, quam vocem etiam de rebus contemptis ac vilibus poni testatur Ern. Lex. Cic. s. v. *levis.* De vitii genere cfr. I, 72 *vitiis* pro *spurcitiis*, V, 48 *alacritate ulla* pro *alacritate futili.* Multo mihi minus placet in quod ante incideram *quam est ea contemnenda! sicuti paulo ante dictum est.*

37, 107. *Iam vero exilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt.* Ineptissimam particulam *demum*, quam etiam Hand. Turs. II p. 259 interpretatione prorsus inani tuetur, quam corruptam esse librorum optimorum scriptura *damna* plane ostenderet, recte correctam a Davisio post Wesenbergium Em. III p. 32 nemo editorum non adgnovit. Philosophorum, qui secuntur, ordinem restitui de sententia O. Heinii (Iahn. Annal. Phil. 1862 p. 500): nam in *Panaetii* maxime loco erratum esse a librariis illud indicio est, quod ab eius nomine omittendi initium ductum est in Gud. et Reg.

ibid. *At enim sine ignominia * * afficere sapientem; de sapiente enim haec omnis oratio est.* Quaecumque de hoc loco propositae sunt coniecturae, veritatis, ut ait Moserus, non modo speciem aliquam certam, sed ne similitudinem quidem prae se ferunt. Velut una illa ex duabus Orellii, quam in textum recepit Tischerus: *At enim sine ignominia. Ignominia poterit afficere sapientem?*, quam ipse ita interpretatur: ‚At enim nulla ignominia afficiebantur peregrinantes isti philosophi contra quam est in vero exule, ignominia sane notato. Nihilo minus ergo exilium malum. Respondet Tullius: Ignominiane poterit exilium afficere sapientem, etiamsi revera sit exul, non peregrinetur suo arbitratu?', ea quid potest esse vitiosius? Quis enim occupationis illius subiectum credat esse philosophos aut, si credat, quis mutati in proximo enuntiato subiecti, quod quidem nullo modo indicatum atque *ignominia* voce vel maxime obscuratum est, rationem ferat? Quare equidem alteram eiusdem viri con-

iecturam, quam item Bentleius fecerat, praeferrem hanc: *At enim non sine ignominia. Ignominia poterit afficere sapientem?*, in hoc certe laudabilem, quod utrobique idem subiectum *exilium* retinet, nisi, quod recte senserat Manucius, molestissima esset eius ipsius verbi, unde subiecti notio percipiatur, praetermissio sive *erit* sive *est*. Et hoc igitur et negationem, quae abest ab optimis libris, inesse intellego in v. *enim* scribendumque *At est* (*ē*) *non sine ignominia*. Iam in iis, quae secuntur, *poterit* verbum in libris aliquot deterioribus, etiam in Bernensi, inventum correctoris manum neque eius tam sciti aperte prodit; probabilius certe illud Wesenbergii Em. II p. 5: *An potest ignominia afficere sapientem?*: ita denique quae erroris causa fuerit cognosci potest. Sed illud haec ipsa coniectura habet incommodi, quod, nisi subiectum est *ignominia*, interrogationis vis ad nihilum recidit; ignominia autem *afficere* sapientem non potest nisi certo aliquo modo, quod nec dictum est et quam alienum sit a sententia apparet. Scribendum igitur certe fuit, ut quosdam doctos voluisse tradit Lambinus: *An potest ignominia attingere sapientem?*, ut IV, 39 *qui error — sapientes ne attingat quidem omnino*, V, 17 *ex quo nec timor eum nec angor attingat*, saepius. Atque hoc ego verbum utique tenendum censeo, cetera sic expedio: *Eamne attingere sapientem?* Scriptum erat *eāne* idque pro *eam* habitum atque in *eā* contractum deinde post *ia* (*ignominia*) omissum, ut supra §. 43 *ea* post *omnia*. Ut nos hoc loco ex *afficere* verbo *attingere*, ita de Legg. I, 35 Mauricius Hauptius, ut audio, certissima coniectura restituit: *Ex iis enim, quae dixisti, effici* (libri *Attice*) *videtur ex natura ortum esse ius*. *Attingere* et *affligere* permixta sunt de Univ. V, extr. De *c* et *g* permutatis cfr. III, 63.

38, 112. *Nam illud Antipatri est quidem paulo obscenius, sed non absurda sententia est.* Miror tam diu tolerari potuisse quod contra morem optimi cuiusque scriptoris esse grammatici doceant, velut Madv. §. 489, b; scribendum erat necessario *est id quidem paulo obscenius*: nihil enim interest utrum *illud Antipatri* an quodvis aliud subiectum ponas velut *Ambiguum per se ipsum probabile id quidem, sed admirationem magis quam risum movet* de Orat. II, 254. Scriptum, ut videtur, *ēit* pro *est* habuerunt librarii. Similiter *it* (*id*) ante *efficit* omissum de Fin. V, 22 ex libris revocavit Madvigius: *Sed ipsum honestum, quod amplecti volt, id efficit turpe.*

ibid. *Pueris nobis Cn. Aufidius — videbat in litteris.* Bentleianum illud, quod in vetere libro se invenisse dictitat Ursinus *vivebat in litteris*, omnium minime convenit in eum virum, qui in litteris ita versatur, ut tamen a republica non recesserit. Exules quidem aut exclusi a foro et curia in litteris vivunt (ad Fam. IX, 26, 1), atque etiam, si summam inde salutem petunt,

litteris vivunt (ad Fam. XIII, 28, 2). Rectius esset *vigebat in litteris*, ut I, 57 *nisi animus — in rerum cognitione viguisset.* Sed hoc in confectum aetate, non in caecum quadraret. Nunc Cicero, cum historiam a litteris disiunxerit, litteras, ut saepe, philologorum artes appellavit acuteque acuti ingenii philologum descripsit, Sophoclem illud secutus, quo Victorius usus est, Oed. R. 396: ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσι Μόνον δέδορκε τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός.

39, 113. *Is vero* (*Diodotus*), *quod credibile vix esset, quum in philosophia multo etiam magis assidue quam antea versaretur* etqs. Coniunctivus *esset*, qui non ferendus videtur Bakio et a Tischero mutatus est, satis defenditur exemplis de Nat. Deor. III, 62: *in enodandis nominibus, quod miserandum sit, laboratis;* de Orat. I, 40: *haec aetas nostra, quod interdum pudeat, iuris ignara est;* ad Fam. IV, 3, 4: *quod facile appareat.*

39, 114. *quum alii saepe quod ante pedes esset non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret.* Sic scriptum locum, ut est in vetustissimis editionibus et in deterioribus aliquot libris, tuetur simillimus de Nat. Deor. I, 54: *immensa magnitudo regionum, in quam se iniciens animus et intendens ita longe lateque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere.*

40, 116. *Nostri Graece fere nesciunt nec Graeci Latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi, omnesque nos in iis linguis, quas non intelligimus, quae sunt innumerabiles, surdi profecto sumus.* Ut concedatur, quod affirmat Davisius, illo tempore non paucos fuisse inter Romanorum nobiles, qui Epicuri partes sequerentur, qui quidem Graecis litteris eruditi essent, nihil tamen inde efficitur ad Epicureos, quos hoc loco omnes libri tuentur, expellendos atque adeo cum Opicis, quos Faërni ingenium invenit, commutandos. Epicureos suae gentis aetatisque, quotiescumque commemorat Cicero, non satis eruditos artisque omnis expertes vocat: v. Tusc. I, 6. II, 7. Acad. I, 2, 5. Quod etsi ipse Amafinius aut Rabirius fortasse Graece sciebat, tamen plerosque (*fere*) eorum, qui eos probarunt, indoctos fuisse plane et dilucide apparet ex Tusc. IV, 7. Adde quod, si abessent Epicurei, *nostris* non possent oppositi esse *omnes nos*, id quod ad Romanos referendum esse quis negare audeat? — Quod deinceps pro librorum scriptura *omnesque id nos* reposui *omnes denique nos*, id, etsi specie audacius videatur, tamen re et sententiae ratione vel maxime commendatur. Omissum a librario *dī* (*deni*) et supra scriptum, deinde pro *id* habitum et in locum non suum transpositum videtur. Nam *item* quidem, quod pro *id* voluerunt Manucius et Lambinus multisque probarunt, vehementer languet.

40, 117. *sin forte longinquitate producti (dolores corporis) vehementius tamen torquent, quam ut causa sit, cur ferantur, quid est tandem, di boni! quod laboremus?* Causa, cur ferantur

dolores, potest esse varia, tum gravior tum levior; vehementissimos quidem dolores nisi maxima causa movente nemo unquam ferendos censuit. Aut nihil igitur sani scripsit Cicero aut ita scripsit, ut proposuimus: *quam ut causa tanta sit cur ferantur,* ut hic locus conferendus sit cum II, 67: *urgentibus asperis et odiosis doloribus, si tanti non sit, ut ferendi sint, quo sit confugiendum vides.* Similiter de Mario II, 53: *ita et tulit dolorem ut vir et ut homo maiorem ferre sine* c a u s a n e c e s s a r i a *noluit.* *Tanta* post *causa* propter similitudinem litterarum facile potuit praeteriri. — Quae secuntur *quoniam mors ibidem est,* temere temptata sunt cum ab aliis tum a Wesenb. Em. I p. 34. Cum mors ibidem esse dicitur, ubi scilicet acerrimi dolores corporis, facile intellegitur dici eam *in promptu esse* neque longe arcessendam, quo modo apud Graecos *αὐτόθεν* usurpari testantur Lexica.

41, 119. *Quod si ii philosophi, quorum ea sententia est, ut — dicant, tamen semper beatum censent esse sapientem: quid tandem a Socrate et Platone profectis philosophis faciendum putas?* Quamvis probabilis sit coniectura Wesenbergii Em. I p. 31, *et tamen,* quod est in optimis libris, ortum esse ex *ei tamen:* nam et ipsarum vocum *ei* et *et* creberrima in libris mss. permutatio est et praecedente pronomine demonstrativo interposita relativa sententia illud ipsum, quo magis notetur rerum discrepantia, ex abundanti addi constat (v. Madv. de Fin. V, 22 p. 650); tamen hoc loco nescio quid offensionis habet in eo positum, quod et argutior ac nimius videretur scriptor in persequenda discrepantiae notione, quam semel iam incohasset (*quod nos — id illi*), et quod mutata pronominis forma cum eo ipso consilio, ut iidem homines contraria facere significentur, pugnare videtur. Praeferendam igitur duxi Lambini emendationem, cum scirem *et* post *ut* non saepius omissum quam additum esse: v. Madv. Em. Liv. p. 555, coll. pp. 193. 273. 431. 468. — De Madvigii coniectura ex vulgata scriptura neque ea librorum fide sustentata *putes* — nam *vides* est in Gud. et Reg. — *putas* restituentis dixi in Mützellii Diar. Rer. Schol. 1860 p. 63 refutavique Ge. Wicberti (de Praecept. Lat. scrib. p. 197) sententiam, qui commendatae a Davisio lectionis *quid tandem — faciendum vides* defensionem suscepit infelicissime. Nam id certissimum est neque moveri debet, in interrogationibus quae vocantur obliquis non magis omissum esse a Cicerone verbum substantivum quam in enuntiato condicionali (v. ad II, 52). Ex iis, quae Klotzii antea protulerat fecunditas, aliquam veri speciem habet *dices,* quod cur ipse reiecerit illique suspecto atque incerto *putas* postposuerit, mirarer profecto, nisi illum ex sui iudicii homine postremo admiratorem Davorum factum esse cognossem. Nam sillabarum deinceps sequentium litteras saepissime inter se permutatas esse constat, ut facile ex *dices*

scribi potuerit *vides*, velut *patiens* ex *sapiens* (Hor. Serm. I, 1, 38), *dedisti* ex *destiti* (codd. Poggii ad Attic. I, 19, 6), *modi* ex *domi* (Medic. ad Attic. I, 16, 12) *credulitas* ex *crudelitas* (Madv. Em. Liv. p. 571 not.), sescenta alia. Hoc igitur non difficile suscepissem, nisi iustam dubitationem attulisset idem verbum brevissimo intervallo quater repetitum (*dicimus — dicam — dices — dicunt*). Qua re commotus illud tenui, quod ante l. l. proposueram *iudicas*, ortum ex uidas, quod quidem compendium ex Erfurtensi notavit Freundius; idem nunc video Baitero placuisse.

41, 120. *causam esse dissidendi negabat. Dissidendi*, quod ex paucis codd. et plerisque editt. vett. pro optimorum librorum scriptura *desiderandi* revocaverat Bentleius, cur Re. Klotzio displicuerit prae eo, quod suopte ingenio excogitavit *discrepandi*, non video; video illud, quod obscurari non potest, *discrepandi* verbum litterarum formis ab illo *desiderandi* plus discrepare quam *dissidendi* vocem. Scribendi vitium in sillaba mediis vocabulis temere addita eiusdem generis est ac *toleranda* pro *tollenda* IV, 59 (GR), *clevatus* pro *elatus* V, 16 (R), *complectitur* pro *completur* V, 40 (GR), *institutiones* pro *institiones* I, 62 (GR), *si minus* pro *simus* I, 78 (GR), *statutum* pro *statum* I, 113 (GR), *naturam* pro *natam* I, 59 (GR), *evidens* pro *edens* III, 63 (GR), *alienis* pro *Aleis* III, 63 (GR), *contentione* pro *contione* III, 51 (GR), *existimescenda* pro *extimescenda* III, 58 (G), *honorum* pro *horum* V, 87 (G), *minimis* pro *minis* V, 87 (GR), ut nihil dicam de *existimabas* pro *existimas* III, 46, *appellabatur* pro *appellatur* III, 75, *sanaret* pro *sanet* IV, 24, *definivit* pro *definit* V, 72, *potuerunt* pro *poterunt* V, 90, *detorsisset* pro *detorsit* V, 90, aliis: v. Wesenb. Em. II p. 9.

41, 121. *ad Brutumque nostrum — mittemus, a quo non modo impulsi sumus ad philosophiae scriptiones, verum etiam lacessiti.* Ex recentioribus duo inventi sunt, qui adiectivi formam *philosophas*, contestatam scilicet h. l. ab optimis libris, tueri ac defendere animum induxerint, Orellius et Baiterus, quorum hic exemplo nititur Acad. Post. I, 8, in quo, quod multo etiam mirabilius sit, adverbium *philosophe* tamquam a Ciceronis manu restituit C. Halmius ex scriptura librorum *philosophie*. Sed illum locum a philologo bono pessime tractatum esse non difficile est ad demonstrandum. M. Terentius Varro rogatus, cur, cum multa scriberet, philosophiam Latinis litteris inlustrare praetermitteret, postquam exposuit se ea nolle scribere, quae nec indocti intellegere possent nec docti legere curarent, ad extremum addit: *Et tamen in illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus* — satiram dicit Menippeam —, *multa admixta* (scil. sunt) *ex intima philosophia, multa dicta dialectice, quae* (addunt omnes libri) *quo facilius*

minus docti intellegerent, iucunditate quadam ad legendum invitari (sic Cod. Gedanensis; vulgo *invitati*); iam si pergeret, ut volunt cum Halmio omnes: *in laudationibus, in his ipsis antiquitatum prooemiis* (quae in manibus habet) *philosophe* (vel *philosophice* de Manucii sententia) *scribere voluimus, si modo consecuti sumus*, neque eis, quae antea fecit, quibus quidem multa ex intima philosophia admiscuit, praesentia recte opponeret neque vero sibi ipse constaret, qui nolle se in philosophia scribenda operam frustra consumere modo professus sit. Itaque se a vetere more philosophiae, ut ait Cicero §. 9, multis locis incohandae, quod in satira illa fecerat, plane recessisse dicit in iis, quae deinde scripserit scripturusque sit; in his non *philosophe* aut *philosophice* scribere voluit, sed, quod unum verissimum est, *philologis*,*) quo modo ὁ φιλολογικώτατος ipsum tractandi genus, quod in laudationibus et in antiquitatibus secutus est, significare voluit. Restat igitur ex innumerabilibus locis, in quibus adiectivi *philosophus* usus circumlocutione a Cicerone evitatus est, hic unus Tusculanarum, in quo certe magno opere mirandum esset, si praesertim nulla necessitate aut difficultate urgente a se scriptor religiosissimus discedere vellet ac non id scribere, quod duplici testimonio confirmant Nonii libri *philosophiae scriptiones; philosophas* enim, quod habent Gud. et Reg[1]., facile oriri poterat ex *philosophie*, cum *s* ex proximo verbo (*scriptiones*) adhaeresceret. Maneat ergo atque fixum sit, Ciceronem numquam neque *philosophicus*, quod plerique concedunt, neque *philosophus*, quod sunt qui ab Halmio in errorem inducti pro certo habeant, ut Nägelsbach. de ratione Lat. scrib. p. 19, pro adiectivo posuisse. Ceterum tam alienum est, quod Baiterus attulit ex Laberii fragmentis *physicus philosophus*, quam quod Krebs. Antibarb. p. 594 s. v. *philologus: homines nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi; hominem servum* et similia quis est qui interpretari nesciat?

ibid. *In quo quantum ceteris profuturi simus, non facile dixerimus.* De indicativo *sumus*, quem libri, ut videntur, omnes tuentur, hodie nemo profecto est quin quid statuendum sit sciat; olim eum a Garatonio ad Milon. p. 132 et a Wopkens. V. LL. p. 145 defensum esse non est mirandum: et horum et Goerenzii in eo genere errores iure perstriuxit Madv. de Fin. IV, 67 p. 590. In oratione eaque optimorum scriptorum duplex eiusmodi indicativi, qui pro coniunctivo in interrogatione pendente positus videtur, ratio est: aut enim interrogationis locum vox quaedam exclamantis occupat, velut p. Mil. §. 47: *Videte, iudices, quantae res his testimoniis sunt confectae*, aut rectae interrogationi

*) sic *Graecis* scriptum pro *Graecie* i. e. *Graeciae* Tusc. I, 4 in Gud. et Reg.

ea addita sunt verba, quae vel praeponi vel interponi libere possint, ut *dic, da, quaeso*, similia, quae fere alacrioris studii indicia sunt (v. nostra ad Lael. XI, 37 p. 250 et XXV, 96 p. 534 sq. Zumpt. ad Verr. II, 53. III, 64); poesi quidem praesertim priscae plus licentiae esse constat. Ab hoc autem genere prorsus seiungenda sunt exempla, quale hoc est quod tractamus, cum et ipsius loquentis dubitatio (*non facile dixerim*) plane significata est neque res ipsa, de qua quaeritur, talis est, quae in veritate rerum consistat aut omnino ulla sit nisi mente et cogitatione comprehensa. Atque in hac re librorum auctoritati nihil tribuendum esse vel hic locus, unde egressi sumus, documento est: v. Wesenb. Em. II p. 15 sq. de I, 55 ***passus sim***, III, 5 ***passi sunt***, IV, 51 ***constituta sint***, V, 30 ***contraria sint***. — Singularem numerum verbi *dixerim* rectissimo iudicio restituit Baiterus ex Gud. et, in quo *us* sillaba punctis notata est, Regio. Tam in hac locutione, ut in ***haud sciam***, ***crediderim***, ***confirmaverim***, constans singularis est quam in scribentium vel scripta edentium consiliis sententiisque exponendis pluralis. V. ad II, 58; exemplis ibi laudatis adde de Orat. II, 150: ***complectar uno verbo, quo saepe iam usi sumus, diligentia***, ib. 178: ***Haec — percurro, ut aliquando ad illa maiora veniamus.***

Index.

Prior numerus paginam, posterior paragraphum significat.

R.

S.

Corrigenda.

P.	20 l. 15	sup.	lege	habet pro *habet*
-	27 l. 12	inf.	-	*amisisset* pro *amissiset*
-	30 l. 1	sup.	-	*dixerit* pro *dixeri.*
-	ibid. l. 2	sup.	-	p. pro pt.
-	31 l. 8	sup.	-	Beier. et Gernh. pro Beier et. Gernh.
-	47 l. 10	sup.	-	*est* pro *et*
-	68 l. 18	sup.	-	potest pro post
-	74 l. 16	snp.	-	eum pro cum
-	ibid. l. 19	inf.	-	coniecturam pro coniecturum
-	76 l. 18	sup.	-	generibus pro modis
-	90 l. 6	inf.	-	neque pro atque
-	94 l. 7	sup.	-	capiantur pro coepiantur
-	112 l. 22	inf.	-	ipse pro ipso

Compluribus locis signa compendiorum minus plane expressa aut etiam omissa sunt, ut p. 12 l. 4 inf. *cēsemus*; p. 42 l. 3 inf. nr͡t; p. 52 l. 17 inf. m͠; p. 57 l. 16 sup. ī; p. 58 l. 1 sup. *nat́a*; p. 59 l. 9 inf. *isťic*; p. 62 l. 22 inf. ẽ.

Lipsiae, typis C. E. Elberti.

Bei dem Verleger dieses Buches sind ferner erschienen:

Carmina Latina. De poetis alienigenis maxime Germanicis convertit **Mauricius Seyffert.** 16. 14½ Bogen. 1857. broschirt. 1 Thlr. Eleg. geb. 1⅓ Thlr.

Ciceronis, M. Tulli, Laelius sive de Amicitia dialogus. Mit einem Commentar zum Privatgebrauch für reifere Gymnasialschüler und angehende Philologen. Von Dr. **Mor. Seyffert.** 8. 40 Bogen. 1844. 3 Thlr.

Holtze, Dr. F. W., Syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium. 2 Voll. gr. 8. 53 Bogen. 1862. 4 Thlr. 15 Ngr.

Lübker, Fr., Excerpta ex antiquis scriptoribus Latina in Graecum sermonem convertenda scholarum usui accommodata. 8. 11½ Bogen. 1858. 22½ Ngr.

Plauti, T. Macci, Amphitruo. Ad Codicum Palatinorum fidem cum potissima varietate lectionis et commentariis ed. **F. W. Holtze.** 8. 7¾ Bogen. 18 Ngr.

Seyffert, Dr. M., Uebungsbuch zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische für Secunda. Siebente, durchgesehene Auflage. 8. 23 Bogen. 1864. 1 Thlr.

— Lesestücke aus griechischen und lateinischen Schriftstellern. Für die mittleren und oberen Klassen der Gymnasien zusammengestellt. Zweite Auflage. 8. 14½ Bogen. 1861. 21 Ngr.

— Materialien zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische. Für die oberste Bildungsstufe der Gymnasien. Dritte Auflage. 8. 13⅝ Bogen. 1863. 22½ Ngr.

— Palaestra Ciceroniana. Deutsche Originalstücke zum Uebersetzen in das Lateinische in Cicero's Schreibart. Vierte, verbesserte Auflage. 8. 22½ Bogen. 1859. 1 Thlr. 6 Ngr.

— Progymnasmata. Anleitung zur lateinischen Composition in praktischen Beispielen zu der Chrie und deren Theilen. Für die oberste Bildungsstufe der Gymnasien. Zweite Auflage. 8. 13¼ Bog. 1864. 24 Ngr.

— Scholae Latinae. Beiträge zu einer methodischen Praxis der lateinischen Stil- und Compositionsübungen. 8. Erster Theil: die Formen der tractatio. Zweite verb. Auflage. 15 Bogen. 1863. 1 Thlr. 5 Ngr.

— — Zweiter Theil: die Chrie, das Hauptstück der alten Schultechnik. 17 Bogen. 1857. 1 Thlr. 10 Ngr.

— Griechisches Lesebuch für Secunda, enthaltend Xenophon's Memorabilia und Luciani opera selecta. Mit Einleitungen und Anmerkungen. Zweite Auflage. 8. 23¼ Bogen. 1857. 1 Thlr.

Daraus sind auch einzeln zu haben:

Xenophon's Memorabilia. Mit Einleitungen und Anmerkungen. Zweite Auflage. 18 Ngr.

Lucian's auserlesene Werke. Mit Einleitungen und Anmerkungen. Enthält: Traum, Anacharsis, Demonax, Timon und Iupiter tragoedus. 15 Ngr.

— Das Privatstudium in seiner pädagogischen Bedeutung. Eine Skizze als Beitrag zur Kritik unserer heutigen Gymnasien. Lexicon-8. 4 Bogen. 1852. 15 Ngr.

— Aretalogus sive Epigrammata et Sententiae nostratium poetarum latine reddita. 12. 15 Ngr. (Enthält Distichen von Goethe, Schiller, Herder, Lessing und Neueren, mit hinzugefügter latein. metrischer Uebersetzung.)

— Epistola critica ad Carolum Halmium de Ciceronis pro Sulla et pro Sestio orationibus ab ipso editis. 1848. 3. 8½ Bogen. 15 Ngr.

Druck von C. E. Elbert in Leipzig.





